

BERNARDINI
GOMESII MIEDIS AR-

CHIDIA CONI SAGVNTINI,

Canoniciq[ue] Valentini, de vita & rebus gestis


IACOBI I. Regis Aragonum, cogno-

mento expugnatoris.

Libri. XX.

AD IACOBVM AVSTRIVM

Hispania, ac Indiarum Principem Philippi F.



VALENTIAE.

Ex Typographia Viduz Petri Huete, in platea herbaria.

1582.
Ex Libris D. Sebastiani Pellicae de Bañolas Canonici-
Sedis Oscensis-

BERNARDINI
GOMESII MIEDIS AR-

CHIDIA CONI SAGVNTINI,


Canoniciq̄ue Valentini, de vita & rebus gestis

IACOBI I. Regis Aragonum, cogno-
mento expuglatoris.

Libri. XX.

AD IACOBVM AVSTRIVM

Hispania, ac Indiarum Principem Philippi F.



VALENTIAE.

Ex Typographia Viduz Petri Huete, in platea herbaria.

1582.
Ex Libris D. Sebastiani Pellicae de Bañolas Canonici-
Sedis Oscensis-

Auctor Lectori S.



QUOD olim Apelli pictorum nobilissimo honori fuit, atque summe ascriptum prudentiæ; id ipsum imitaturum mihi haud omnino fore puto indecorum. Ille etenim (auctore Plinio) perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus, atque post ipsam tabulam latens, vitia, quæ notarentur auscultabat. Unde à conspectante sutore reprehensus, quòd in crepidis vna intus pauciores fecisset ansas; statim artifici de artificio suo credens, erratumque agnoscens, emendavit. rursusque postero die, eidem circa crus caullanti indignatus, è latibulo respondit; Ne supra crepidam sutor iudices. Per simili equidem exemplo fretus, Iacobi Regis historiam breui, vt fateor, spatio temporis à me confectam, cum aliqua nominis mei iactura, nec sine multorum efflagitatione, properè in vulgus edendam permisi: planè vt vitia, quæ in ea non defutura credo, & quæ, vt patri in filio, sic auctori in opere, nimius quandoque amor non finit animaduertere, integro, ingenioque Lectori notanda proponerem; de quæ his à multis absens, quod à paucis vix datur coram, liberè admonerem: plura quippe vitia scriptori prodet, vel vno mense euulgatus liber, quàm si integra annorum, vt vult Flaccus, enneade domi prematur: quæ enim in edito posita sunt, multò curiosius, cõtentiùsque, quàm quæ sub obscuro, defiguntur. vt scilicet notata illa, in altera editione diligenter animaduerti possint; ea præsertim, quæ ad veritatem historię pertinent. Nam sicuti nulla ferè est historia (sacram semper excipio) quæ non aliquibus sit, aut imbuta erroribus, aut discrepantijs subiecta: Ita neque vlla rursus verisimilior; quàm quæ multorum simul consensu, atque constanti fama approbatur; vt errare quidem cum excusatione nunquam melius possit scriptor, quàm cum Annales suos, non ex lectione modò librorum, sed ex memoria viuorum, in qua mortuorum, vt aiunt, vita spectatur, curiosè, nec sine delectu expressos confecerit: quosq. dum vixerit, retractationi semper paratos habuerit. Atque vtinam fieret, vt vnusquisque scriptor soler



*Permittere al. N. Bibl. de la Real de este libro.
Madrid 17 de Mayo de 1744.*

*J. Gonzalez Armas
Srio*

ter sibi hac in parte consuleret innatamque philautiam comprimeret; neque ante sui victoriam, quæ in operis communicatione, emendationeque sita cernitur, triumphum appeteret: & qui in animum induceret, longè esse feliciores artis, ingenijque, quam naturæ parus; quòd hi, quales ipsa attulit, excipiendi sunt; neque si vitiosi fuerint, facile emendari possunt: illi verò, etsi eduntur deformes, tamè eodem ingenio auctore cultore, potissimum adhibita multorum communicatione, perficiuntur. Nam perinde vt ea, quæ ex ære conflatur, multa licet rubigine, & quasi scabritie obducta, deformia prodierint, tamen accedente lima expoliuntur, & splendida fiunt: sic ipsos ingenij foetus, si multorum animaduersorum cum vellicatio excitauerit; tum erudita quoque castigatio limauerit, haud dubiè, decenter hæc eos, & quàm venustè perpolient. Dummodò animaduersores ingenuè potiùs, quàm fastidiosè de quaque re iudicent; neque pro vno, aut altero inuento errato, vel si plura sint, illico absentem auctorem in reos referant: ac modò opus in vniuersum minimè, antequam perlegerint, reijciant; minusque singula, nisi qui fuerint eiusdem mulsæ æmuli, improbent; ne vnà cum futore in Apellis reprehensionem incurrant. Meminerint etiam naturam nihil magnum (vt inquit Plinius) genuisse citò; neque ipsius imitricem artem, nisi aut diu multumque versando: aut potissimum communicando, rem ullam perfecisse. Auxilium enim sibi magnū se adiunxisse putat, qui cum altero, maiusque si cum multis, rem cōmunicauit. Quod ipsum ego, Lector candidissime, à te lubens expecto, qui nec admoneri grauabor vnquam, nec corripì, emendarivè quoquomodò erubescam: quoad tanta, tamque excellens inchoata à me historia, animaduersione tua repurgata, perfectaque, ad posteros transmittatur. Non enim dubito illos (quæ summa est, atque innata bonis omnibus, tum veri intelligendi, tum falsi reijciendi cupiditas, studiumque) & animaduertanti tibi, & emendantimihì, magnam, perpetuamque gratiam habituros. Quapropter prudentiam tuam inuoco, imploroque; vt dum alios cauillantes, alios obtrectantes, ausculto; tu demum, non tam eorum, quæ ineleganter, quàm quæ imprudenter scripta inueneris, futuræ editionis gratia, me admonere non desinas. Vale.

A D

AD IACOBVM AVSTRIVM PHILIPPIE HISPANIAE,

atque Indiarum Principem, Bernardini Gome-
sij Medicis in Libros de vita, & rebus gestis IACOBI primi Regis Aragonum.

P R A E F A T I O.



ET VS & illustris fama de Iacobo primo Rege Aragonum, cognomento expugnatore, cum toto orbe, tum apud Aragonensium Regna, vbi potissimum sua ille vestigia impressit, ad hanc vsque aetatem tanta percrebuit (Iacobe Princeps) vt ex his nulli sint populi, nullique homines, qui non cum charitate aliqua, & benevolentia, illius memoriã usurpent; eiusque pergrauè, ac persanctum nomen in Regibus, summo cum honore colant. Pro certo enim habent, hoc ipsum nomen, quod ab huius ortu Regis, tot, tantisque clarum miraculis, sequuta sunt vitæ facta præclarissima; paria, similiaque cuius nostrorum Principum, qui illud præ se tulerit, allaturum. Id, quod nascenti tibi ausi sunt præfagire: nam dici non potest, quanta omnes in suis vrbibus & municipijs exultarint lætitia, quantoque triumphare gaudio ceperint, vt primum auditum est, Iacobi nomen, nutu Philippi patris, in illius Regis gratiam, tibi impositum fuisse. Aureum quippe illud sub ferreo sæculum, quod idem, tum armis prudentiæ, tum bellicis, atque Imperatorijs virtutibus condiderat, à te, sub tanto exemplo ac nomine, orbi restitutum iri putant. Nec verò mirandū est, quòd illius nomini, ac exemplo vitæ tantum tribuant, vt ipsdem te insignitum, alterum Iacobum euasurum existiment. Nam vt ipsius quidem Regis expressa imitatione pietas, imitatores diuino quodã quasi affluit numine, & ad summa erexit; sic eius bellica virtus, rei que militaris, vel adumbrata scientia, per multos nō modò laudum æmulos, ac sectatores effecit, verum ad eas etiam litteris, ac sempiternæ memoriæ mandandas, historicos

¶ 3

non pau-

non paucos pellexit. Quibus ne exaggeratione orationis à veritate historie discreparent, nevé hanc in posterum vlllo obscurare commento possent; Commentarios rerum suarum ipse fidelissimè conscriptos, tanquam normam, ad quam sua illi scripta dirigerent, reliquit; eosq. vt vir bonus, atq. simplicis veritatis amicus nō tam verbis, cōptāq. oratione ornare, quā rebus, atque nuda factorum enumeratione persequi curauit. Hæc enim tanta, tamq. præclara extiterunt, adeoque illustra & gloriosa, vt iure quidem cum omnibus tam superioris, quā inferioris, quā etiam suæ ætatis factis comparari posse videantur. Nam si antiqua respexeris, atque inuidium animi robur, & magni iudicium, quibus se Iacobus in Regijs, Imperatorijsque muneribus ab ipsa prope infantia susceptis, atque annis plus sexaginta administratis, cum prioribus conferas; nullos ante ipsum Reges, nec Imperatores eo superiores inuenies: Si suæ ætatis Principibus opponas, non solum vsu, tractatione armorum, consilio, feliciq. rerum exitu, cunctos superauit; verum pietate ac religione (vno excepto Ludouico per sancto Francorum Rege) reliquis excelluisse cognosces: Si ad nostros referas, is demum fuit, qui non Aragonensis tantummodò, sed totius Hispaniæ Imperij solus fundamenta posuit, eaque tam veris, solidisq. iustitiæ, ac religionis tanquam firmamenti fixit, vt tantum abest, vt illud suis vnquam sedibus conuelli potuerit, vt amplius, atque adeo in immensum semper accreuerit. Tria enim Regna, Balearium, Valentinum, & Murciense, è regione Africa, è sarracenorum manibus eripiens, ac non solum armis, sed optimis legibus, atque vera religione præmuniens, Afros à quibus antea Aragonensium, & Castellanorum cæpta, magniq. conatus infringi, ac impediri consueuerant, repressit penitus, strenueq. coercuit. Tam frequentes siquidem in Valentiam, & Catalanam oram, Afrorum cū magnis classibus, & exercitibus, transgressiones fieri, totq. incendijs, rapinis, ac depopulationibus, cuncta propinqua Regna vastari solebant; vt tam Aragonenses cum Afris, quā cū sarracenis Granatensibus Castellani, continuis implicati bellis, nullas extra Hispaniam expeditiones antea suscipere, nihil se dignum foris gerere potuerint. Reges autem, qui successere Iacobo, ipsius militari disciplina & exemplis instructi; necnon eiusce ab eo expugnatis Regnis, domique firmato præsidio, freti, compressis Afris, plures in externos expeditiones susceptas, prospere, & quam gloriose confecerunt. Nam vt Regum Aragonensium Annales verè colligunt, ipsaque res testatur; Siciliam illico Rex Petrus, cognomē

to ma-

to magnus, Iacobi filius obtinuit, & Sardiniam Iacobus II. illius nepos, duce Alfonso cepit: & Calabriam, totumque Neapolitanum Regnum Alfonso primus illis adiunxit: & Ferdinandus abauus tuus, cognomento catholicus, illud à Gallis interceptum, Ferdinando Gonsaluo duce, recuperauit: ac demum Carolus V. Cesar, tuus auus, Mediolanenses in suam, Imperijq. Hispaniensis potestatem redegit. Accesserat, quod idem Ferdinandus paulò ante, matrimonio Isabella Reginae Castella, copulatis vtrisque Regnis, atque iunctis viribus, Granatense Regnum potentissimum, quod octingentis annis in medio ferè Hispaniæ sarraceni retinuerat, armis subegit tandem, atq. Imperio adiecit. Quinetiam ipsius sumptibus, & auspicijs, nonne nouus ad Occidentem orbis repertus est? ac protinus ab eodem Carolo, maiori quā credi potest, compendio & gloria expugnatus? Siquidè imperate ipso, classesq., ac exercitus mittente, an nō ausa est sola Hispana gens, per immensum, ac nūquam antea tranatum Oceanū ad Occidentales Indos nauigare? atq. Aequinoctiali traiecta linea, alterum orbis axem à Romanis vix olim conspectū, tenere? ibiq. maiora & opulētiora, quā vsquam, Regna vi capere? vincētōsq. ipsorum Reges cū interimere: tum vna, aut altera centuria militum, innumerales exercitus profligare? quoad ea tādē in prouincias, quæ magnitudine, duas, vel tres æquant Europas, redegit? In quas, & colonias multas deduxit, & diuino aspirante numine, vniuersas ad Christi religionem traduxit. Vt appareat Hispaniense Imperium, ex eo quod iisdem, quibus à Iacobo initum, ac fixum firmamenti, à successoribus amplificatum quoque fuit, atque gloriose productum; in ampliorem, quā vbiuis gentium, magnitudinem dilatatum fuisse, ac in sempiternam Christi gloriam propagatum. Adde, nullo vnquam prætermittenda silentio, quæ tui etiam ab aui clarissimi Lusitanorum Reges, tertiam ferè Hispaniæ partem tenentes, viriute ac religione ducibus, similia per id tempus facta quā præclarissima gesserūt. Ad Australes enim Afros, & Orientales à leua Indos, auream vsq. Chersonesum nauigantes, incredibiles, miræque gloriosas inde victorias cum amplissimis spolijs, subactis populis, retulerunt. Vt mihi sanè, pares, aut certè maiores triumphos, victoriasque illustriores, quā olim sua Romanis ætas, nostra nobis attulisse videatur. Neque video profecto, cur Philippus pater tuus superioribus non sit omnino præferendus, ac etiam Augusto longè felicior habendus. Ille etenim traditum sibi à C. Iulio Cesare Romanorum Imperium, in huius vmbilico positus, atque extrema quaquauer sum omnia

ex æquo

ex aequo regens, conseruauit quidem, summiq̄ue inde conseruatoris nomen
iure promeruit: At uerò Philippus Indicum Occidentale Hispaniensi ad-
iudum, quod ei Carolus pater longè latius, quàm fuit olim Romanum tradi-
dit, quamuis immenso prope maris interuallo dissitum, non conseruat modò,
acerrimeq̄ue defendit; sed in eo nunc totus est, ut & augeat, & noua Lu-
sitani accessione Imperij, conduplicet: donec illud ad te tandem, latius,
opulentiùsq̄ue quàm accepit, transferat. Quamquàm equidem, Iacobe
Princeps, tantis augendo ditionibus, totque in Regna successuro tibi,
neque plura certe, neque ampliora ijs, vllò modo desidero: numen au-
tem: & sapientiam ad ea omnia optime, feliciterque administranda, &
regenda, sicuti Solomoni diuinitus concessa sunt, neque Iacobo, tuisque
maioribus negata, quàmmaximè tibi, inquam, exopto; immò uerò adfutu-
ra spero: Siquidem mirifica, ac suauis illa, quæ hac tua sub ætacula in
te indoles elucet, magnam plane omnibus spem affert, fore aliquando, ut
in te vno, eiusdem Iacobi, ut nomen, & fama, sic res, sic exitus, sic felicitas,
& consecuta gloria consentiant. Huius ergo hærois vitam & res gestas;
viginti à nobis comprehensas libris, iccirco tibi despondimus, ut omnium, qui
ante fuerunt, Regum, maximorūque Principum virtutes, & præclara fa-
cinora, in vno Iacobo, tanquam in speculo contemplanda, atque imitanda
proponeremus: ut ex ijs perinde ac ex infinita sylua quadam, virtutum
omnium, atque actionum præclarissimarum, vberrimos, amplissimòsque pos-
sis fructus colligere: quibus tam pace, quàm bello, tam domi, quàm fo-
ris, hereditarium Imperium, cum bene fauisteq̄ue regas; tum
tuorum sequutus exemplum, longius, latiusque
propages, atque cum vera religio-
ne defendas. Vale.

(*)



BERNARDINI GOME- SII MIEDIS, ARCHIDIACONI

SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS
gestis IACOBI primi Regis Aragonum,
cognomento expuglatoris.

LIBER I.

AD IACOBVM AVSTRIVM,
Hispanie, atque Indiarum Principem, Philippi F.



A COBI primi Regis Aragonum, cognomēto
expuglatoris, res gestas breuiter, summatimq.
scribere aggredior: vt cuius diuina viri virtus,
quantū se, duce gloria, in cælum tollit, ac ceteris
Hispanis longè antecit rebus; tantum facta etiam
prodantur: in apertum, atq; in vniuersas gentes,
ad quas eiusdem fama peruenit, stylo peruehatur. Operæ pretium
enim me nostris facturum puto, si præcipuas virtutes bellicas, quas
in Alexandro, in Pyrrho, & Cæsare, summis olim Imperatoribus,
sigillatim admirari mortales solent; easdē simul in Iacobo, cum mi-
re expressas, tum ab eodem præclare orbi redditas fuisse ostēdero:
Nam & triginta ipsum prælia, quibus interfuit, commisisse; & to-
tidem ex eisdem victorias gloriosè reportasse; & tam sæpe conspi-
rantes in se populos, supplices admisisse; neque demum anno inte-
gro ex sexaginta, quibus regnavit, à bello vacasse; an non hæc su-
perant, aut certè exæquant ea, quæ de superioribus conscripta legū-
tur? Vnde tot eius, tamque præclara facta, quæ hæctenus sermone
duntaxat Hispano donata, domi quasi delitescabant, vt commu-
nicarem exteris, Latino conscribenda duxi. A quo planè cœpto,
quauis ingenij mei valdè me retraheret imbecillitas, atque ipsa po-
tissimum rei magnitudo terreret, & quasi à via deduceret; reduxit
tamen, atque in proposito, susceptoque consilio permanere fecit
eiusdem pulchritudo; qua tantopere ad huius vitam & acta Regis

A comme.

commemoranda afficior; ut amore, quo nihil est ingeniosius, spem me quidem, aut victurum expectationē; aut, si minus rei perfectionem; at conatum & adumbrationem expressurum: quandoquidem longè maiora sunt, & grauiora, quæ me ad progrediendū inducunt, quàm quæ ab incepto deterrent. In primis quidem historia, cuius præcipuus ad perennitatē genius est veritas, ab ipso met Rege non modo per diligentem dictata; verum etiam inter arma, ne quippiam excideret, hasta quandoque in læuam conuersa, dextra arrepto calamo exarata: & quamuis ineleganter, duroq; stylo, pro iniuria temporum; summa fide tamen, atque accurate per scripta; ideoq; calcaria mihi certè fuere acrius ad hanc conscribendā adhibita. Quid enim, veritate duce, ipsaque Regis mente comite, in præsentem mihi non conandum, atq; solia quoq; diligentia, nō agrediendum existimem? Nam ut in legibus, quarum anima, ut optimè dicūt, est ipsa ratio; hacq; inuenta, perfacilis est illarum interpretatio: sic in historia, si Dux occultas interdū, aut incūdi, aut differendi prælij causas & rationes, quæ multum habent momenti, quasq; is solus mente tenet, explanauerit; profectò Annales suos, cum summè illustrabit, tum alijs, etsi elegatioribus, multò veriores, atque cōmendabiliores conficiet. Præterea adauget institutum illorum veluti puritas temporum, eorumque hominum non lubrica; sed bona ubiq; fides, atque vnicè in bello, cum fama honos propositus. Quin neque vllis prope dolis, non fraude, aut insidijs; sed vera quidē virtute, atque aperto Marte, ab illis frequentata militia: ut facile, ac in promptu sit scribenti, ex factis, quæ cernuntur, mentem, quæ non videtur, colligere, eandemque simul currenti calamo suggerere. Præterquam quod illa ipsa militia, neque maioribus ad sui vsum machinis, tormentisve munitur, quàm quibus, summo licèt labore fabricatis; ingenio tamē haud valde magno obfisti posset. Nā cominūs uti gladio, ipsoque impulsu scutorum, seu cōflictu corporū, quā eminūs telorū coniectione, atq. ad motionem tormentorum pugnare, longè habebatur valentiūs. Fecit igitur tam frequens hic, ut opinor, pugnādi vsus, & exercitatio, atq. in armis eorū mens omnis, & cogitatio defixa; ut facultate ac copia dicēdi parum præstaret; cū sermonis nō solū latini, sed neq. natiui vix vllustū fuerit

cultus,

cultus, non nitor, nec obseruatio: quin potius permissione linguarum, confusa esset; peneque barbara eorum locutio. Ex quo in subeundis prælijs, ad augendos militum animos, breuibus, tametsi sententiosis, concionibus duces vsos fuisse comperimus: vsque adeo spretis verbis, in res omnia propendebant. Nam & prouocati ad bellum, ea erat in præueniendo hoste tarditati prælata celeritas; ut neque matura cunctatione uti scirent; neque verbis prius, quàm armis omnino agere, sapientius ducerent. Sed hæc tanta verborum inopia maiori alia rerum parsimonia commendabatur, ut potè qua, non maghis, propeque infinitis, ut nunc sumptibus; sed vel exiguis permagna tunc bella conficerentur: more Lacedæmoniorum, quorum spectata, & nobilitata bello virtus, eò magis accrescebat indies; quò plus eorum castra, tum frugalitate victus, tum maximè verborum parsimonia continebantur. Ut facile affirmare ausim; hoc tempore, ab ipsa quidem procacitate, luxurieque verborum; necnon auri etiam, atque commeatus redundantia in castris; non modò eneruari militum vires, hostileque temerè contemni; sed ducum quoque auaritiā exerescere; indeque & scienter differri prælia; & discrimina, certaminaque perquam foedè vitari; ac neque tam certum confecti; seu turpiter interrupti belli signam militibus, quàm ipsam prælij consumptionem dari. Postremò mouet quàm maximè per insignis tanti viri pietas, atque innata religio, eiusque per sancto studio quodam inflammatus animus; non solū ad impios Christianæ fidei hostes proterendos; sed ad diuinum Christi nomen ubique propagandum; adeo intentus; ut tria nobilissima Regna è Sarracenorum manibus eripuerit; & ad duo millia templa exedificari, eaque Christo, eiusque matri & Virgini dicari curauerit. Quæ sola pietas vsque adeo sanctissimum ac probatissimum quemque virum prouocare debet ad illius conscriptionem historiarum; ut & religioso quouis dignam eam auctore; & a me humili sacerdote non alienam putarim. Nam Reges quidem, officij munerisque sui admonere; & præstantissimorum exemplo Regum proposito; ad optimam Reipublicæ administrationem traducere, nonne id bonum per se est, honestum & commemorandum? Illorum igitur tem-

A a porum

porum, atque hominum institutis, & præliandi usu, leuiter perstri-
ctis, immo & necessariò præmissis; utpote quæ ad dilucidam ex-
planationem historiarum non parum sunt luminis allatura; lectorem
præmonitum volo, me quæcunque hæc tota commentatione de
Rege, eiusque factis, atque dictis expressero, non ab obuio quo-
que illa temerè, ac sine delectu; sed ab ipsamet Regis, atque eo-
rum, qui uiuenti ab epistolis, seu à commentarijs fuerunt, conser-
uata historia, excepisse omnia; eaque diligenter etiam cum histo-
ricis, qui ætate nostra in suos Annales ipsius res gestas Regis retu-
lerunt, fideliter contulisse. Tametsi autographum, siue propriam
ab ipso Rege conscriptam historiam, tanquam reliquis longè ve-
riorem, frequentius mihi insequendam propono. Eã enim non
quibus diximus rationibus tantummodò; sed hæc potissimum re-
puto veriorem, quòd longè sit, atque à decore, & maiestate Regia
alienum, Principem, coram quo lege veritum est mentiri, ipsum pu-
blicè, perpetuòque sibi ac posteris mentitum fuisse: seu quoquo mo-
do permisisse, Commentarios suos, in quibus perpetuè suæ com-
mendationis ac famæ fundamenta posuit, edi commentitios. Qua-
propter, ut ad rem veniamus; quoniam breuitas in dicendo satis
nobis curæ est; perspicuitatem oratio conabitur, veritati præci-
puam operam dabimus. Sed antequam Regis ortum ab admirabi-
li, ac inexpectato eius conceptu inciamus, præmittenda sunt, quæ
de clarissimis eius auis, Guillelmo Mompellerij Principe, in Nar-
bonensi Gallia; & eius coniuge Mathilda Imperatoris Græcorum
filia; de quæ amborum nuptijs explananda occurrunt: quando qui-
dem ab eo ipso connubio, quasi à venusto quodam, atque hone-
sto pellicatu, historiam suam Rex fuit exorsus.

¶ Alfonso II. ab Arista primo, XII. Rex Aragonum, ac etiam
Cataloniæ Princeps (qui duò potentatus magnam ceterioris Hi-
spaniæ partem continent) ut primum in eos patri successit, in delyto,
se matrimonio illustrare cupiens, legatos cum litteris Constantino-
polim ad Emanuelem Imperatorem misit, cui nunciarent, se cu-
pere illius filiam, nomine Mathildam, nulla constituta dote, dari si-
bi in matrimonium. Annuente Imperatore, cui iam diu nota erant
Regis illiusque maiorum nobilitatæ bello virtutes, atque poten-

tia

tia Regnorum; sponsalium fide inuicè hinc inde data; curaque om-
ni deducendæ in Hispaniam sponsæ Imperatori relicta; legati proti-
nus ad Alfonso remigrarunt. Interea Alfonso Castella Rex, Im-
perator Hispaniarum dictus, intellecta legatione matrimonij caus-
sæ expedita, Alfonso simili legatione, & litteris sollicitauit, ut San-
ctiam filiam, genere & pulchritudine nulli secundam, vxorem du-
ceret, eamque, ut cuius præferret, cum multis de causis, tunc hac potissi-
mum impetrauit; quòd hoc idem matrimonium à Raimundo Prin-
cipe longè antea fuerit initum, sed interuentu belli, infectum illud,
non reiectum; idcoque consecutam concordiam, esse quoque eiusmodi
matrimonio stabiliendâ, postulauit. Vnde Sanctia ad Alfonso de-
ducta, publico atque celebri matrimonio cum illo coniuncta fuit; cuius
rei illico fama in omnes partes dimanauit. Interim Emanuel Impe-
rator, nulla de pellicatu re intellecta, præparatâ filiam vni ex præsta-
toribus Antistibus Ecclesiasticis, ac duobus magnis Imperij proce-
ribus, deducendâ comisit. Itaque iter ingressi longissimû, atque difficil-
limû, decem prouincijs peragratis, tandem superata Gallia, in Nar-
bonensem, ad urbem Nitobrigum regiam, nunc Mompellerium vo-
catam, peruenērūt, quæ triginta dumtaxat passuum milibus, ab Hispa-
niæ finibus determinatur. Vbi à Guillelmo eius urbis, ditionisque
Principe, qui aduenientes hospitio exceperat honorifico, atque tan-
ti itineris causam suspicabatur, de præcepto à Sanctia matrimonio
facti sunt certiores. Quo pertristi audito nuntio, stupor inuasit om-
nes, & tanquam peregrini, & deserti, non consilij modò, sed consolati-
onis omnino inopes, Principi ut fidei hospiti, itineris sui causas,
& inanes progressus exposuerūt; ab eoque obnixè petierūt, ut in tã su-
bita, aduersaque permutatione rerum, quid factu ipsis opus esset, consu-
leret: pergerentne, atque prioris sponsæ præsentia Regi os turpis in-
constantiz, ac perfidiz labe suffunderent; an potius intermissis omni-
bus, ad Imperatorem remigrarent: quandoquidem iureiurando sese
omnes obstrinxerāt, ut quoquomodo matrimonio filiz impedito,
eandem sospitem ad ipsum reducerēt. His auditis Guillelmus tãx Prin-
cipis contumeliam, atque iniquam miseratus sortem, consolari primò ip-
sam, post verò mentem & oculos in eandem cœpit inijcere: atque ex ma-
la illius fortuna, fortunam sibi bonam elicere cogitauit. Vnde cautè

A 3 dolere

dolere se quam maximè respondit, atque iniquo ferre animo eius vicem Principis, non extorris modò patria, sed desertæ, & ludificatæ: eoque mirari magis humanarum rerum inconstantiam, cuius vis tanta esset; vt ad Reges etiam, quorum summa est virtus constantia; & peruenire illa, & regiam dolo malo fidem oppugnare possit. Verum angiquidem multo vehementius, ob negotium ita plane inenodabile, ac implicatum, vt vix, explicari posse illud, quisquam credat. Sed quoniam multa, quæ natura impedita sunt, consilio expediuntur, dari sibi tempus petijt ad illud meditandum, atque cum suis vrbis proceribus consulendum. Itaq; Guillelmus conuocato Senatu, in què patricios iuuenes nonnullos, quos metis suæ fecerat participes, intrare iussit, ipsisq; ea, quæ cù Principe hospita, & suis egerat, exposuit: quantisq; ipsa angoribus, atque difficultatibus rerum, quamque miserabiliter premeretur, tæ ex repudio Regis, quæ ex peregrinatione, atque immensa longinquitate a suis: quodque non opes, sed consilium duxerat, quod se ab ijs explicet angustijs, implorauerit, & se illi daturum promiserit. Proinde quod hospita utile, sibi autè honorificum esset cõsiliu, ab ipsis reposcere non enim prætermitturum quicquã, quoad se, suaq; omnia pro tanta Principe impenderet. Quod si & ex re, & ex tẽpore, & loco, nata sibi esset occasio, quæ eorũ cõsilio & ope fretus ipse captare deberet: neq; amissurũ illam, neq; se sibi defuturum vnquã cõclufit. Quo tacente, quamquã de re grauisima diutius in varias partes disputaretur; tamen iuuenibus prius dicere iussis, horũ sententia fuit, vt cõsiliu, quod hospita daturus erat Guillelmus, sibi caperet; ac quoniã diuinitus videretur factũ, quod à patre è tã longinquo missa virgo Regia, ab Alfonso autè spreta, apud ipsum domi haberetur, stabili sibi eã connubio iungeret: nõ enim eũ, tam inæquali prognatum sorte, neque genere & sanguine tam esse infimum; quin atavis etiam Gallorum Regibus sit editus; quin recens ex ephæbis excedēs adolefcēs; tum viribus & præstantia corporis, tum dignitate & maiestate oris, heroem referat; atque dotibus quoque animi perquam multis, Principes, ac Reges quosuis exæquet. Nec dispar admodum Imperium est, quando illud non vastitate, sed situ, & amœnitate terrarũ, quale Mõpelleriense est, & fertilitate agri, & vicinia ac commercio

maris,

maris, & cœli, soliq; benignitate præcellens, cõmetiendum sit. Ac si tandem cogitet ipsa, se derelictam, indotatam, ac repudiatam mansisse; inueniet profecto, huiusmodi cõnubio, sortem sibi bonam ex iniqua contigisse. Nullam igitur ei optionem dandam esse, sed indicendum, in solo connubio salutem repositam, eiusq; consensum, aut prece, aut honesta vi tandem esse procurandum. Quam sententiam, quæ ab vno ex iuuenibus dicta est, cùm reliqui eiusdem ordinis approbarent, atq; ad viriliter exequendam illam, se, suaq; omnia impensuros promitterent; quidam ex Senatoribus grandæuus, atq; omnium experientissimus, non tam refellendi, quam illorum dicta confirmandi gratia, sic est loquutus. Non equidem putaram, Princeps Guillelme, celerem iuuenum deliberationem cum maturo senum consilio tam facile conuenire posse; vt ab illorum sententia, ne discedere quidem, tantũ abest, vt eam nunc refutare velim, vsque adeo facinus hoc, quod ex sententia iuuenum machinari videris, tamen si anceps, ac audacissimum; maiori tamen in parte, & per insignem est; & quidem præclarissimum; nosque ad suscipiendum ipsum, multis nominibus, ad declinandum, perquam paucis, adhortatur. Nam etsi vnica tantum, atque efficax ratio sit, quæ te ab eo deterrere potest, vt pote quæ, & diuino, & humano teneris iure, hospitem dimittere qualem acceperis; neque liberum est, hospitijus cuique violare: at illius quidem violandi occasio nunc tanta est, vt quæ regnandi causa datur; maior esse non possit. Ea enim ex hisce nuptijs ad futura tibi bona prælagire audeo; vt si ex mediocri in summum euehi Principem, atque cum Regio, Imperatorio vè Principatu tuum adæquare cupis; profecto nulla se tibi occasio præsentem offeret vnquam commodior. Si enim Imperatoris filiam vxorem ducis; spem quoque Imperij tanquam sponsam, haud dubiè, te puta ducturum. Nam vnico vxoris fratre germano Alexio Imperij successore decedente; vt facile est, vxoris quoque iure, te ad Imperij successionem vocari; ita illo interim viuente, affinitatis gratia, per dignus es; qui vnus ex summis Principibus habearis; quique per susceptos ab vxore filios vtriusque sexus, regias etiam affinitates ambire possis. Quod si illatam inde Emanueli patri contumeliam pertimescis; bono

A 4 te ani-

te animo esse volo: ea enim, mihi crede, nulla est, si cum insigni iniuria, quam eidem fecit Alfonso Rex, comparetur. Siquidem inter spretum, & acceptum coniugium, tantum quidem interest; ut qui ab alio spretam sponsam duxerit, non tam sponsæ famæ, quam eius parentum honori consulere, beneque de ipsis mereri videatur. Quibus de causis nedum beneuolam coniugij approbationem; sed maiorem, quam iniuria sit, gratiam cum locero te initurum puta. Vnde, macte virtute, animosior esto; atque facinus felix prosequere. Nam si audaces cæca sæpe iuuare fortuna solet, num tam vnanimi omnium consensu, atque consilio duce, quasi numine, à cœpto delictes? Quæ cum ardore plusquam iuuenili prosequeretur senex, vniuerso acclamante Senatu, interruptus est eius sermo; atque vno ore cuncti, se, Guillermo ad omnia paratos obtulerunt. Verum non per Guillerum, sed per duos destinatos ad id optimates, hospites, atque suis Senatus decretum denun- tiare statuerunt. Id cum illi exposuissent, tandem subiunxerunt; tam esse id iam à Guillermo Principe, eiusque Senatu diffinitum; ut nulla reliqua esset eis, tanquam è cauea elabendi spes, nisi connubio dominæ iter aperirent. Cum igitur reclamantes illi, ac rem tam fœdam, barbaram, & iniquam, iusque omne hospitij, atque humanitatis violatum obijcientes, ne quicquam proficerent; ac neque vllus cum Imperatore consultandi locus daretur; consilio inter se habito decreuerunt, maius cum minore malo commutare: quin & consensu Principis ac Dominæ suæ pascisci cum Guiller- mo (quem iam propter huiusmodi facinus, alioqui audax, virum quidem non ignobilem, sed strenuum, atque magnanimum reputa- bant) ut si connubio decernenda res esset, promitteret, vnâ cum vni- uerso Senatu populoque Mompelleriensi, perpetua sanctione fie- ret: ut proles quæcunq. ex coniugio nasceretur, seu mas, seu fœmi- na, in Principatum hæres succederet. Quæ conditio à Guillermo accepta, à Senatu verò approbata, ab vniuerso populo sanctione quoque perpetua, fuit comprobata. Itaque depulso mœrore, & lachrymis, nuptiæ plenæ dignitatis atque concordia, plenæque splê- doris ac mysterij, diuino copulante hymenæo; coniunctæ fuere: necnon remigrantibus Constantinopolim sponsæ comitibus; totq. erum-

erumnas, & discrimina, cum optimo rerum euentu, Imperatori enarrantibus, ab eodem quoque approbatæ. Ac non multò post concipiente Mathilda, partu edidit fœminam, cum singulari po- pulorum lætitia, & effuso gaudio, quæ Christo nomen dedit, ac vo- cata est Maria, de qua postea ortus est Iacobus. Sub hæc autem, quæ gesserit Guillermus, quantumque à seipso defecerit: ac quod pel- limum ingrati animi vitium cum libidine commiscuerit, ostenda- mus. Namque ut est hominum ingenium in libidine, quo magis rem quamque concupiscunt; quo ve audius in eam feruntur, eo quidem magis obtentam, aut spernant protinus; aut præ satietate, quam capiunt, varietatem, vel in peius quarant: sic quoque Guiller- mus, cui non satis fuit cum tam paruo Imperio, & opibus, interce- ptam Imperatoris filiam, Regi destinatam sponsam, nullo negotio, in matrimonium duxisse; ab eaque clarissimam prolem suscepisse: nisi quod, imperante luxuria; cum ab vxore secesserit, tum ea vi- uente, aliam nomine Agnetem Hispanam duxerit: talesque ex ea filios habuerit, ut ausus sit natu maior Mariam legitimam vniuerso- rum hæredem ab hæreditate expellere. Nam ea de re, lite, & con- trouersia, inter eos orta, ac coram summo Pontifice contestata, vni- uersa Mompelleriensis hæreditas, iusque omne, Mariæ, eius quo- que rei causa, Romam postea abeunti, ab eodem Pontifice adiudi- cata sunt, ac Iacobo, ut dicemus, successione relicta. Ad quem autem, quoniam festinat oratio, quæ acta sunt interim dica- mus. Mortuo Perpiniensi, quod est oppidum Comitatus Rusci- nonensis florentissimum, ex graui morbo, Alfonso Rege, quem propter heroicæ virtutes, præsertim vitæ continentiam, castum ap- pellarunt; corpus eius honorifice, regieque elatum est ad cenobiu beatae Mariæ Populeti nuncupatum, ordinis Cisterciensis, non longè ab vrbe Tarracone, interque ipsam & Ilerdam situm: quod Principes Raymundus, Alfonsi pater, magnificentissime erexerat; Alfonso autem multis attributis prædijs locupletauerat, atque mu- neribus amplissimis exornauerat. In quo, non modò ipse; sed qui postea sequuti sunt Reges Aragonum; quoad in Regna Castellæ successerunt, ferè omnes cõsepulti fuerunt. Demum illius exequiæ, iustaque funeris, cum nouendiali sacro; cum magna pompa, ima- ginibus,

ginibus, cantu, lamentis, & laudationibus, in vrbe Cæsaraugusta Aragonum metropoli celebratz sunt. Itaq. tribus ab Alfonso ex Sanctia Regina relictis filijs, Petro, Alfonso, & Ferdinando, cum quattuor foeminis; Petrus in Regnū Aragonum, vna cum Principatu Catalonia succelsit; adiunctis Ruscinonensi, & Pallariensi comitatibus: in quibus non a principio, sed pro tempore, atque ex testamento Reges successerunt. Alfonso autem, comitatum Prouincialem in Aquitania, cum nonnullis propinquis oppidis, testamento obtinuit. Ferdinandus vero, a patre destinatus monachus, religioni consecratus est in eodem cœnobio Populetano. Quin etiam foemina, quarum natu maior Constantia, cum Emerico Rege Vngaria, ipsoque mortuo, cum Ederico Imperatore, ac Rege Sicilia, matrimonio iuncta fuit. Elionora & Sanctia consequentes, parenti ac filio Tolosanis comitibus, collocata fuerunt. Vltima vero Dulcis dicta, cœlibem cum religione vitam coluit apud cœnobium Xixenense monialium ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani, quod ab eisdem Alfonso & Sanctia Regibus amplissimè structum, & dotatum fuit, propè insigne oppidum Sariniens Oscensis diœcesis. Quarum foeminarum mentio necessariò habenda est in historijs, vt successiones Regnorum, quæ sæpè affinitate per illas contracta euenire solent, melius innotescant. Petro igitur in Regna succedente, atque ab vniuersis subditis, magno omnium consensu, salutato Rege, & sacramento adacto, ab eoque plebiscitis (foros nostri vocant) moribus, institutisque maiorum, & Regni priuilegijs confirmatis, nunciatum est, Mauros eruptionem in Carpetaniam fecisse, ibique parua quædam oppida Regis Castellæ, Aragoniæ fines attingentia cepisse. Vnde protinus adiunctis copijs cum Rege Castellæ, ambo impetum fecerunt in Mauros: quibus repressis, fugatisque, atque ab illis erepta Valeria Carpetanorum vrbe antiquissima, nunc Cuenca dicta, Rex cum magna victoriæ laude Cæsaraugustam reuersus est. Vbi cum ex peruersa domesticorum prauitate, magnæ inter Regem & Sanctiam matrem discordiæ concitarentur; adeoque inter se dissiderent, vt nisi pro ea sæpè proceres intercessissent, è Regno penitus Rex illam expulisset; capta inde occasione, in Aquitaniam se contulit,

lit ad Alfonso fratrem Prouinciaz comitem, vt quas habebat cū comite Folchalcherio controuersias, componeret. Quibus patris Rex & Alfonso, florentis adhuc ætatis adolefcentes, moribusque, & ingenio similes; ac in libidinem proniores, ex foeminis, quas habet Prouincia eximiè pulchras, singulas sibi elegerunt, formosissimas quidem illas; sed neque stemmate inclytas, neque Regia ex stirpe (quales decet Reges) ortas: nihilominus tamen easdem in matrimonium propè clandestinum duxerunt. Quæ de causa Rex, ac etiam quod matre, & proceribus Regni non consultis, id fecerit, nuptias neque publicè, neque cum splendore, & sumptu coniunxit. Ex his nuptijs singulos quoque filios habuerunt; priorem Rex, cui Raimundi Berengarij, auitum nomen imposuit, qui protinus vna cum matre mortuus est. Alfonso autem habuit alterum, quem similem Raimundi Berengarij nomine donauit. Is patri postea in comitatu succelsit. Itaque Rex, vxore mortua, cum strenuus, valdeque honoris cupidus esset; quin & diues admodum, ob ingentem ex vectigalibus Regijs tunc asportatam pecuniam, Romam proficisci decreuit: quod magno cum apparatu, & sumptibus, multisque ipsum proceribus comitantibus perfecit. Nam ex Prouincia soluens, classe Genuensium portum tenuit; indeque Ostiam veniens, fluuio Tiberi inuectus, ab aliquot Cardinalibus, & Senatore, populoque Romano, in vrbem deductus fuit, atque Innocentium Pont. de more veneratus, in Vaticano, magnificentissimo hospitio etiam fuit à Pontifice acceptus. Perendino die, Præsentationi D. Mariæ dicato, summus Pont. in eodem D. Pancratij traductus, Regem solenni pompa vrbis à regionibus ouantem excepit. In ea Aede à Petro Portuensi Episcopo, & Cardinali, sacro oleo perunctus, Regium illius capiti diadema fuit à Pontifice impositum, ac regijs insignibus decoratus. Ex quo simul fidelitatis sacramento se, Pont. Max. atque sanctæ Romanæ Ecclesiæ adidit. Inde verò in Vaticanum reuersus, in sacello D. Petri, regijs insignibus depositis, & gladio Pontificis manu accepto, militiæ auctoramentum est professus. Hac ergo causa Regnum tributarium Ecclesiæ constituit, & ccl. Mahozemutinorum aureorum nūmorum tributum in singulos annos ab Aragoniæ Regibus conferendum

dum indixit: summa à se proposita mercede, quòd Pont. manu dia dema sumpisset. Ij nummi à Iucephio Mahozumeto iactati, nuncupatique, qui summum in Mauros Imperiũ in Hispania obtinuerat, singuli sex solidis regaliũ expendebantur & æstimabantur. Hinc Pont. priuilegium Aragonensibus irrogauit, vt ab Archiepiscopis Tarraconensibus coronæ in posterum Regibus Cæsaraugustæ imponerentur: modò cauerent, sed id Ecclesiæ præsisturos, quod à Rege sancitum fuerat. De qua re, mox proceres, populi que conquesti sunt, quòd ex libero Regno, & ab omni onere soluto, Rex stipendiarium constituerit. Quemadmodum hæc, aliæque pereleganter à Hieronymo Surita scriptore diligentissimo, in suis Annalibus Hispanis, & Indicibus Latinis, vnde sumpimus, latius fusiisque perscribuntur. Itaque solennibus coronationis celebratis, Rex in Prouinciam re nauigauit; atque Alfonso fratrem, iterum à comite Folchalcherio, renouatis controuersijs, oppressum liberauit; rebusque ibi compositis, in Aragoniam se contulit: vbi, sed Cæsaraugustæ potissimum, exceptus est cum triumpho. Interim verò à proceribus admonitus fuit, vt pro beneficio, & quiete Regnorum, de successione cogitaret; animaduertereque, ne amplius nuptias, nisi cum æquali, & se digna vxore coniungeret. Quæ cura Sanctiam matrem maximè omnium angebat: nam etsi Reges vndique filias illi Principes, vnà cum successione Regnorum collocandas offerrent; at illa tamen recusare cunctas, atque vnicam Mariam Mompellerij Principem, nuper mortuo Guillemo eius patre, legitimam Principatus hæredem relictam, exoptare sibi nurrum, ac filio vxorem adiungere nitebatur. Idque non modò propter tot illius coniunctas cum pulchritudine virtutes, vt fama erat; atque Imperatorio quoque sanguine perfusam stirpem; sed maximè omnium, propter nonnullum conscientiæ angorem, ob prærepta olim matri sponsalia; atque illatam tanti Imperatoris filix iniuriam; quam eiusmodi filiorum connubio compesandam, seu abolendam sperabat. Tametsi non defuerint, qui ad aurem Sanctiam admonuerint; suspitionis famam peruenisse de Maria, teneri eam alteri viro, secreto coniugio; duplicique partu filios illi edidisse. At Sanctia, vt erat magnanima, pertinaxque mulier; atque

atque imperiosa nimis; ac inchoato operi vehementer intenta, non modò admonentibus nullam dare fidem voluit; sed rem regi silentio imperauit; magisque instare cœpit; atque ipsos Regni proceres, ne rumore oborto, Regem à matrimonio auerterent, miris modis in suam sententiam pertraxit; disseminatis in vulgus rationibus, atque commoditatibus, quæ pro matrimonio facerent. Quamquam non multò post Sanctia, suæ quoque pertinaciæ, atque maturati coniugij Regis, non minimas pœnas dedit; renouatis pristinis odijs, atque disidijs cum Rege; quæ tandem sola morte Sanctiæ dirimi potuerunt. Itaque annuente Rege, proceres, vt Sanctiæ morem gererent, approbabant cuncta, atque pro matrimonio rationes, quas poterant, suggerebant: nempe quòd Mompelleriensis potentatus Regi ex matrimonio obueniens, magno foret vsui, atque præsidio, non solum Ruscinonensi Comitatu; sed etiam finitimis Alfonso fratris populis Prouincialibus. Ac insuper, quòd non parum splendoris Regio nomini Aragonum ex matrimonio accederet, ob Mariæ matrem, ad quam, mortuo Emanuele Imperatore, illiusque fratre Alexio successore, ab Andronico interfecto, ius omne Imperij, fuerat deuolutum; ipsoque iure posse Mariam Aragonum Reginam, dici Augustam, tanquam Augusti Imperatoris Constantinopolitani filiam, ac hæredem legitimam. Quamobrem consensu omnium, Petrus Mompellerium deductus, ibique ab effusa populi multitudine cum triumpho exceptus, celeberrimo matrimonio fuit cum Maria coniunctus. Vt iam non humano, sed diuino, quo geruntur nutu omnia, secutum fuerit, vt & Imperatoris iniuria; & eius filix contumelia, & Alfonso inconstantia, eiusmodi regalibus communium filiorum inter se nuptijs, omnino compensatæ fuerint, atque in integrum honos vndique restitutus. Sed quoniam nuptiarum fructus est soboles; iam de insperato, inopinatoque Iacobi conceptu dicamus. De quo profecto, inter illius & nostri temporis scriptores, varius est sensus, scriptioque satis cõfusa: alijs pauca, eaq. succinctè nimis, honestatis causa, vt historia Regis; alijs plura, variaque, nequid intactũ relinquunt asserentibus, in re quidem, cum Rege cõuenientibus omnibus, in modo tamen, atq. ordine, quo hæc gesta sunt, nonnihil inter se discrepantibus. Quapro-

Quapropter, quæ ex omnibus probabiliora, ac inter se conuenientiora visa sunt, sic in vnum contulimus. Maria igitur non multò post nuptiarum solemniam; vel quòd Rex de priori suspicatio illius matrimonio aliquid deprehendisset: vel quòd communis Mariæ cum matre fors fuerit; vel potius quòd Petrus vitio, quo fuit libidinis notatus, laboraret; passa est cum illo grauissima. Nam eam quidem Rex, fœminam alioqui pulcherrimam, & honestissimam, non modò spernebat, sed alienas effrænate concupiscens, sic auersabatur, vt ne cum ea concumberet, loca sæpè mutare consuefceret; ac si aliquando simul esse, atque sermones inter se palam conferre contingeret, à pulchrioribus Reginæ adolescentulis, siue matronis, oculos nunquam deijceret. Ex quibus in vnus potissimum perpulchræ, atque spectabilis viduæ personam, mentem, aspectumque omnem infixerat, quæ nuper, mortuo viro, à suis Reginæ commendata fuerat. Id præsentiens Maria, tristis admodum, ac valde anxia futurorum; seque videns sensim marito, & filijs orbari, ac vt matri olim, sic repudium sibi; necnon vnam ex suis pellicem parari; in oppidulum Mirauallum, secus Garumnæ fluuium, paruo distans spatio à Mompellerio secesserat; ibique loci amœnitate, patientiùs solitudinem ferebat. Sed cum absentia Regis indies sibi tendi ad repudium insidias pertimesceret; prius quidem Regem iocoso dolo capere, atque in ijs ipsis insidijs, quæ sibi à Rege parabantur, eundem intereludere curauit: occasione ad id oblata quàm commodissima, ab vno ex intimis Regis, qui eius nomine, viduam sollicitabat: Hunc, quem cum vidua clanculum in angulo triclinij colloquentem Regina deprehendisset adorta, submissa, sed adirata voce, sic est alloquuta. Sceleratissime omnium, vsque adeò tu me tædet, vt si scelus, quod nunc moliris, non plus in me, quàm in Regem committeres: profectò occubisses iamdiu, atque in ipsius Regis oculis, in quibus scio te esse, debitas mihi pœnas expendisses. Sed estò; placere Regi potius, quàm mihi vis, quanquam iniquè facis, placere quoque & ipsa Regi cupio, atque vt vult, ita morem gerere. Licere quippe mihi quod & Racheli vxori Iacob sanctæ licuit existimo; vt perinde atque hæc, præ amore viri, quos non poterat ex se à viro

liberos

liberos, saltem ex ancilla suscipiebat; sic ego regios, quos ex me nõ datur, ex mea quidem, tanquam ancilla, & perlibenter suscipiam, & cooptabo susceptos: modò verecundiæ, atque honori viduæ, vt scis, nobilissimæ consulatur: sicque in obscuro res geratur, vt neque ea Regem videre, neque à Rege videri vllò pacto possit: ac modò hæc à me dicta, tu, inquam, omnino supprimas; neque me huius facti auctore facias. Proinde cura; vt Rex ad nos veniat: nam si per te voti compos euasero, do fidem, maiorem te à me, quàm à Rege gratiam initurum. Quæ audiens ille intimus, qui Regi erat à cubiculis, gaudensque vehementer, tam subito ex adirata propitiam sibi fieri Reginam; necnon negotium Regi exoptatissimum ex voto confici; properè contendit ad pagum, Latesium dictum vbi Rex aderat, non procul à Mirauallo, ei que omnia renuntiat ordine, quo instructus, & subornatus à Regina fuerat. Rex verò hæc perquam lætus accepit: ac vel à cubiculario sollicitatus, vel à quodam optimato, quem historia Regis Guillelmum Alcalatensem vocat, multum rogatus, vt Mirauallum Reginam visurus concederet, sub nocturnum crepusculum eò venit. Vbi à Regina lætissime exceptus, eandem quoque ipse placido ac sereno vultu, dissimulandi gratia, allocutus est, & cum ea cœnauit. Verum à cœna quidem, huc atque illuc Rex circumspectans; minimeque viduam adesse videns, eò magis sibi præparari illam credens, ficto somno, eidem dari se velle, cubiculario indicauit. Vnde ingressus cubiculum, post multam noctem, vt primum somnus eum complexus est, Regina vera eius, atque iusta vxor, viduam se simulans, coniugalem thorum vnà cum viro suo castissimè ascendit: ac vbi diem esse sensit, antequam è lecto Rex surgeret, atque è pago, vt festinabat, discederet, aperiri fenestras, ac expectantem foris optimatem cubiculum intrare iussit, nempe testem huiusmodi conjugalis congressus sibi affuturum accersens. At Rex inde abiens, nihilominus auerso semper fuit animo à Regina, vsque adeò, vt diuortium non multò post, vt dicemus, cum ipsa fecerit. Sed interim diuino factum est munere, vt, ob præstitum matrimonio honorem, quamprimum Petrus ab vno ad aliud obeundum munus vocaretur, quod omnium ab eo gestorum, & præclarissimum fuit, & supra quam

quàm dici potest, gloriosum ac commemorandum. Nam è Miravallo veniens Barcinonē, literas accepit à Castellæ & Nauarræ Regibus significantes, innumerabiles Maurorum copias ex Africa in Hispaniam traiecisse, quæ Bæticis, Lusitanis, ac Contestanis adiunctæ Mauris, numerum ducentorum millium excederent; animo ut ferebatur, vniuersam Hispaniam denuo subigendi. Proinde quanta maxima posset celeritate, & copijs Toletum veniret, ut communi calamitati occurreret. Tum Petrus proceribus populisque omnibus, præsertim Catalanis cum tributo Bouatici sese illi ad proseguendum bellum offerentibus, exercitum ex Aragonia, Catalonia, & Aquitania, fortissimum cōparauit, peditum ad viginti millia, equitum ad tria millia & quingenta; & cum eo Toletum venit: ibique exercitibus Castellano & Nauarrensi adiunctis, fama est, peditum ad centum millia, equitum verò ad decem millia, censa fuisse. Vniuersi ergo simul Maurorum exercitum petentes, Mariano in saltu, ad conualles Tolosæ dictas, quo in loco se hostes continebant, acerrimum cum ipsis prælium commiserunt, tandiu planè dubium, atque anceps, quoad opera, & virtute Aragonensis exercitus, qui fuerat in postremis (ut Archiepiscopi Tolotani historia refert) ex dubia, certa parta est victoria; Petro Rege vulnere, non tamen mortifero, affecto. In quo prælio, constans est scriptorum opinio, caesa fuisse centum millia Maurorum, fugatis reliquis, eorumque captis ac direptis castris, cum opulentissimis Imperatoris Miramamolini tabernaculis. Quæ omnia liberalitate & magnificentia Regis Castellæ, inter socios Reges diuisa fuere: indeque vniuersa Hispania, diuina ope, è Maurorum tanquam faucibus erepta. Reges igitur in Aragoniam, & Nauarram remigrantes, summo cum triumpho excepti fuerunt. Interea Maria Regiam spem illam, quam in aluo commendatam à viro cōtinebat, promoueri studens; Deo imprimis, eiusque matri & virgini beatissimæ, ac per sanctis Apostolis, se, suumque foetum tota mente commendabat: ac non minus pietate erga illos, quàm charitate erga Christi pauperes prolixa, & liberalis erat, Regisque acerbiter, atque alienatam à se mentem, patientia euincens, seque ipsa consolans, spem suam omnem in nascitura prole collocabat: donec

expletis

expletis ad pariendum mensibus, multa, quæ ad fidem partus faciendam necessaria erant, præparauit. Itaque Mompellerium ingressa, in præclara Tornamirensium domo, ipso tempore partus, cunctos ciuitatis optimates cum vxoribus sibi adesse iussit. Vbi diuino opem ferente numine, natus est Infans, faustus ac perelegans, ipsa nocte Kalendarum Februarij, anno à virgineo partu, (ut historia fert Regis) supra octauum. M. cc. qui dies vigilia & ieiunio celebratur, propter consequentem beatissimæ Mariæ Virginis matris festum Purificationis; quando commune est vbi que Ecclesiarum, cereas candelas, ad sacra collustranda, benedictione consecrare. Itaque vniuersa acclamante, atque comitante ciuitate, infans illicò iussu matris, pro summa gratiarum actione, ad Virginis Aedem deductus est; quo tempore sacre peruigilationes, matutinae preces dictæ, fiebant; & ab vniuerso choro, magna & alta voce, hymnus, TE DEVM LAUDAMVS, cantari cœperat. Quo peracto, ad aliud ciuitatis Templum sancti Firmini portatus infans, similiter dum eadem preces fierent, diuina quoque sorte contigit, ut limen ingresso puero, canticum, BENEDICTVS DOMINVS DEVS ISRAEL, summa voce decantaretur. Quare ut eo ipso Purificationis festo, Christo nomen daret puer, dubitante Regina, cui nam ex Apostolis Domini, illius nomen imponendum commendaret; duodecim candelas cereas, æqualis ponderis atque magnitudinis, ex voto offerri Apostolis curauit; unicuique illarum proprium cuiusque Apostoli nomen adscribens; ut quibus simul succensiss, candela quæ diutius alijs præluceret, designatum huic Apostoli nomen puero imponeretur. Vnde alijs omnibus consumptis ac extinctis, prælucente Iacobe dicta, protinus in templum remeatum est, atque Iacobi nomen puero, tanquam à Deo impositum. Ut scilicet eius Apostoli Hispaniarum patroni nomine potiretur puer, qui Hispaniense Imperium, atque Christi nomen, tam longè lateque erat propagaturus. Quæ magni profecto Regis signa, Mariæ matri ac Regine in causa fuerunt, ad imitationem cœlestis Mariæ Angelorum Domine, ut obseruaret omnia mysteria hæc, atque mente secum conferret. Neque enim

B. ab eius-

ab eiusmodi collatione aberat, immo Herodianam quodammodo tyrannidem adumbrabat; quod sub ipsis crepundijs, atque in cunis vagiēti puero, lapis valde magnus vndeuis excisus, siue manu proiectus (fortasse ab aliquo qui regnare cupiebat) tamen diuina ope illeſo puero, vt regia fert historia, cunas cōfregerit: quodq̄ ex ſucceſſione, orta paulò poſt perſecutione in matrem, eaq̄ ſubinde Romam, vt in Aegyptum, abire coacta, nihil illa ſibi atrocius vnquam duxerit, quàm infantem tenerum, quadrimum, dimittere; et tanquam expoſitum, alijs educandum relinquere. Siquidem ab eo tempore, quo è Miruallo diſceſſit Rex, amplius vidiffe Reginam non inuenimus: quem neque feliciffimus Reginae partus; neque inuicta eius patientia, emollire potuerint, quominus ſimultates, quas ille eatenus cum Regina occultas gerebat, apertas ſuſciperet; atque cum ea tandem diuortium faceret. Nam eo vſque prouecta res eſt, vt eius cauſſa diuortij, ad ſummum Pontificem Innocentium III. delata fuerit: ſubmiſſis à Rege cauſſis: et quòd Maria, antequam ſibi nuberet, Conuenarum comiti in Aquitania nupſiſſet, ab eoq̄ duas filias ſuſcepiffet: et quòd eodem viro viuo, neque auctoritate Eccleſiaſtica à Maria ſeparato, ſecum illa contraxiſſet. Quibus adiecit etiam, Rex ipſe, quòd ante matrimonium cognouiſſet quandam Mariae cognatam. Cuius cauſſa cognitionē Pontifex, grauiffimis viris Eccleſiaſticis in Aquitania, re integra ſibi reſeruata, mandauit. Sed preponderante Regis potentia, atque in Mariae detrimentum inclinante cauſſa, Maria Pontificis auxilium implorare; eiq̄ iuſtas facti ſui cauſſas exponere decreuit; ſe videlicet, omnino coactam; atque parentis Guillermi minis territam, clandestino matrimonio cum Conuenarum comite fuiſſe iunctam; cum quo ipſa etiam cognatione cōiuncta erat; neq. ad contrahendum legitime, vlla fuit ab eis vnquā à Pōtifice facultas obtenta. Quin, et eſſe etiam compertum, eundē comitem, tempore cōtractus, duas publice ductas vxores viuas retinuiſſe; alteram Guillermam Barceſem; alteram comitis Bigeronum filiam; ex quibus et filios quoque habuiſſe. Qua facti veritate miſſa Romam: vt iuſtiores etiam denegandi diuortij cauſſas Maria Pontifici ad aurem ſuggereret; dimiſſo filiolo chariſſimo,

mo, Romam profecta eſt. Quam honorificentiffimè, atq. vt Reginam excipiens Pontifex, benigneq̄ audiens, re ad vnguem perpenſa, & examinata, de conſilio ſacri coetus Cardinalium, ſententia lata eſt; Petrum Aragonum Regem tenen. matrimonio legitimo & indiffolubili, cum Maria Guillermi Mompellerienſis Principis filia; publice; atque in facie Eccleſiae contracto; ac neque diſſolui illud poſſe; occaſione obiecta affirmatis cum cognata Mariae, quae minime probata fuit; neque etiā obiectione prioris matrimonij Conuenarum comitis cum Maria olim contracti, quod quidē nullum fuit; non modo ex eo quòd idem Comes, tertio cognationis gradu Mariae attinebat; ſed iccirco maximè quòd tacitis nuptijs, quas cum filia comitis Bigeronum ille iunxerat, ex qua et prolem ſuſceperat, ſecundas; illa ſuperſtite, cum Maria horum ignara iunxerit; ac neque vltimis, quas cum Rege coniunxit Maria; illa ſeſe oppoſuerit. Quae ſententia Romae, menſe Februario, Anni M. cc. xiiij. lata; atque in libris Decretalium (vt historia Regis affirmat.) poſita; ad Regem ab eodem Pontifice miſſa fuit, vnā cum benigno Reſcripto; ipſum piè adhortans, vt ſententiam à ſe; cum conſilio et matura deliberatione ſanctae Romanae Eccleſiae Cardinalium; adhibitis preſtantiffimorum totius Italiae Doctorum ſuffragijs, latam; deq. matrimonio Mariae Reginae pronunciatam; ipſe firmam; maximeq̄ ratam haberet, bonique conſuleret. Quandoquidem ad eius animam et conſcientiam pacandam; omnino prolata illa fuerit: totq̄ etiam ſedandas populorum commotiones; quae facile ad perturbanda ipſius Regna inde exoriri poſſent: maxime verò ob honorem Mariae ſceminæ Chriſtianiffimae reſtituendum; & vtriuſque pignus chariſſimum, prolem ſcilicet inclytam Iacobi Infantis cohoneſtandam: cuius certè ſucceſſione, magna in Regno illius pax et tranquillitas conſecutura videantur. Nec dubitandum, diuini fuiſſe numinis, eiusq̄ nutu factum, ex tot perturbatis, varieq̄ diſtractis rerum negotijs, optimum atque inexpectatum finem ſubiſſe, et tanquam ex malo bonum elicuiſſe. Cui ſententiae, Pontifex dubitans, ne forte Rex obedire recuſaret; Carcaſſonenſi, & Auinionenſi Episcopis commiſit, vt Regem per cenſuras Eccleſiaſticas

stias; appellatione quavis remota, ad obediendum compellerent. Verum Rex, inueterata obdurefcens pertinacia, in proposito permansit. Quamobrem Maria, ne forte quid detrimenti à Rege acciperet, atque vt rei exitum tutius inde videret, Romæ se continere decreuit, quoad alterutrius obitu, tot, tantisque malis finis imponeretur: necnon vt contestata cum Guillermo fratre Romæ lis de successione, & hæreditate Principatus Mompelleriensis, de quo paullo supra diximus, Pontificis quoque decreto finiretur: prout idem Innocentius Pontifex, de eo sententiã protulit; esse Guillerum Guillermi Mompelleriensis Principis filium, tanquam spurium, neque ex iusta, legitimaque vxore natum, ab vniuersa successione & hæreditate paterna repellendum; eiusque sororem Mariam tanquam vnicam ipsius Guillermi filiam, ex iusta, legitimaque vxore natam, hæredem vniuersorum; atque in primis in Principatu succedere: Ideoque Iacobo Principi, vti vero filio, legitimoque hæredi Mariz Regina Aragonum, eundem Principatum successione adiudicari. Quæ sententia Romæ prolata fuit, atque ita liti finis impositus. Dum hæc geruntur Romæ, Petrus quorundam impulsu, atque furis agitatus, tanta flagrabat ira in Reginam, vt Iacobum puerum communem filium, illius caussa despiceret, neque regio ipsum more educari curaret; sed quasi alienum, neque haberi coram permetteret. Tametsi ea sub ætacula puer, tum specie ac dignitate oris, tum habitu & statura corporis, mirificam, atque permagnam Regiz magnanimitatis spem afferebat: cumque cunctis mire conspicendus, atque amabilis esset; Regi tamen minime erat in oculis, sed in odio propemodum. Ne quis existimet naturæ affectum adeo dominari in parentibus, quin possit ille præoccupari odio & ira, ex falsa animi etiam persuasione conceptis. Quod intelligens Symon Monfortius comes Carcassei atque Belsiani oppidorum eiusdem Aquitaniz, non longe à Mompellerio, vir etiã bello, & pace strenuus ac per insignis; necnon Regi intimus, satisque obligatus, propterea quod gratia & precibus Regis, idem Pontifex ipsum comitatum cum alijs oppidis, beneficiario iure (fœudum vocat), Monfortio cõcesserat; puerum cõmiseratus, Regem precatus est, vt illum apud se ma-

se manere, ac educari sineret: curaturus omnino, vt Regis moribus, honestisque institutis imbueretur ille; atque vt talem decebat Principem, ab infimis atque sordidis abstineret. At Rex fortasse cogitans velle Monfortium adoptare sibi filium, eumque iunctis nuptijs sua cum filiola successorem relinquere, facile ab se abduci permisit. Sed proh Deus bone, ei pater filium educandum commisit, qui se breui, intraque annum, commisso prælio, in acie erat oppressurus. Erat autem Monfortius bellator maximus, atque Dux magni nominis, ab eo tempore potissimum, quo idem Pontifex coactis copijs, magnum exercitum comparauit, eique Monfortium præfecit, ad inferendum bellum comitibus Tolosano, Foxensi, & Conuenarum, tanquam fautoribus hæreticæ factionis Albigenis, quæ nuper orta ex Albi vrbe Aquitana, Manichæorum, Arrianorumque simul, & Vualdensium turpissimos ac nefandos errores suscitabat. Quam hæresim indies accrescentem, impugnavit summa concionum contentione beatus Dominicus Hispanus, tunc Canonicus regularis sancti Augustini; post verò clarissimi, religiosissimi que ordinis Prædicatorum parens & conditor; quoad in celeberrimo Concilio Lateranensi, ab ipso Innocentio Pontifice, Romæ anno Domini 1215. congregato, concurrentibus duobus Patriarchis, Constantinopolitano, et Hierosolymitano, quadringentis Episcopis, septuaginta Archiepiscopis, vnâ cum vndecim Generalibus ordinum, necnon octingentis Abbatibus, et Prioribus Monasteriorum; præter Legatos omnium Principum, et Regum Christianorum, hæc ipsa hæresis damnata est, vnâ cum comitibus Tolosano, et Foxensi eiusdem hæreseos fautoribus. Quos etiam suis comitatibus, et oppidis omnibus priuari voluit sancta Synodus, ac Fisco Ecclesiastico applicari: ideoque Monfortio strenuo in debellandis illis duci, atque protectori fidei præstantissimo, potentatus illos regendos et gubernandos tradidit. Quibus in potestatem redactis, Monfortius omnium Aquitaniz Principum potentissimus haberi, atque idcirco non modo timeri; sed Regi etiam, ex eo quod Tolosanum eius affinis comitatum occuparet, infensus esse cœpit. Quibus accessit,

quod à Carcaſonēſibus, & Beſianis populis, quos obtinebat Monfortius; in Regis contumeliam, ſive ludificationē eſt geſtum. Ut potè qui fraudulentè de Monfortio conqueſti ſunt apud Regem, quòd eos illè acerbè nimis; atque tyrannicè tractaret; præcarique ſubindè Regem, ut ipſos in ſuam tutelam acciperet; atque ab illius manibus eriperet: ſe enim illico in eius potèſtatem abituros. Id creditum eſt, arte fuiſſe à Monfortio factum, ut tentaret Regis animum, an forte poſtulatſ populorum annueret: ut oblata ſibi inde occasione, à Regis amicitia diſcederet, quem intelligebat, Folofano comiti, ac lorori, auxilium ad recuperandum comitatum implorantibus, ſuppeticas ferre velle. Nam adueniente Rege, ut populorum arces, atque munita loca caperet ad ea protegenda, occurrebat vulgus promiſcaum, temereque iactabat, ſe ſuaque omnia pro eo impenſurum: idque ſufficere ad eorundem ſuſcipiendam deſenſionem: Iamque huiusmodi ſimulatis verbis, ſimul etiam occurſu ſceminarum pulcherrimarum, quarum conſuetudine delectari Regem ſentiebant, cum tympanis et ſyltris, tempus, ne ſe illi darent, conterebant; ſicque Regem à propoſito, et progreſſu deducebant. Qua populorum cognita ignominia, et ludificatione; atque Monfortij industria id factum Rex exiſtimans; iam non occultas, ſed apertas cum Monfortio inimicitias ſuſcipere decreuit. Quibus occurrens Monfortius (ut Regis hiſtoria ſignificat) ad oppidum Murellanum agri Carcaſonēſis, cui propinquus erat Regis exercitus, ſe contulit; mille ſecum lectiſſimis leuioris armaturæ equitibus adductis. Id Rex intelligens, ſua quoque caſtra mouit; exercitu quidem, non tamen bellandi arte ſuperior Monfortio; quem ubi in oppido ſe continere intellexit, obſidere illud, atque Monfortium vi capere ſtatuit. Id animaduertens Monfortius, atque magno in periculo verſari ſe videns, inducias à Rege petijt, ſeſeque ei honeſtis conditionibus tradere tentauit; Regiam potius experiri clementiam deditione, quam armis ſuam, Regisque fortunam prouocare malens. Sed pacta et conditiones abnegante Rege, ac præ ira exercitum ad expugnationem oppidi, celerius quam par erat, admouente; neque expectatis quibuſdam optimatibus Catala-

nis,

nis, qui cum magna militum manu, ſequenti die in caſtra venturi erant, impetum facere decreuit. At verò Monfortius non tam ira, quam deſperatione rerum ſuccenſus, ſeque minimè obſideri paſſus, ſuos benè cohortans milites, proteſtatus eſt etiam, ſe Regi ſummiſſiſſe, atque omnia pacis compendia pertentari, ne armis cum illo pugnaret. Verum neque profeciſſe quicquam cum obſtinato Rege, neque ſine ſummo ſui dedecore à prælio abſtinere poſſe. Idcirco Deo, & ſanctis, ſe, ſuosque commendans, atque ut erat ſolitus in aggrediendis hoſtibus, ſanctiſſimum Chriſti corpus in alimentum animi, vnà cum alijs ſumens, oppido egreſſus, cum vniuerſo equitatu petit Regis exercitum, qui obſeſſurus oppidum ſeſe in alas extenderat, eamque partem ubi verſabatur Rex, apertam, & quaſi deſertam reliquerat. Vnde cognito Regis vexillo, quocunque Rex graditur præferri ſolito, Monfortius aciem inſtruens, conglobato agmine, vexillum petit: ſuis antea dato ſigno, ut nullos, vel ſupplices, vita donarent; ac nedum proceribus, alijsvè exercitus primoribus; ſed ne Regi quidem parcerent. Ex quo antequam Regij, qui diſperſi erant, in eam partem, in quam Monfortius impetum fecerat, ſeſe ad propugnandum pro Rege colligerent, vniuerſos, qui in cuſtodia Regia erant, vnà cum ipſo Rege, ad vnum interfecit. Sed ubi increbuit rumor in caſtris, Regem occubiſſe: illico ſe omnes fugæ dederunt. Quo facto, Monfortius receptui canens, intactis caſtris, atque à direptione abſtinens, cum vniuerſo integro ferè equitatu, in ſua ſe oppida recepit, mœſtitiãque præ Regis obitu, victoriæ gloria ſuperavit.

(?)

B 4 BER-

BERNARDINI GOME-
SII MIEDIS, ARCHIDIACONI

SAGVNTINI, DE VITA ET REBUS

gestis IACOBI primi Regis Aragonum,
cognomento expugnatoris.

LIBER II.



MORTVO Rege; proceres atque reliquæ
exercitus in castra reuertentes, illius cadaver
planctu & ciulatu magno, humo sustulerunt;
illudque Hospitalarijs equitibus sancti Ioannis
Hierosolymitani, quorum ordini Rex castra
oppidaque multa dono dederat, honorificè, re-
gioque more, sepeliendum tradiderunt. Quod ipsi magna pom-
pa humeris gestantes, in cœnobium Xixenense; quò Sanctia ma-
ter ingressa olim, & sacris initiata, non multò antea obierat, ma-
gnifico structo sepulchro condiderunt; iusta illi, cum sacro no-
uendiali, sumptuosa nimis, & lamentabilia reddentes. Itaque in-
testato Rege, cum perturbata & confusa essent omnia, Nunnius
Sanctius, vnus ex primatibus Aragonensibus, prudentia & virtu-
te præstans; vnà cum Guillermo Moncada Vicecomite Cardo-
nensi, penès quos summa exercitus erat, ac nonnullis alijs Arago-
niæ, Cataloniæque proceribus, ne ex interregno maior oriretur re-
rum perturbatio, cresceretque subinde Regnorum in partes distra-
ctio, successionem Iacobi filij maturandam curarunt. Nam etsi se-
cessio illa Regis à Maria Regina, sententia Pontificis damnata erat,
atque pronunciatum, nuptias à Rege iure contractas esse, ipso to-
men sententiæ minime optemperante, plerique adhuc de ea re
ambigebant. Qua de causa, ac etiam quòd Rege intestato, San-
ctius qui Alfonso Regis frater natus minor erat, ac testamento Rai-
mundi Principis patris, decedente Alfonso, ad successionem in Re-
gna vocatus: quique huius rei causa, se comitem Ruscinonensem
appellauerat: tum & Ferdinandus Petri Regis frater germanus,
qui

qui monachatu, regnandi spe, abdicato, in magnam ambo occu-
pandi Regni spem venerant, iam non obscure, sed palam machina-
ri multa cœperant; quibus rebus plerosque populos ad se pellicie-
bant. Vnde proceres, consilio habito, protinus Iacobo puero
Regnum deferre statuerunt; maioribus coactis copijs, bellum
in Symonem Monfortium renouare parantes. Idque non tam
vlticendi Regis, quam Iacobi recipiendi gratia, quem Monfor-
tius, & Pontificis iussu, & permisso Regis, educandum suscepe-
rat. Quod præsentens ille, paullo ex victoria iam factus insolentior,
maiori comparato exercitu, sese defendere, vnaque Iaco-
bum retinere cogitauit. Sed proceres lento eum bello incessere
statuerunt; quoad à Pontifice, precibus Mariæ Romæ agentis, le-
gatione missa, impetrarent, Monfortio tam multis ei beneficijs
obstricto præciperet, vt Iacobum paternis Regnis præficiendum
proceribus restitueret. Hanc legationem libenter susceperunt Si-
menius Cornelius, Guillermus Ceruera, & Petrus Ahonesius,
Aragonis, & Cataloniæ primates, ac etiam Guillermus Monre-
donius magister equitum Templariorum; potestate data, vt si
Monfortius Pontificis imperata facere recusaret, bellum grauissi-
mum, audiente Pontifice, in illum promulgarent: ac, vt moris e-
rat, pro belli semente iaciendo; à Petro Ahonesio, vno ex lega-
tis, ad singulare certamen ille, prodicionis, perfidiæque nomine,
incusandus prouocaretur. Verum qui legationem hanc impen-
sius, quam alij sollicitarunt, fuere Hispanus Pontifex Albarrazi-
nensis; & Petrus Assagra eiusdem vrbis dominus; vt Sanctij, &
Ferdinandi factionibus, Iacobi restitutione festinata, occurre-
rent; quas illi, cupiditate regnandi, maximas excitabant, Regnaque
in partes diuiserant. Itaque legati multorum dierum viam pro-
gressi, ac cum amplissimo comitatu Romam peruenientes; statim
lugubribus induti vestibus, honorificè (vt agi solet cum legatis)
ab vniuerso populo excepti fuerunt. Ac primò quidem ad Ma-
riam Reginam, perinde vt dominam, Regios ei honores exhi-
bentes venerunt, cui legationis suæ causam exponentes, deque Re-
ge viro fœtissima; de Iacobo filio, saluo & incolumi prospe-
ra; de cæteris verò rebus multa imminetia Regnis mala, nisi è
B s Mon-

Monfortio recuperetur puer, nunciarunt. Vnde, intercedente Maria, ad Pontificem introducti sunt, ad quem valde mœsti, & lugubres cum venissent, Senato ipsis dato, ac potestate dicendi facta, Templariorum magister eloquentia præstans, ac notus antea Pontifici, legationem suam sic renunciauit. Funestum atque lamentabilem Petri Regis nostri fortissimi, inuictissimique interitum, atque adhibitam in eum sæuitiam, nunc sigillatim enarrare, diuine Pontifex, neque lachrymæ, lugubresque lamentationes nostræ sinunt; neque beatitudinæ tuæ, cui nota antea, acerbaque fuere omnia, honestum est, infandum modo dolorem renouare: nisi quòd, vt paucis accipias, Symon ille Monfortius, cui Rex tot, tantaque bona, rogatu suo, à beatitudine tua impetrauit; adeoque carus ei fuit, vt Iacobum filium Principem nostrum eidem educandum commiserit; ex familiari & intimo, subito factus hostis, & perduellis crudelissimus, collatis signis, non solum Regium exercitum aggredi ausus est; sed ipsum Regem à te olim, cum Regio diademate insignitum, tum tuis sacrosanctis quasi consecratum manibus, furore plusquam effrenato, interemit. Cuius, atque multorum procerum internecone, ita vniuersa res est perturbata; atque ob intestatum Regem, dubiamque inde successionem, Regna in partes diuisa, vt nisi occurratur protinus, nullum non ex interregno detrimentum sit Respub. acceptura. Idque partim Sanctio patruo, & Ferdinando fratre Regis, ab intestato successionem sibi arrogantibus; partim proceribus cum exercitu, & maiore parte Regni, Iacobum successorem sibi deposcentibus: cum Regis olim secessio à Maria felicissima Regina nostra, quam illi obijciunt, iustissima beatitudinis tuæ sententia damnata fuerit, atque pro matrimonio pronuntiatum. Caput igitur atque legationis nostræ summa, hæc est: vt Iacobum Principem nostrum paruulum, à Monfortio retentum, statim restitui iubeas proceribus Regni, Regno præficiendum, antequam ille bello à nostris secessisset; ac timens fore sibi à Iacobo, & proceribus Regij sanguinis vltionem parandam, in partes Sanctij & Ferdinandi ad perdendum puerum secedat. Scimus enim Monfortium tot, tantisque à beatitudine tua fuisse muneribus, beneficijsque

cijsque deuinctum; vt dubium non sit, quin statim ille iussis tuis obtemperet: alioqui communis est procerum sententia, vt non modo atrocissimum eius oppidis bellum inferatur: verum vt à Petro Ahoncio Aragonensi optimato, qui præsens, ac collega noster est, ad singulare certamen prouocetur, vt perfidiæ, ac rebellionis redarguatur. Sed quoniam multo maiora mala, adeoque manifestam regni eersionem, cum detrimento Iacobi, ex bello sequi posse putamus: tuum erit pater beatissime, pro ea, quæ tibi à Christo iniuncta est pacis in Christianum gregem inductio, restitutione Iacobi, tot imminentia incommoda & detrimenta à nostra Republica auertere; vt pro tuis maximis collatis in gentem nostram beneficijs; & perpetuam beatitudinæ tuæ felicitatem precemur; & sacrosanctæ huic Sedi fidelissimam regnorum obedientiam, nunquam defuturam, exhibeamus. Peracta oratione, legatos benigne consolatus est Pontifex; vehementer, se condoluisse asserens, audito pertristi nuntio de miserando Regis interitu, viri utique strenui, ac fortissimi; vt qui ab hostibus circumuentus, à suis verò derelictus, mori potius, quam turpi fugæ, se dare decreuerit: non nihil tamen culpæ illius contumaciæ, atque secessioni à Maria coniuge per sancta, attribuens. Sed honorem mortuo, quem viuo forte negasset, se omnino facturum, atque Iacobi Principis restituendi, summam curam gesturum promisit. Quin & regni proceres commendauit, ob præstitam Iacobo obedientiam: bonoque illos animo esse iussit. Non enim se illis, re, & opibus defuturum, quoad Iacobus in pacificam regni paterni possessionem veniat. Tandem commendato regnorum obsequio erga Romanam sedem, atque legatorum patientia & labore itineris multum collaudatis; ipsos paululum Romæ, quoad mandata acciperent, iussit consistere. Interea Petrus Beneuentanus Diaconus Cardinalis à Pontifice antea missus, in Aquitaniam venerat, ad tot illius Prouinciæ turbines ac tepestates pacis sedandas, quæ nuper exortæ fuerant ex calamitoso, & exitiali bello, quod Albigensis hæreseos sectatoribus, horumque fautoribus, illatum fuit à Symone Monfortio Pontificij exercitus duce; vel potius ad ea, quæ in Concilio Lateranensi, de quo supra diximus, contra dictam hæresim de-

liberata sunt, legationis munere exequenda. Qua de causa Cardinalis, Concilium Mompellerij prouinciale indixit: conuenientibus Narbonensi, Auxitano, Ebrunensi, Arelatensi, & Aquensi, Archiepiscopis, viginti octo Episcopis, alijsque quamplurimis Abbatibus, & Prælatibus Ecclesiarum totius Prouinciæ. In quo inter alia decreuit Synodus, vt ciuitas Tolosana, vniuersusque eius comitatus, & iura, quæ paulò antea, damnato illius comite in Lateranensi Concilio, tanquam fautore hæreseos Albigenis, Ecclesie adiudicata fuerant; atque strenua Symonis Montfortij exercitus Ecclesiastici præfecti opera, in illius potestatem redacta; eidem Montfortio, pro tantis erga Romanam sedem promeritis, beneficiario iure donarentur, & modò summi Pontificis, atque Sedis Apostolicæ id decreto confirmaretur: cuius stabiliendi gratia, Archiepiscopus Ebrunensis Romam à Synodo missus est. Vnde Pontifex audito decreto Concilij Prouincialis, atque donatione comitatus Tolosani, tam iustis causis Montfortio facta, eandem confirmauit, & ratam habuit; modò mandato Synodi Iacobus Princeps, Petri Regis Aragonum filius, qui à Montfortio in custodia tenebatur, proceribus ac exercitui Aragonensium & Catalanorum liberè restitueretur. Promittente Ebrunensi Archiepiscopo, illico Pontifex legatis procerum venire iussis, literas dedit, eosque cum Archiepiscopo dimisit. Quibus Mompellerium regressis, pacto & confirmatione renunciatis, Montfortius obtemperare se velle dixit, ac protinus vnà cum Legato Cardinale Carcassonem profecti sunt, vbi biennio retentus fuerat Iacobus; indeque ab eisdem honorificè deductus Narbonem: quò iam multi proceres cum vniuersis legatis ciuitatum & oppidorum Cataloniæ conuenerant: à quibus legatus, fide publica accepta, de fidei custodia; & tutela præstanda, Iacobum eis tradidit, annum iam sextum habentem. Venit etiam vnà cum Iacobo eius patruelis Raimundus Berengarius filius Alfonsi, relictus hæres comitatus prouincialis; cuius hæreditatis gratia Berengarij nomen habuit: cumque sex fere annos ambo nati essent, simul educati sunt. Itaque Iacobo vnà cum legato Cataloniam ingresso, per oppida & vrbes lætissimè, atque cum magna acclamatione & applausu deuectus

uectus est. Vbi multa, quæ pacificum Iacobi ingressum impedire poterant, consilio & auctoritate Legati expedita sunt, & prudenter composita. Iamque Barcionem venientibus, nobilissima & potentissima ciuitas, splendore & magnificentia, quibus solet Reges, Iacobum excepit. Quò etiam ab extremis Aragoniæ finibus promiscua multitudo hominum venerat, Principis visendi gratia. Vbi consilium fuit Legato & proceribus, vt pro comuni re, ac commoditate Aragonensium & Catalanorum, conuentus publici à Iacobo indicerentur. Illerdæ, vrbe antiqua, & illustri Cataloniæ, quam Sycoris aurifer alluit fluuuius, atque fertacitate propinqui Vrgellitani agri, frumento abundantissima. Quam ingrediens Iacobus, ab effusa multitudine magnificè exceptus fuit: atque in primis, sigillis, bullisque ad consignanda diplomata & tabellas mutatis, vt moris est regnare incipientibus, conuentus initi sunt; præsentibus Legato, & Asparago Barcino, Archiepiscopo Tarraconensi, Regis etiam cognato, cum alijs vtriusque Regni Antistitibus; quin & proceribus, & regulis, ac oppidorum procuratoribus; exceptis Sanctio & Ferdinando, qui in dissensionibus procerum, atque inde ortis discordijs, omnem spem collocabant, ad ea, quæ de successione inter se moliebantur exequenda. Sed Legato modis omnibus procurante, in conuentibus id potissimum obseruatum fuit, vt elata voce, nec non sublati in altum dextris, omnes iusiurandum, fidemque publicam, Iacobo, quem ipse Asparagus Archiepiscopus vniuersis sustentabat, tanquam vero Principi, ac domino darent; neque ab eo discessionem facturos se vnquam promitterent. Quod iusiurandum nunquam antea dari solitum, lege sancitum fuit, vt Regibus in possessionem Regnorum venientibus, ab omnibus præstaretur. Deinde perspecta tenera, nec ad regendum apta ætate Iacobi, & ad eius maxime tutandam & conseruandam vitam, curarunt, vt Guillermo Monredonio Promagistro equitum Templariorum vtriusque Regni, quem paulò ante ostendimus legationem Pontifici renunciasse, Iacobus custodiendus daretur: viro vtique optimo ac prudentissimo, vsuque, & exercitatione maximarum rerum prædito: à quo & generosis imbui moribus Iacobus, & armis potissimum

mum belliq; rebus instrui posset; quod omnia tunc essent posita in tutela & praesidio bellicae virtutis. Neq; Sanctio, & Ferdinando id munus ad se spectare contendentibus, à Legato, maioriq; parte procerum permissum est: quinimo eò magis Regis excubiz, eiusq; custodiae capitis, eidem Monredonio, data fide, commissae fuerunt: atque in arca Montionis amplissima, munitissimaq; , Iacobus Regis praesidio custodiendus positus; vna cum eius patruale Raimundo, annum etiam nonum agente. Demum custodia durante, Sanctius Regni Vicarius constitutus est. Interea Roma Maria Regina tot antea conflictata malis, atque à Rege viro, & à fratribus in eius rem, honorem, & famam impiè conspirantibus, iniquè diuexata; diuinà tamen ope, atque innocentiae praesidio defensa, cum esset aetate prouecta, mortua est, Honorio Pontifice, cui valde commendauit Iacobum Principem filium, quem Mompellerij Principatus haeredem instituit; eiq; , intestato mortuo, Mathildam, & Petroniam filias, ex comite Conuenarum antea susceptas, nulla de sputijs fratribus mentione facta, testamento substituit; & quia viuens, ob insignem eius pietatem, religionem, vitaeq; integritatem, magno, regioq; semper in honore fuit apud Pontifices; mortuae ab eisdem honores quoque regij facti sunt; iustaq; funeris, cum sacro nouendiali honorificentissime perfoluta, eiusq; corpus in Vaticano, maximo Diui Petri templo, prope sepulchrum beatae Petronillae (regia testante historia) conditum fuit. Deinde Pontifex annuens votis Mariae, Iacobum eius filium Regem, Aragoniae Regnum, atque Cataloniae, & Mompellerij Principatus, ac quaecunque Regi bona in posterum accrescerent, sub beati Petri, suiq; praesidij tutela suscepit. Ac insuper Bernardo Cardinali, Apostolicae Sedis in Aquitania Legato, per literas mandauit, vt Iacobum Apostolicae Sedis clientem, ipsiusq; Regna & bona omnia defenderet. Ex quo ille Consilio Regis, aetate pueri, primarios administratos praefecit, Aspargum Tarraconensem Antistitem, Symonem Corneliu, Guillelmum Cerueram, & Petrum Ahonesium primates tum Aragonenses, tum Catalanos. Caterum, Iacobo Principe Montionis in arce retento, magna indies sequebatur, non regnorum modo, sed populorum,

rum, vulgariuq; hominum in partes diuisio. Quin & ararij consumptio tanta erat, vt ne Iacobo quidem illud alendo sufficeret: quod Petrus olim suis profusissimis sumptibus, atque largitionibus, regium prope patrimonium, ac ararium consumpserat: ipsaq; vectigalia regia, Iudaeis, atque Publicanis magna ex parte oppignerata erant. Ex quo Magistratus, alijq; à Regibus constituti Iudices, stipendijs, suisq; honorarijs fraudati, munera sequi omnes, atque venalia omnia habere coeperant. Quo animaduerso, Catalani optimates facile populis persuaserunt; vt Bouaticu tributum à Regibus initio Regni exigi solitum, penderetur, sic dictum, quod pro bouum iugis, singulisq; pecudum & armentorum capitibus soluebatur: quale fuit ter Petro Regi pensitatum: primò in sumptus bellicos aduersus Mauros Carpetaniae; atque iterum in expeditionem sacram contra eosdem, ad Tolosam conualles, Vbedesi praelio: Tertio in auxilium dotale, quo idem Rex tres sorores in matrimonium collocauit: quorum tamen nullum fuit cum praesenti necessitate, atque exigendi causa comparandum; vtpote quod Regi quasi redimendo, impendendum esset. Nam & ipse Sanctius praefectus, atque Regni Vicarius, cuius animus totus erat in accumulanda re, & perdendo Iacobo; quamcuq; Regni iacturam, suam ad illud occupandum occasionem putabat. Sed quanquam Sanctius, & diuturna custodia Iacobi, & largitionibus, multos ex proceribus in suam partem pertraxerat; eiusq; fratris filius Ferdinandus, similia per se quoque moliretur vsque adeò, vt in eos maior iam procerum pars, seu factio contentiosa ferretur: non defuere tamen, qui Iacobi partes constantissime tuerentur; atque Bouatici in alimentum Regis exacti subsidio freti, arma pro eo sumerent: In primis Petrus Cornelius, et Vallesius Antillonius Aragonenses, satis spectatae fidei iuuenes, atque nobilitate bello virtutis. Quos Simenius Cornelius prouectae aetatis homo, atque inter optimates consilio et opibus mirè praestans, cum videret tam bono erga Regem animo affectos esse; diligenter admonuit, vt in proposito susceptoque consilio praeficiendi Iacobu Regno permaneret: verumq; ac legitimu Regni successore ipsum reciperet: vt Regnu ab impendenti tyrannide, sua dex-

tra liberarent. Nam ex factis, vitæque vsu Sanctij, atque Ferdinandi, facile poterant colligere, alterutro ex ipsis Regnum occupante, euasuram inde subito tyrannidem intolerabilem. Vnde necesse omnino esse Iacobum è custodia educere, antequam altera ex factionibus illum ad perdendum præriperet: quod tacitè iam iamque à Sanctiana procurari sentiebatur; ideoque Rege in libertatem asserto, atque oblato populis, factiones, quasi nebulas occurrente Sole, facile dissipari posse. Idque haud dubium fore cõclusit, recenti exemplo Raimundi patruelis Iacobi, è custodia erepti, atque in prouinciam, vbi perturbata erant omnia, feliciter ingressi. Quippe per id temporis commota prouincia, quidam è proceribus inde ad Raimundum cum Iacobo in arce detentum scripserat, perdita esse omnia, atq. funditus pessundari eius Rempub. nisi aduentum maturaret. Proinde acceptis literis, illicò sese è custodia eriperet, atque eodem nuntio duce, Tarraconem peteret; esse namque Salonio in portu paratâ ei nauem actuariam, quæ properè ipsum in prouinciam deduceret. Quo nuntio lætatus Raimundus, quem malè etiam habebat custodia, Iacobo literas ostendit, deque itione sua consiliũ petijt. Cui Iacobus, qui simili quoque abeundi desiderio flagrabat, ipsum animare cœpit, proque illius meliori statu rerum, ac Reipub. incolumitate, nihil non tentandum esse consuluit. Nam & consuetudinem, inquit, quæ mihi tecum iucundissima intercedit; cuius & priuatione angor vehementissimè, publico prouinciæ tuæ bono posthabendam puto. Itaque ante duos menses, quàm Iacobus educeretur, Raimundus sub noctis crepusculum, mutatis vestibus, vnâ cum Petro Angerio eius alumno, præeunte nuntio, Ilerdam prætereuntes, in portum deuenere; vbi conscendentes nauim, secundo vento, Malsiliã apulerunt: cuius præsentia Principis protinus pacata fuere omnia, & in possessionem Comitatus magno omniũ consensu venit ipse. Quæ Raimundi fuga, vt primum Sanctio innotuit, illicò eius animum vehementer percussit, quòd crederet Iacobum similiter è custodia erupturum: ideoque paruo comparato exercitu, hunc in insidijs prope Montionem collocauit. Itaque Simenius Cornelius cum ipsis Petro, & Valleio, atque meliore, & faniore parte proce-

procerum Ferdinandz factionis, quæ odio Sanctianæ insolentiæ, paulatim in partes Regias abire cœperat, Monredonium Templariorum Promagistro equitum conuenerunt Montioni; eique tot in dies pullulantia Reipub. malâ, atque excrecentem Sanctianæ factionis potentiam ad perdendum Regem intentam, renuntiarent; neque uitari tot posse pericula, nisi oblata populis præsentia, atque amabili vultu Regis. Proinde Regem è custodia educeret; paratam enim, se, magnam militum manum habere, ad ipsum non solum excipiendum, & defendendum, sed vel per medios hostes inuehendum, ac in Oscensem, & Cæsaraugustanam vrbes incolumem deducendum; vbi populis imperiosa procuratione Sanctij, offensi, ac rursus præsentia Regis confirmati, cum eo facile consentirent. Hæc vbi à Monredonio audita, Regi relata fuerunt, animosè respondit Rex, se promptum esse ad ea omnia, quæ à proceribus deliberarentur perficienda. Itaque eductus è custodia & arce, vbi triginta menses continuos exegerat, cum bonam puerilis ætatis suæ partem in labore, inopiæque, ac patientiâ & animi & corporis maxime exercuisset. Sed postquam Sanctio renunciatum est, opera & industria procerum, atque Ferdinandz factionis, quæ interim ad Regem defecerat, eius exitum è custodia fuisse procuratum; non amplius obscura, sed aperta in Regem similitate & odio fuit; atque multis coram astantibus, de Rege, deque ipsum sequentibus proceribus loquens, in hæc magna de se verba prorupit: Audio Regem, me inuito, atque inconsulto, contrariaque factione iuante, è custodia educi, iamque Cinga fluuio traiecto, Aragoniam intrare velle; do fidem futurum; vt quacunque ierit, per contratum panno murice tincto iter; ipsum cum suis affeclis abiturum: significans scilicet, à se illos enecandos, eorumque sanguine viam, qua irent perfundendam. Quæ verba, vt primum egredienti Regi Montione, & fluuium trananti relata fuere: ac etiam quòd Sanctius paruo inde spatio, in oppido Selga, magna militum manu munitus, pugnaturus expectaret; subito quasi furore percitus, cum annum dumtaxat nonum haberet; sed proceriore quàm ferret ætas corpore esset, ab equo desiliens, militare sa-

gulum ab vno ex equitibus accepit; tantaque animi magnitudine sese ad pugnam composuit, vt protinus ad hostes pergr̄i iusserit. Verum Sanctius, seu conscientia, seu regia retierentia motus, à proposito, et insidiarum loco diuertit, Regemque inoffensum pertransire sinit. Qui oppidum Beruegalium præteriens, Oscam peruenit: atque magna cum lætitia ab vniuerso populo est exceptus. Vbi cum paululum constitisset, Cæsaraugustam contendit; quò iam Prælati Ecclesiarum, Regniq̄ue proceres, et oppidorum Legati, qui erant regiarum partium, secreto conuenerant; atque vt ea vrbs est, et natura, et situ, et edificiorum descriptione in primis nobilis, ac concursu etiam totius Regni frequentissima et potentissima, nouum Regis aduentum honorificentissime celebravit; atque pro ætate Regis, ludos ei, et spectacula festiua et magnifica dedit. Deinde Rex magnis se Regni negotijs, quæ potissimum ad tranquillum Reipub. statum facerent, immiscere voluit: atque vt fuerat institutione Monredonij, nunc ad palæstram, nunc ad litteras, nunc ad negotia effectus: sic dum in his versaretur, virili quadam sedulitate animum ad pertractanda illa intendebat. Vnde procerum discordias, quæ tunc multæ erant, disquirens; Prælatorum consilio & ope adiutus, non paucas sedauit: atque ab eo tempore rem ipse, non modo publicam gerere, verum militarem etiam administrare cepit. Itaque Tarraconem profectus, Catalanorum conuentibus breui peractis, Ilerdam progressus est: vbi Catalanorum simul et Aragonensium conuentus indicti fuerant; ad quos Sanctius et Ferdinandus cum magna vtriusque procerum factionis turba conuenere: alter procurationis suæ; vterque verò, iuris quoque sui ad Regnum, compensationem reposcentes. Sed Sanctij postulatis sic fuit satisfactum; nempe, vt eiurata ab eo denuò vniuersa Regnorum procuratione, honorario fidelitatis iure, aliquot ei oppida non longè à Cæsaraugustano agro sita attribuerentur; ea lege, vt is de iure suo, si quod in petendo regno haberet, decederet. Qua compensatione contentus ille fuit: tametsi oppida ea omnia vix octingentorum aureorum tributum quotannis domino penderent; vt hinc mirari liceat, atq. animo perpendere, illorum temporum,

porum, non solum felicem rei nummarie inopiam; sed procerum quidem, cum tam paruis censibus, bello paceq̄ sustentatam magnificentiam: Quam profectò, si cum ea, quam proceres nostri temporis præferunt, conferamus; non dubium est (si cum virtute & natura rem cõparemus) quin hanc illi posthabeamus. Nam vt maiora nunc sunt, quæ luxus & ambitio, quam quæ cõtenta paucis natura petit: ita & sufficisse quidem, quam superfluisse, tũ honestius optimo cuiq. semper visum est, tum frugi naturæ quoq. magis cõsentaneum. Præterea Ferdinandum religiosam vitam professum, Abbatem nobilissimi cœnobij Montis Aragonum nominauit, atque vt luculentius in eo viueret, loca vicina pleraq̄. Abbatiz applicauit, quibus amplissimi sacerdotij collegiũ honorificũ & locupletissimum constituit. Sed ipsa regnandi ambitio semel imbuta, vix vlla compensatione expleri potuit. Postremò in eisdẽ conuentibus effectum est, vt moneta de communi sententia eaderetur. Vtque Iacætanus nũmus à Petro primũ percussus, à Rege confirmaretur; iureq̄ iurãdo seipse, astringeret ad illum toto Regno Aragonum, eodem pondere & signo semper & probandũ, & estimandũ. Quæ moneta ære & argento cõflata, omnium quidẽ infima; sed quæ in continuo & cotidiano vsu posita, ad nos vsq. dimanauit, apertè demonstrat, quanta fuerit illius temporis, tum auri; tum argenti inopia: quandoquidem, tametsi auream & argenteam monetam tunc in vsu fuisse comperimus; nulla tamen de eius percussione, sicuti de Iacæтана, mentio fit in historia Regis. Demum conuentibus dimissis, Rex veniens Barcinonem, vt per insignis pietatis suæ, quàm omni v̄ta coluit, primordia Deo offerret, lacrum ibi ordinem fratrum beatæ Marię Mercedis nũcupatum, institui curauit. Cuius instituti ea ratio est, captiuos homines Christianos ab hostibus infidelibus redimere, non solum eos, qui mari à Piratis; sed qui terra etiã à Saracenis Valétini Regni, frequētibus in Aragoniã & Cataloniã excursionibus capiebatur: ne tormētis, seu diuturna seruitute oppressi Christianã religionẽ et fidẽ abnegarēt. Ideoq. non solũ Barcinone, præcipua ac principali societatis sede cõstituta; sed in vtroq. regno, iussu Regis, cœnobia plura, tũ exedificata, tũ prædijs, amplissimisq. censibus sic ditata fuere; vt sumptis inde, quæ ad sustentan-

dos fratres sat essent, reliqua pecunia captiuos redimerent; utque ex ipsismet religiosi electi quidam, singulis annis, fide publica à Saracenis accepta, ad illos nauigarent; ut pauperiores quacunq. sorte captos prius redimerent: atque ut sanctius id, & religiosius conficerent, præter tria solennia vota illa, continentia, paupertatis, & obedientia, ab alijs religionibus fieri solita, quartum sponsionis, ut sic dicam, susciperent: Nempe, ut si in captiuorum redemptione pecunia alicui deficeret, cuius desperatio, seu abnegatio fidei timeretur, is redimeretur primus; ac Redemptor apud Barbaros manens, præses esset, donec pecunia ad se redimendum exportaretur. Cui etiam sacrae sodalitati nomen dantibus, more aliarum, & cuculla pro sacco daretur, & vestimenta alba pro indumento; ut & religiosam vitam agerent, & in eo redemptionis mercimonio, puritatem, atque ab omni prorsus ambitione & avaritia mundam conscientiam præferrent. Qua causa, Mercedis vocata illa fuit; quæ vox Hispanis, non premium, non pretium, aut fructum laboris, sed latine reddita, idem quod donum, siue gratiam significat: quoniam ut postremum malorum est seruitus, maxime verò, quæ in carcere, aut vinculis fertur: ita neque maior seruo beneficium, siue donum impedi posse videatur, quam ipsum è vinculis exceptum à seruitute in libertatem vindicare. Qualem ferè seruitutem tenera adhuc ætate expertus Rex fuerat, mensibus amplius quadraginta, tum à Symone Monfortio, magno cum vitæ periculo, Carcaffone; tum à magistro Templariorum, ut Sanctij, & aliorum insidias euaderet, in arce Mõtionis retentus: sequè propterea ut tanto è malo eriperet, beatissimæ Virgini Dei genitrici, cui semper fide uouit, valdè comendans, hanc ipsam sodalitatem redimendis captiuis, ut primum à custodia exiret, erigendam uouit. Quo etiam tempore, dum similiter nobilissime, sanctissimeque sodalitates Dominicana, & Franciscana, ab earum Patriarchis, siue institutoribus, Dominico Hispano, & Francisco Italo, uiris undecunque sanctissimis, ac ueris discipulorum Christi imitatoribus, instituta fuerunt; & à summis Pontificibus accepta & approbata. Idque ea ætate, qua Christianus populus, non tam spinosis hæresibus, quam densissimis superstitionum, atque superbia, & avaritia

fenti-

sentibus tantopere squallebat, ut Christiana religio, cum penitus languescere, tum titulo ferè tenus coli uideretur. Quamobrem, diuina miserante clementia, quæ perditis ac desperatis rebus opportune medicinam fecit, eiusque cœlesti dono, hæc ipsa duo splendidissima prodire lumina; quæ luce sua, tenebricosum, valdeque languidum Christianum populum, non modò collustrarunt; uerum à tot subinde ignorantia, atque effrenata libidinis malis, suo diuino tum uerbi, tum exempli medicamento sanarunt. Ambo quippe spiritu Dei acti, morbos, qui tunc præcipuè ingrauescebant, inter se partientes, curandos susceperunt. Dominicus enim pestilentissimas ignorantiam, atque edacitatem; hanc, quæ carnem semper incitat aduersus spiritum, interdicto sibi esu carniū; illa, quæ mater est cunctorum errorum; lectione, atque uocali diuini uerbi prædicatione sanari docuit. Franciscus uerò, pestilentiores avariciam, & uitæ superbiam; hanc, qua nihil est Deo odiosius; per humilis, innocentisque uitæ exemplo; illam, quæ radix est omnium malorum, paterna hæreditate spreta, domandam ostendit. Quibus accedens sacra illa Iacobi societas, quæ extremo, ac desperatissimo abnegationis fidei morbo occurrit, cum maxima meriti parte, eximiaque Iacobi laude, illis annumeranda est, atque in præcipuis habenda. Sicuti in uniuersa Hispania hæ tres sacrae societates, præteris, cum summo fidei prouentu, atque diuini uerbi propagatione, sanctissime exultant, ac diuine fructuantur. Nam Barcino, & Cæsaraugusta, præstantissimæ totius Hispaniæ ciuitates, primæ fuerunt, quæ suadente Rege, eiusmodi Dominicanam, & Franciscanam sodalitates, earumque ad se missos primates pietissime receperunt, eisque ubique cœnobis amplissima, Regia liberalitate exedificarunt. Quin & alijs postea varijs in Hispaniæ locis similiter constructis cœnobijs, eorumque fratres, tam magnos in religione progressus fecerunt, ut in eisdem ipsis, quibus ab initio, pietate doctrina, patientia, paupertate, & exemplo uitæ, hætenus benedicte domino perseverarint. Per id tempus, uixdum exactis sex mensibus, ex quo tempore Ilerdæ conuentus celebrati sunt, alij indicti fuere Osz. Quæ urbs antiqua nobilisque, ad radices, siue inter ramenta Pyreneorum posita est, ac proxima duobus contentis sub Aragonio Regnis,

C 3

Sobrar,

Sobrarbio, ac Ripagurcia, & Aspenfi saltu. Quæ cum sint Galliarum Regnis finitima, atque in tam asperis, horridisq. sita locis, agrestes etiam, locisque similes alunt homines: qui Gallorum vicinia freti, ad nouandas sæpe res, cæteris propensiores existunt. Audent enim minitari, quoties acerbum aliquod in eos est Regis Imperium, se omnes, aut in Galliam transuolaturos, aut ad se Gallos aduocatuos, & in regnum ad sui opem, & defensionem immisuros. Apud quos, cum turbari res, maleque habere inciperent; protinus Rex versus eos se contulit; ipsorumque procuratores ad conuentus accersitos audiens, pacatos dimisit. Sapienter quidem regendi modum instituens: quoniam ut medicum necesse est ad ægrotum accedere: ita etiam turbata vbiuis, atq. male habente Repub. oportet Regem protinus eò loci conuenire; suaque præsentia, lites, odia, discidiaq. mota, antequam longius serpent, sedare, compescereq. Nam principijs obstare, adeoq. in tempore malis occurrere, non minus quam oculati medici, prouidi quoque opus est, atq. munus Regis. Accedit eò, quòd frequentibus comitijs, seu conuentibus vbiuis ex occasione à Rege celebratis, Regia Maiestas, eiusq. summa auctoritas, mirè extollitur; ac, si natura dominus ipse Rex fuerit; idq. præsentia, & suauitate oris præstulerit, cū mirè à multitudine colitur; tū indies magis magisque in omnium est oculis, & venerandus. Quod si is austerus, si seuerus nimis, & ab oculis populi sese abducens comitia distulerit; idē, aut sensim despicitur, aut timetur magis, quàm amatur. Vnde cõpositis rebus, atq. conuentibus dimissis, Regi decimum vix annū habenti, oblata est occasio, vt ea ætate primum bellityrocinium feliciter exerceret: questione orta inter duos proceres Aragonenses, Rodericum Licianam, & Lupum Alberiū; quorum Rodericus in Lupum malè affectus, indicta causa, ac neq. ad singulare certamē antea prouocatum illum, vt mos erat inter proceres, ex improviso armata manu cõprehenderat, & in castrū Licianum ductū in vincula coniecerat: ac simul etiam eiusdē Lupi arcē capiens cū oppido Alberio, Christianorū, & Sarracenorū bona diripuerat. Quo audito, à Rege protinus accito procerū consilio, deliberatum est, bellum Roderico esse inferendum, quoad Lupus è custodia & vinculis educeretur, atq. dānorū integra

integra ei fieret restitutio, seu compensatio. Quare coactis vndiq. militaribus Regni copijs, paratisq. omnibus ad aggressionem necessarijs; comportatum fuit etiam Oscā magnum illud tormentum bellicum, fundibulum nuncupatum: quali olim machina primo bello Punico (auctore Liuius) vsus est. M. Regulus Romanus consul prope Carthaginem, ad interimendum immanissimum, atq. venenatum serpentem, qui non modo arreptos deglutiebat homines; verum suo afflatus halitu conficiebat; quo ipsum fundibulo emissis saxis obruerunt. Rege ergo ad Alberium oppidum, quod Rodericus munitum reliquerat; cum exercitu perueniente, admotis machinis, statim sine armis illud intra biduum Regi se dedit. Inde verò ad Licianum oppidum, vbi Lupus tenebatur, castra posuit, illudq. vndiq. obsedit. Erat autem oppidum non minus fossa, & muro, quàm oppidanis simul, & paganis, qui se intro receperant, bellicosa gente munitum; cui præerat Petrus Gomefius Roderici præfectus, strenuus loci propugnator. Verū ab exercitu, admoto fundibulo, quo immania, multaq. saxa vnoquoq. ictu, certoq. ictu iaciebantur; mille videlicet interdium, noctuq. quingenta, tandem perforatus murus fuit; atq. illico magna contentione à militibus irruptio intentata; Rege illos animosius quàm exposcebat etas vrgēte, seseq. vnà periculis obijciente. Sed oppidanis strenuè propugnantibus, cruentissima sequuta est conflictio; quoad suppositis scalis, Petrus Garcesius dux Regius, primus, multis subsequētib; sese in oppidum immisit, atq. impetu facto, Gomefium ducem fortiter resistentē impulsu hastæ ab alto deturbauit; & viuū cepit, simulq. oppido potiti milites cuncta diripere. Quibus in arcē ire iussis, statim expugnata illa fuit; ibiq. inuentus Lupus è custodia & vinculis liberatus. Interim Rodericus Regiam potentiam pertimescens, consideransque libertate Lupi, capitalem sibi induci perniciem; ad Petrum Fernandum Azagrā, Dominum Albarrazini confugit; non minus munito loci propugnaculo, quàm Petri fide, ad sese defendendum confusus. Erat autem Petrus vnus omnium Aragoniarum procerum præstantissimus, valdeque strenuus & bellicosus; vt qui suæ vrbis propugnaculo natura munito fretus, olim tum Petro Aragoniarum,

tum Alfonso Castellæ Regibus restiterit. Nam cum esset orta cō-
trouersia inter eos de Albarrazini territorio, utroque ad se illud
pertinere contendente, ac bellum ea de causa contra Albarrazi-
num mouente; sic se Petrus in sui defensione gessit, ut pactum in-
ter Reges fuerit sanctione definitum: Albarrazinum, eiusq. ter-
ritorium, ad neutrum Regem pertinere; sed omnino esse exem-
ptum. Verum quoniam non licet cuiquam neutrius esse partis, si
in utraque inimicos habeat, mortuo utroque Rege, in Iacobum
tunc a Monfortio retentum propensior fuit, atque, ut supra ostē-
dimus, in mouenda legatione Romam ad Pontificem, ad Iaco-
bum liberandum, quamplurimam ipse. vnà cum Hispano Epi-
scopo Albarraziniensi, operam nauauit. Quo magis fuit admi-
randum, Petrum, fugientem à Rege Rodericum recepisse, hu-
iusque inauspicatam amicitiam Regiæ prætulisse: Sed in quibusdā
illius, & nostri temporis proceribus, tanta est cum amicitia con-
iuncta iniustitia, & impietas, ut vel iniustum & facinorosum quē
uis ad se ipsos confugientem, modo sit amicus, confidēter reci-
pian, liberalissimeq. alant, ac vel contra pietatem defendāt: non
alia profecto causa, ut credi par est, quam ut ipse quoque amicus
& iniustus defensor, pari gratia, ab iniusto amico defendatur; hu-
iusque nefarii Aſyli fiducia, maior in vnoquoque regnet peccan-
di libido; cum nulla omnino excusatio peccati sit, si amici causa
peccaueris. Igitur Rex, ubi intellexit Rodericum Albarrazinum
confugisse, à Petroque, eius protegendi causa, exceptum fuisse;
ratione plusquam senili inductus, ad expugnandum Petrum abi-
re decreuit. Erat enim tunc, Rege puero, tam insolēs procerum
præsidendi ambitio, vnoquoque Regem ad se, inque rem suam,
falso quodam boni consilij splendore obiecto, abducere nitente,
ut Regia, ac cōmunis res pessundari penitus, & Rex quoq. sensim
despici inciperet: ac neq. quibus se, suaq. tuto committeret, præ-
terquam paucos, haberet. Quæ secum ipse animo reuoluens, ta-
citus contra proceres machinari cœpit; ideoque tam honestam,
ac iustam nactas occasionem, Petrum primò illorum potentissi-
mum bello persequi statuit: ut eo deuictò, cæteris terrori esset.
Quocirca accitis copijs, Casaraugusta, Ilerda, Calataiubio, quin-
etiam

etiam Daroca, & Turolio, cum ipsis proceribus Simenio Cor-
nelio, Guillermo Ceruera, Petro etiam Cornelio; Vallesio An-
tilonio, Petro & Pelegriño Ahonesijs fratribus, & Guillermo Po-
iano cum ijs, qui sequuti sunt equitum numero centumquinga-
ginta; peditum verò quingentis, Albarrazinum peruenit; atq. in
monte quodam castra posuit, vnde magna quædam turris, in ex-
celso vrbis loco tanquam specula eminebat: eoque machinas, ip-
sumque fundibulum direxerat; naturā & situ loci cæteras vrbis
partes ab expugnatione defendentibus, atque omnem obsidendi
viam præcludentibus. Est enim Albarrazinum (ut admirabilem
eius situm, quem fama fert inexpugnabilem, describamus) par-
ua quædam vrbs, inter Contestaniæ & Celtiberiæ fines, prope Tu-
rolium insignem Aragoniæ urbem sita; atque in decliu monte à
parte supera excelsi & acuminati posita; ab infera verò, vndique
perpetuo etiam celsissimoque, introrsus prærupto monte, quasi
muro, circumsepta; quem Turia fluuius, angustò, sed profundo
inuectus alueo, ab vrbe diuidit, ac totam penè cingit: & quæ ab
obiectis hinc inde montibus vsque adeò occupatur, ut eius tam in-
troitum, quam exitum, solus profluens inuenit: sic ut neque ali-
cunde introspicì possit ipsa, neque incolis aliud quam immanissi-
mas rupes sibi tanquam centauris, ut est in fabula, impendentes,
liceat ex vrbe inspicere. Vnde quidam, horribilem illius situm,
contemplatus, Tigrium speluncam esse dixit. Ac vero Petrus cū
primùm, ut defenderet Rodericum, Regi obistere in animū in-
duxit, amicos conuocauit, atque lectissimos ex Castella, Arago-
nia, & Nauarra equites centumquingaginta in urbem intromi-
sit; commeatu, ac omni re ad propugnandū necessaria bene muni-
tus. Ac collustrato interim tenui Regis exercitu, eiusq. procerū in
partes diuisione; iam nō tam de protegenda vrbe, quam de parā-
dis Regi insidijs cogitauit: quas facile intendere poterat, tot sibi
ex exercitu Regis sanguine coniunctis proceribus clanculū fauen-
tibus; ac & Regis mentem, & machinarū admotiones, & expug-
nationis tempus, prænunciantibus: quin & ipso etiā Rege spectan-
te, multis passim vrbe intrantibus, atque exeūtibus hostibus, qui
Regium exercitum paruifacere videbantur. Cæterum ex proce-
ribus

ribus suspectos ferè cunctos Rex habens, ipsisq. omnino diffidēs, exceptis Petro & Pelegrino Ahonesiis, necnon Guillermo Poiano, quos semper habuit fidissimos, ijs tum capitis sui excubias, tum machinarum, atque tormentorum custodiam commiserat. Id proceres ægreferentes, & quasi in ipsorū contemptum factum putantes, valde alienato à Rege animo esse cœperunt. De qua re Petrus ab eisdem proceribus certior factus, cum expedita manu equitum noctu vrbe egressus, ad secundam vigiliam, machinarum custodes ex improviso est adortus: sed fugiētibus omnibus, & machinas deserentibus, soli præfecti custodiæ Pelegrinus, & Guillelmus hostium impetum primum sustinentes, tandem ceciderunt: ac protinus succensis machinis, salui hostes in urbem reuersi sunt: nullo interim ex proceribus, præter Petrum Ahonesium, exercitum ad arma vocante; sed stertentibus, aut conuenientibus illis, hoste de Regis custodia & machinis triumphante. Quæ omnia Rex consideras, ac non occultas, sed apertas omnino insidias à suis, & ab hostibus, parari sibi intelligens, sensim ab obsidione recessit. Quo abeunte, Petrus factū dolens, ac, vel procerum infidelitatem, qua est usus, erubescens; vel Regis indignationem in posterum pertimescens, in eiusdem gratiā se quomodo reduci, restituique procurauit. Quam ei Rex, illius perspecta potentia, & militaris rei peritia, quas magno sibi aliquando vsui fore sperabat, humanissimè, liberalissimèque restituit: sicque ille in posterum Regi ad omnia, ac etiam ad procerum contundendam insolentiam, præsto fuit.

BER-

BERNARDINI GOME

SII MIEDIS, ARCHIDIACONI

SAGVNTINI, DE VITA ET REBUS

gestis IACOBI primi Regis Aragonum,
cognomento expugnatoris.

LIBER III.



ELLM Albarrazinense, de quo proximo libro est actum, quanquam alijs infelicitè; mihi planè felicissimè gestum, cōfectumq. fuisse iudicatur. Nam vt nulla tam valde præstans est, quæ ex deuitis corporibus, aut expugnatis urbibus, quam quæ ex superatis animis, præsertim generosis, victoria reportatur: Ità Rex quidem, cum inuictum Petri animum flexisset, ad seq. totum pellexisset, mihi visus est profectò, non minus nobilem de Imperio, ac de Imperante triumphum egisse. Sic enim sensisse ferunt Fabricium olim Romanum consulem; atque Legatis Pyrrhi Regis, qui ad illius animum auro tentadum venerant, respondisse; Romanos non tam aurum, quam auri possessores captare consueuisse. Accedit eò, quod non solum Petri, sed Roderici quoq. profugi deditioe; tum vtrique liberalissimè regia restituta gratia fuit; tum Regi etiam apud eos auctoritas, atque potestas stabilita. At verò proceres, qui se antea Iacobo puero, non tam vt regnaret ipse, quam vt ad eorum arbitrium cuncta gereret, addixerant, ad se reuersi cognouere, magno sibi malo fore; si suis inter se odijs, atque discordijs, quid de regia pueri maiestate minuere-tur: nondum videlicet extinctis, sed reuiuiscētib; indies Sanctiana & Fernandina factionibus, quæ Regiam administrationem tanquam puerilem deridebant, ac sibi exitiū, Regi verò insidias, nunquam non struebant. Nam quò maior in puero spes erat sum-mæ probitatis, bellicæque virtutis, atque nihil non regium præferentis in eo indolis, quæ Sanctium ac Ferdinandum à concepta animo regnandi spe deiciebant: eò quidem maius à desperatione cresce

crescebat in eis odium; maioriq̄e indies inuidia ardere cœperat in proceres; quòd ij Sanctium, tametsi Regni Vicarium ac procuratorem ab ipsis constitutum, tāquam Regi suspectum, ab eius consilio atque consuetudine arcebant. De qua re illis grauius cū populis conquerentibus; atque eo ipso consanguinitatis iure, Regio consilio se præfici debere, reposcentibus, magnam exin proceres populi inuidiam in se concitari sentiebant. Quamobrem sibi ac Regi præcauentes, consilio inter se habito, id optimum visum est, tot crescentibus in Repub. malis, maturato Regis coniugio occurrere; vt facta per affinitatem potētis accessione, Regnū illi stabilirent. Nam etsi reclamaret ætas, ea tamen erat Regis staturæ proceritas, ac elegans corporis habitudo; ea suauitudo oris, atque viriles, temperatiq̄e mores; vt à nemine coniugio ineptus reputaretur; cū etatem etiam multa alia supplerent. Quam sententiam cū Ximenius Cornelius, & Guillelmus Ceruera, procerum, & consilio, & fidelitate primi proposuissent; atque Guillelmus Raimundus Moncada Cataloniæ Senescalus, idemq̄e Regis cognatus approbasset; reliqui in eandem ierunt. Itaque propolita inter alias, Leonora Alfonsi Regis Castellæ filia, sorore Berengariæ Reginæ Legionis & Galletiæ, quæ nuper fatali Enrici Regis eius fratris germani interitu, in Regnis Castellæ ab intestato successerat, illam Regi vxorem elegerunt. Vnde Legati missi Agredam, celebre id Castellæ oppidum est, quod Aragoniæ & Nauarræ fines attingit, vbi tunc erat Berengaria, eidem renunciarunt, Iacobum Regem suum cupere Leonoram eius sororem matrimonio sibi iungere: atque cū tot, tātōrumq̄ Regnorum dominus ipse ac Rex esset, solis Leonoræ corporis, atque animi dotibus contentum esse; neque non eidem insignia oppida, nempe Darocam, Epilam, Pinam, Vndecastellum, Barbaltrium, Tamaritium de sancto Stephano, Montalbanum, et Cerueram, Regni Aragonum; cum his, quæ in montibus Siurana et Pratenfi sita sunt in Catalonia, dotem confecturum. Qua legatione audita, approbatisq̄e à Regio consilio, quæ à Rege Aragoniæ oblata sunt, pactis et cōditionibus; propterea quòd multis causis Castellæ res, amicitia et societate Aragonensium magnopere firmarentur contra

com-

communes hostes; consentientibus omnibus, Berengaria annuētem Leonoram in matrimonium Regi se daturam promisit. Quæ vbi per Legatos Rex intellexit; magna, splendidaq̄e procerum caterua comitatus Agredam venit; vbi annum vix tum habens xij. factis sponsalibus, Leonoram, & Berengariam cum Principe Ferdinando filio (is matri postea successit, ac Hispalis, & Cordubæ Regna è Sarracenorum manibus eripuit, atq. persanctus est habitus) Regio stipatas comitatu, Turiasonem deduxit. Quæ vrbs pernobilis et antiqua, ad radices bicipitis, altissimiq̄e montis, qui Caunus dicitur, non longè ab Ibero flumine posita est. Ibi nuptiæ dignitatis, concordie, atque lætitiæ plenæ, magno in templo celebratæ fuerunt: quas nouum etiam autorandi Regis institutū, celebriores fecit. Mos enim erat proceribus ad vnumquemq. militari auctoramento decorandum; vt in templo ensem sacro in altari positum dignior quispiam ex militari ordine caperet, eoq. auctorandum præcingeret. Vnde pro more, cū Rex nullum se digniorem haberet, idem ipse, ense è sacro altari sumpto, sese præcinxit; atque eius dignitate et decore militaris auctoramenti positus est. Nec referri possunt, quæ in vtraque celebritate, tum pompe, spectacula, et ludi facti sunt; tum cœnæ, et congiaria data; cū de hisce, neque Regis historia, neque scriptores alij quicquā attigerint: fortasse, quòd tanta fuerit illius temporis frugalitas, vt hæc cum œconomia Regum conuenerit; tametsi frugalitatis verbo laudari Reges, vix dignum videtur. Sed neq. rursus indignū existimo, vt quod Rex sua ipse in historia taceri noluit, minimè prætereatur: fuisse videlicet illum tam imbecilli etate matrimonio iunctum; vt vel intra decem et octo menses vxorem non cognouerit. Iam verò peractis solennibus nuptiarum, Rex administrationi rerum intentus; vt in quem vnum iam tum omnis stabilien- di Regni cura incubuerat: vt primū à consilio fuit admonitus, conuentus iudici iussit Aragonensibus Osce, vbi principibus Regni proceribus assistentibus, Aragonensium querellæ plures de illis audite sunt; ac etiam vnicuique pro debito satisfactum. Inde verò Cæsaraugustam Rex et Leonora Regina venientes, honorificentissimè, regioq̄e more et apparatu, ab vniuerso populo excep-
pti;

pti fuere; ludisque ac spectaculis eorum ingressus. cohonestatus. Postmodum ex occasione, Darocam, celebre & antiquum Aragoniæ oppidum simul venire; ubi & conuentus celebrati fuere: ac neq. memoria dignum quid ibi est gestum, præterquam quod eò venit Gerardus Cabrera, comes Vrgellitanus, ac etiam Cabrera Vicecomes, vnus ex potentissimis Cataloniæ proceribus, qui antea à Regis obsequio discesserat: sed aduentu, & obedientia sua, humanissimè excipi à Rege, eique reconciliari meruit. Qui planè aduentus Regiarum nuptiarum quasi fructus habitus est à proceribus. Sed de controuersijs, & iure comitatus, in præsentis iudicare Rex noluit; nisi quòd breui se in Cataloniã venturum; ibiq. de ijs plenè cogniturum promisit. Demum Rex Darocã profectus, oppida, et vrbes Aragoniæ ferè omnes lustrauit: in quibus magnates, atque Regni proceres, præcipuè qui Regis curam gerebant, multa Regio sub nomine in illarum administratione innouasse, immutasseque, atque in proprium ipsorum commodum et vtilitatem conuertisse inuenit; ideoque querellarum vbique omnia plena erant. Quæ Rex damna prudenter, quæ propria erant, dissimulauit; quæ verò aliena, quanto potuit cum honore procerum refarciuit: Quin etiã de honorarijs stipendijs, quæ proceres, iure belli, sibi vltra modum auxerant, detractionem fecit. Quibus tam pijs iustitiæ et equitatis muneribus Rege fungente, indies gratia eius apud populos magis magisque augebatur. Interim accidit vt inter sequentes Regem proceres, Nunium comitis Sanctij filium, et Guillelmum Moncada Vicecomitem Benearnensem, quàm minima ex occasione, vt sepè fit, magna fuerit orta dissensio, ob accipitrem alteri ab altero non commodatum. Qua discordia paulatim, iniqua verborum commentatione, ab ijs qui aderant, aucta (res enim interdum verbo deteriores fiunt) scommata subinde, atque ex ijs contumeliæ eruperunt; qualia ferè solet aulica emulatio, quæ tacita quedam est, atque perpetua inter aulicos ex ambitione orta animi contentio. Ij ergo præcisa amicitia, quæ arcta inter ipsos intercesserat, in partes diuisi sunt. Ex quibus Moncada socium sibi adiunxit Petrum Albarrazini dominum, virum, vt dictum est, bellicosissimum. Nunius autem Petrum Ahonesium, magnum Re-

gis con-

gis consiliarium. Quo tempore conuentus Montione à Rege indicti fuerant, eoq. Rex cum Regina libentiùs accedebat, vt & arcem olim sui custodiam reuiferet, & præteritæ oppressiõnis recordatione, suauiore frueretur præsentis status iucunditate. Sed antequam Rex Montionem veniret, Moncada, & Petrus Albarrazinensis, adductis secum trecentis leuis armaturæ equitibus, ad Valcarciam Templariorum oppidum, Montioni proximum, confiterunt; animo aggrediendi Nunium ad conuentus proficiscentem. Quod sciens Nunius, Ahonesio, & paucis comitatus equitibus, Regi Montionem aduentanti occurrit, eiq. nuntiat, quantum Moncada equitum manum ad Valcarciam conduxerit, vt se improuifum ac inermem opprimat; proinde precari obnixè, vt Sanctiano honori consulere, atq. Guillelmum multitudine, non virtute superiorem, procul arceret; deberi hoc sibi regia cognatione coniuncto. Id Rex cum intellexisset, virilem quasi assumens spiritum, bono ipsum animo esse iussit, promisitque, se, et Guillelmum propullaturum inde; & honorem Nunij, perinde vt regium, defensurum. Itaque Montionem ingressus, magistratibus præcepit, vt portas et turres oppidi armatis militibus compleant: neque quenquam ex proceribus sinerent in iussu suo ingredi oppidum, nisi vno aut altero dumtaxat socio comitatum. Quod ubi Guillelmus rescieuit, fremebundus se inde recepit; sicq. Nunio tum vitam, tum honorem opè sua Rex conseruauit. Cæterum peractis, atque dimissis conuentibus, Rex copijs Ilerdæ, alijsq. ex oppidis accitis, vnà cum ijs, quas Nunius contra Guillelmum coegit, Montione profectus, bello persecutus est Regulos quosdam, qui vocati Montionem venire renuerant, atque ab obsequio, et obedientia Regis defecerant; quorum oppida et arcès expugnare Rex cepit, atque in potestatem suam redigere, quoad venit Terrosium oppidulum Ilerdæ, & Balaguerio vrbi proximum. In quo fama est, tantam inesse salubritatem, vel ex subtilitate aeris, vel ex peculiari quodam terræ halitu, qui haustus cerebrum expurgat, vt insanos homines, vel furiosos, vel potiùs à dæmone correptos, eò perducant sanandos: estque in vniuersa ferè Catalonia peruulgato illud prouerbio receptum, ubi quispiam insanire, fu-

re, fureteve cœpit, Terrosium mittatur curandus. Ibi ergo Rex duo sagacis, & egregij penè animi documenta exhibuit. Alterum, quòd donationem olim à Petro Rege in fauorem Guillelmi Raimundi Moncada: Cataloniæ Senescali factam, Aytonæ, Serofi, & Sosefij oppidorum in finibus Aragoniæ, & Cataloniæ, vbi Sycoris influit in Iberum, positorum; Rex ratam habuit, & cõfirmavit; iisdemque oppidis, ad hæc vsque tempora perillustres Moncदारum familiæ proceres potiti sunt. Alterum, quòd, vt paulò suprà diximus, de aduentu Gerardi comitis Vrgellitani Darocam, Rex controuersias, quas ille cum alijs gerebat super comitatu, hucusque distulit pertractandas, et componendas; quòd hæ ortæ fuerint tempore Petri Regis, qui bellum Gerardo intulerat; proptereaquòd Armengolio comite Vrgellitano mortuo, Gerardus cum exercitu impetum faciens in eius comitatum, pulsaque inde Anrebaxide illius filia & herede, totum occupauit. Quade causa ipsum insectatus est Petrus, atque prælio captum in custodiam et vincula coniecerat; ac bonam subinde comitatus partem recuperauerat. Sed Regemortuo, Gerardus è vinculis solutus, cum per interregnum turbata essent omnia; vniuersa oppida et castella, quæ Rex ceperat, quamprimum recuperauit; strages fecit, oppida diripuit, aliasque quamplurimas clades illis intulit, qui à se ad Petrum defecerant. Itaque ibi Rex, assidentibus Sanctio et Ferdinando patruis, multisque proceribus, atque Regni magnatibus, supplici Gerardo; et factum deprecanti, veniam dedit; Quin etiã comitatus eidẽ stabilitus hac conditione fuit: vt illa ipsa oppida et castella comitatus, eandem quam olim Comitibus Barcinonensibus, Regi successori obedientiam præstarent: nec non et Aurembaxidi Armengolij filia integrum ius ad comitatum repetendũ, Rege iudice, maneret. Interea Guillelmus Mõcada, qui Montione cum equitum turmis furibundus in Nunnium discesserat, maioribus iunctis copijs, quas cognatorum, atque amicorum ope adiutus adauxit, comitatum Ruscinonensem, quẽ Sanctius Nunnij pater obtinebat ingressus, magnam eius partem depopulatus est. Quod Sanctius indignè ferens, neque ei valens resistere, Regem adiit, eius auxilium contra Guillelmũ agros sibi

vastan-

vastantem, implorans; seque illi submittens, atque orans, vt de querellis, quas Guillelmus contra Nunnium haberet, Rex ipse iudicaret: se enim, ac Nunnium paratos esse, siquid intersit iniuriæ, Guillelmo compensare. Quare audita, Rex quanquam animo male affecto esset in Sanctium, ob insidias toties ab eo sibi paratas; tamen eius necessitudinem, canitiemque reueritus, coacto consilio, quantum auxiliij necesse esset, se illi daturum promisit; ratus oportere quidem Guillelmum potentissimum Cataloniæ magnatem, totque procerum cognationibus confisum, ne maiora moliretur, in tempore cohibere. Ad quem primũ mandata dedit, vt à vastatione desisteret, atque è toto comitatu excederet. Quæ ille par uipendens, arces nonnullas expugnauit, & ad Perpinianum nobilissimum, ac præstantissimum comitatus oppidum castra posuit. Vbi Perpinianensibus in eum, duce Gisberto Barberano, impetum de improviso facientibus, vsque ad eò se strenuè Guillelmus gessit, vt duce interfecto, reliquos cum magna eorum strage intra mœnia compulerit. Ex quò vniuerso turbato comitatu, Rex copias eduxit, illumque aperto bello persequi decreuit. Quem sequutus est Raimundus Folchius Vicecomes Cardonensis, cum magna suorum manu militum; tum vt Guillelmum, quem male oderat, insectaretur; tum vt Regi, ac Sanctio morem gerens, auxilio esset. Itaque ex Aragonia profectus Rex, quò venerat ad supplendas copias, Cataloniã repetijt, ac versus Perpinianum progressus, in ipso itinere centum & triginta oppida, castra, & pagos, non solum ipsius Moncada, sed cognatorum quoque & amicorum, partim deditione, partim vi, atque armis subegit; eaque omnia fuere Regiæ ditioni, fiscoque attributa; quoad ventum est ad oppidum Cerbellonium prope Barcinonem; quod tametsi arce munitissima, fossaque, & mœnijs circumseptum; tamen admotis machinis, intra quartum supra decimum diem à Rege fuit expugnatum. Cui obsidioni intererãt duntaxat Sanctius, Ferdinandus, & Nunnus, cum alijs proceribus, & equitibus nõ plus quadringentis: ne maior, quam pro hoste exercitus fieret. Nam Folchius Cardonensis, paucis relictis, cum maiori parte suorum in Comitatu ad sedãdos tumultus quosdã secesserat.

D Sed

Sed capto Ceruellonio, exercitus deductus est Moncadam, quod oppidum caput est totius Moncadæ potentatus, arce, & mœnijs prope inexpugnabilibus munitum; seseque in illud Guillelmus receperat. Ad quem Rex per legatos nuntiari iussit, velle se in arcem ab eo excipi hospitem. Quibus Guillelmus respondit, se Regem libenter excepturum; sed nullum sibi esse ius hospitij cum hospite tot mala hospiti inferenti. Quo audito, Rex arcem obsidione, tametsi diutina, capere decreuit. Iamque machinis atque tormentis expositis, tutiora ad oppugnandum loca hinc inde disquirens, in colle arce imminente castra posuit. Sed ea, vt erat munitissima, multoque milite & armis copleta; quin & amplissima etiam Moncadarum familia plena, machinas, & quemuis armatorum impetum facile sustinebat: ac quoniam aquatione prohiberi non poterat, fonte ponè muros profluente, oppugnatorum in hoc vno sita spes erat, quòd fames Moncadas, non minus quam exercitus obsidebat: nec dubium, quòd præ fame in deditioem venissent illi; nisi conuiuentibus, ac consentientibus Regij exercitus ducibus, clanculum ab amicis cibaria in arcem inuecta fuissent. Ea enim erat Guillelmi cum proceribus necessitudo; adeoque eorundem rursus in Sancium & Nunnium, quorum causa, non Regis, bellum gerebatur, commune odium & maleuolentia; vt nõ deessent qui obsidionem palàm Regi exprobrarent: sensimque inter Aragonenses & Catalanos, ea suboriretur dissensio; vt conspirationis voces nonnullæ auditæ fuerint, bellum iniustum, impium, ac deprædatorium, succlamantium, Regique maledicentium; vt cui non satis fuisset, tot oppida & arces Guillelmi, eiusque familie, & amicorum diripuisse, sibiq. applicasse, nisi etiam caperet; atque de medio tolleret Guillelmum, vt perdat vniuersa. Ac quoniã Rege puero, certum erat, Sanctij & Ahonesij consilij geri omnia; vsque adeo eis ab omnibus malidici cœptum est; vt ijdem coniurationem timentes, Regi persuaferint, ab obsidione arcis, alioqui inexpugnabilis, discederet. Quod Rex, quanquam ægretulit; videns tamen id à Sanctio & Nunnio, quorum causa motum bellum erat, tantopere peti, concessit: quasi quòd factum ipsis iam satis esset, libèter ab obsidione bimestri discessit: atq. dimisso exercitu,

in Ara-

in Aragoniam redijt. Quo abeunte, protinus Guillelmus cum expedita manu equitum, Sanctij, atq. Nunnij oppida, & pagos iterum, longeque acerbius quam antea, vastare ac diripere incœpit: quæ vbi primi omnium rescuere Ferdinandus Abbas, qui Olcã Regi obuiam, adhuc regnandi cupidus, venerat, & Ahonesius inter quos arcta tunc, sed suspecta quidem, iniebatur amicitia; ne subinde bellum redintegraretur, consilio inter se habito, statuerunt, vt antequam Regi hæc nuntiarentur, secreto Guillelmum accerferent; facturi cum Rege, vt ei veniam daret, simulque restitueret sublata ab eo oppida, & arces; indeque Guillelmus depositis veteribus quas gerebat, cum Sanctio & Nunnio inimicitijs, nouas cum eisdem amicitias susciperet. De qua re ad Guillelmum scriplerunt; data ei fide publica, in Aragoniam veniret, in oppidum Thauustum, quod pro honorario Ahonesio cesserat, ac proximum est Alauonæ, vbi Rex tunc agebat. Quò, perueniente Guillelmo, Ferdinandus, qui spe regnandi, à religione, qua fuerat initiatus, alienato semper animo fuit; neque profana miscere sacris graue vnquam duxit, iuncto Ahonesio, magno, vt dictum est, Regis consiliario, nihil non denuo sibi commoliendum putauit, vt Regnum tantopere à se affectatum; quod occupare non poterat, occupato Rege subigeret. Quare consilio inter ipsos habito, atque mutuo data fide, Regis custodiam pelsi mē machinati sunt, quo liberius ac pro libidine cuncta gererent. Quam in hunc modum aggressi fuere; præmissis duobus equitum, peditumque cohortibus Cæsaraugustam, atque per urbem distribui iussis, Ferdinandus multis comitatus proceribus, Thauustio exiens, vnum ex ipsis Alauonam ad Regem mittit, cui renuntiet, se, cum vniuersis Regni proceribus venire, vt Regiam eius Mæstatem, & Reginam clarissimam, Cæsaraugustam deducant. At Rex tametsi ficto officio, ac simulata sedulitate, id fieri cognosceret; tamen libenter se illum excepturum dixit; atque interim Nunnio, & Azagræ Aulæ præfectis præcepit, ne quemquam cum Ferdinando oppidum intrare permitterent, præter quatuor, aut quinque ad summum proceres; reliquis per suburbia distributis: ipse verò ad excipiendum illum oppido est egressus. Sed deinde,

D 2 siue

siue incuria, siue consultò præfecti fecerint, equites ducenti, inscio Rege, cum eo ingredi oppidum permisi sunt. Sequenti verò die Ferdinandus eadem cæterua procerum comitatus, in Aulam venit; atque omnibus præsentibus, sermonem breuem, sed assentatorijs omnino confictum verbis, cum Rege habuit. Inquiens, neque sibi, neque vtriusque Regni proceribus, qui aderant, tam quicquam esse cordi, quam regiam eius maiestatem, cuius nutu tam feliciter cuncta gerebantur, colere, venerarique, ac se, suaque omnia pro eo liberalissimè impendere: ideoque, vt parta iam bello pace frueretur, Cæsaraugustam, tot affectantibus proceribus, cum reliquijs exercitus ouans, & quasi triumphans intraret: vt publicam & communem rem ibi melius commodiusque administrare posset. Quæ Rex audiens, ac interim circumspectans, proculque inter confertos proceres dignoscens Guillelmum Moncadam, se inscio & inconsulto, coram venisse; ac insuper, neque Nunnium, neque Ahonestum, neque alium quemuis ex intimis ad aurem accessisse, qui summam, quæ respondenda essent, vti solebant, suggererent: iam quod paulo ante suspicione odorabatur, pro certo habuit; se, à suis omnino cõsiliarijs proditum esse. Ac quoniam vniuersi cõmurmurantes, respõsum à Rege quasi reposcere videbantur; placido ac sereno vultu, se libenter, quò ipsi vellent abiturum respondit: existimans, quocunque in statu res essent, quòve denique propendèrent, satius esse intra urbem, quam extra consistere; atque fidissimos Cæsaraugustanos ciues sibi non defuturos sperare. Igitur urbem, nulla admissa pòpa, Rex & Regina ingressi, ad Sudam veterem Regum Aulam, portam Toletanam dictam, venèrunt. Verùm Ferdinandus, qui tunc consentiente, ac simul conspirante Sanctio, omnem gerendarum rerum curam susceperat, vocatis ducibus regis cohortis, Guillelmo Boyno, & Petro Sanctio Martello, arcanum quid confingens, quod ita patrari, tum regno commodum, tum Regi honorificum ac prosperum futurum esset; alterum personæ regis, à qua nusquam oculos deijceret, custodem præfecit: alteri totius Aulæ, atque ianuarum asseruandarum curam dedit. Ac protinus eadem nocte, semotis omnibus Regis & Reginæ seruicijs, ac binis vnicui-

vnicuique tatum cubicularijs relictis, cunctas Aulæ ianuas & fenestras, præterquam lumini recipiendo necessarias, clauibus, vestibulisque obserarunt; sic vt neque videri Rex, neque videre quemquam, neque alloqui, ad aliquemve scribere posset, nisi sciente Ferdinando, ac permittente: eoque ipso interim per schedulas Regi proponente, inter alia, vt omnia oppida, arces, & pagos, quæ à Guillelmo Moncada, eiusque cognatis, & necessarijs, vi iustulerat, restitui iuberet: quin & pro damnis etiã, quæ ille bello passus est, morabatinos viginti mille eidem persolueret; alioqui ipsum, neque custodiam, neque rerum suarum, vllum vnquam exitum habiturum. Quibus respõdere differebat Rex, postulans dari sibi aliquem ex consiliarijs non suspectis, quòcum rem communicaret, atque consuleret. Cumque ex ijs vnus Atho Focius intimus, ac fidissimus, ipsum alloqui vehementer contenderet, vt consilio iuaret, à Regeque idem peteretur: sic fuit à Ferdinando reiectus, vt præbili Olsam ille abierit. Vnde Rex, cum amissa libertate, tui suorum alloquio (quod multo ægrius ferebat) penitus interdicto, ac neque à ciuibus educi se, sed ab omnibus destitutum videns, Ahonestum, tametsi alterum coniurationis caput, non tam rogandi, quam obiurgandi causa, ad se accersi iussit: quæ intrantem placidè, sed atque Rex excipiens, apprehensa manu, cum eo in partem aulæ secessit; ibique se uero iam, atque mutato vultu, sic est locutus. Non possum equidem, Ahonesti, stuporem tuum, seu permissam potius cum animi languore perfidiam, tibi non vehementer exprobare; quòd tu in primis tam immemor, quam fueris de meo patre, ac de me, pro tantis tuis in nos officij muneribus benemeritus, atque ab utroque rursum, quot ipse beneficia acceperis, in me tamen vnum nunc tot simul maleficia contuleris. Quod pergrauè malum, non tam quòd ratione mala facias, quam quòd nulla facis, in te est longe grauissimum. Cũ neque timore maioris vitandi mali; neque spe maioris cõsequendi boni, iam illud facere possis. Neque enim me puerum, quæ tu ingenuè educaisti, tam immitti ingenio, crudelivè natura præditum esse vides, vt prælagire possis, me virum, quòd Nero Senecz, hoc idem tibi facturum; neque rursum sperare, supremo, quem tenes, dignitatis gradu, melius quam me Rege, te vnquam potiturum. Cũ non aulæ modo primus, atque liberalitate mea procerum potentissimus

euaseris, sed summus mihi semper consiliarius affederis; sicque pro arbitrio tuo cuncta gesseris, ut non consulere, sed per te quem mecum regnare videaris. A quo te gradu cum tam multi conati fuerint deijcere, atque perdere, nonne ego solus contra omnes defendendum opis non fuit nostræ, quod de Artalo Luna, tuo graui & acerbo inimico, tam honorifice triumpharis? Sed hæc tu nunc, consilij plus quam quisquam hominum inops paruiducens, Ferdinandi factionem, quam infestissime insectabaris, modo studiose sequeris; ut tyrannum, cui seruias, pro Rege, quem tu regebas commutes; scilicet ut honoribus, atque amplioribus Regni beneficijs cum illo implearis; ac me, quem Regno tantopere præfici curasti, ex Rege ac domino captiuum contempleris. Sed esto, vicisti tandem Ahonesi, de quo Rege, ac Regno triumphasti. Veruntamen caue interim, ne de victoria insolens glorieris. Nam curabo sedulo, ne tu meorum in te beneficiorum tam sis immemor, quam tuorum rursus in me maleficiorum ego semper ero memor. Ijs dictis Rex, ne iusta ipsum ira vinceret, ut in Ahonesium irrueret, relicto illo, alio diuertit. At vero senex à puero conuictus, usque adeo obstupuit, ut ne mutire quidem coram potuerit: atque inde abiens ad Ferdinandum, quæ secum Rex egerit narrauerit: sed nihilominus custodiam Regis ambo libertatem, ac Regnum suum putantes, in proposita, obstinataque sententia perstiterunt: eoque magis Regni honores, aliaque emolumenta & vectigalia Regia, haud quaquam in ærarium conferre; sed inter se, amicos, & familiares profusissime diuidere curarunt. Quæ omnia Rex facile ex ipsa Ahonesij obstinatione conijciens, atque suæ procrastinatione custodiæ augeri indies Ferdinandi tyrannidem videns; quibus se modis inde eriperet, ac populo ostenderet, die nocteque animo versabat; seque tandem vnâ cum Regina, si se qui vellet, per fenestram demittere decreuerat. Verum Regina, ut erat prudens, & magnanima, meliorem rerum exitum sperans, ac non tam demittendi periculum, quam Regis ex fuga ignominiam perhorrescens, consilium minime probauit; sed pie potius, viriliterque Regem admonuit, ut almæ Dei genitrici Mariæ, cui se ipse à puero deuouerat, nunc totum commendaret: fore namque, ut eadem ipsius ope Virginis, qua fuit à Monfortio, & arce Mon-

tionis

tionis liberatus, à præsentis quoque custodia honorifice eriperetur. In cuius dictis Rex acquiescens; prudentissimæ consilio Regina, periculum simul & ignominiam vitauit. Quamobrem instante deuotè Ferdinando, ut Moncastri damna relaxarentur, atque ablata ad vnum restituerentur, Rex postulatis annuere deliberauit; exinque paulatim relaxari coepit à custodia, ab eaque tandem, in quibus dies amplius viginti fuit, exijt; Ferdinando tamen Regni procuratorem retinente; ac perquam multis etiam reclamantibus, omnia gubernante. At vero Rex protinus Casaraugusta excedens, quæ ob custodiæ in ea perpersionem, ac citiuum dissimulationem, fastidio ei erat, Montibnem cum Ferdinando, & alijs Curiam sequentibus proceribus, & Ecclesiarum Prælatibus venit. Vbi de statu Reipublicæ & administratione Regni agentes; multa vtrò citroque singuli proposuere, quæ prætextu publicæ, atque communis vtilitatis, in propriam cuiusque vergebant: neque tamen Rex ea poterat, per gratiam, annum non excedens decimum sextum, conglomerantibus sese in contrarium plerisque proceribus, auctoritate sua impedire. Vnde neque proceribus satis inter se conuenientibus, dimissis committens, necesse fuit Regem Casaraugustam remigrare. Vbi, repositis ciuibus, regiam fortassis irâ, ob dissimulatam custodiâ, in posterum timētibus, priuilegia et plebiscita à maioribus irrogata, liberalissimè, qua ille semper usus fuit magnanimitate, confirmauit: necnon Gunfaluio Ioannio magno magistro æquitum Galatruensi, Alcanitij oppidi florentissimi in Aragonia, eiusque ditionis donationem ab Alfonso Rege auo eidem magistratui, ac societati factam, & à Petro parente approbatam, Rex sua quoque auctoritate sanxit & confirmauit. Inde verò Dertosam concessit, quæ vrbs maritima (neque enim ultra sex miliaria à mari, in quod influit Iberus fluuius, distat) non longè ab Ilergaonum finibus posita est: ab Aquilone quidè excelso protecta monte; ab occasu autem, eodem Ibero fluuio, vbi altissimus est, alluitur. Apud quam (ne que de ea commemoratione digna sunt reticeamus) lampetrarum, mugilum, strutionum, trissarum, & aliorum delicatissimorum piscium, e mari aduerso flumine ascendunt; tanta est foetura & piscatus; ut in hisce, neque varietate, neque suauitate, vlla sit maritima totius Europæ

D 4 ora cum

ora cum Dertofana comparanda. Quam sibi oblatam piscium libertatem mirè Dertosanorum ars effert, mercemque ex ea efficit satis quaestuosam: Nam capti subinde pisces, tum sale puteali, quo ager abundat conditi; tum subacto, atque ocreato coniecti pane, eoque pistorum arte, ductili ex massa filo, quasi vermiculato adornati emblemate, atque in furnis excocti, in tanta siquidem copia & multitudine apparantur; ut non Dertofanis ac vicinis modò sufficiant: sed ad vniuersa Aragonia, Cataloniaeque, & Valentiae oppida magno cum quaestu compendioque deferantur. Quorum tam suavis est esca & pabulum; sacra praesertim carniū interdictionem patientibus; ut hanc ipsi leuius ferant; quinimò ad carnes reuersi, propter pisces suspirēt. Itaq; per id temporis Rex Dertosa abire statuit, ut à se parumper abigeret importunam procerum frequentiam; maxime verò Ferdinandi, atque Ahonesij procacem ambitionem, & insolentiam; quae ipsos, ob impunitam custodiarum iniuriam, intolerabiliores vsque adeò reddiderant: ut non solum Regni administrationem, reclamante Sanctio, sibi totam arrogarent; sed quosuis Regis conatus superbe nimis infringerēt; Sanctiumque ut senem capularem; Regem verò ut puerum, a Reipub. gubernatione amoliri, neque tam occultam, quam apertam iam dominationem exercere conarentur. Inde igitur Hortam (Templatorum id erat oppidum) Rex cōcessit: vbi militari edicto praecipit vniuersis vtriusque Regni proceribus, ijs etiam, qui honorū nomine, stipēdijs regali munere donati erant; ut quantis possent copijs, in certam diem, Turolium urbem, ut diximus, finitimam Regno Valentino conuenirent. Bellum enim sacrum à se strui significauit, pro Christiani nominis propagatione, aduersus Valentinos Mauros; eorumque reprimendas excursiones in vicina oppida Christianorum. Cui edicto neque Ferdinandus, neque Ahonesius, quòd inconsultis se, prodijisset, non solum obedire noluerunt; sed & floccipendere, atque alias Aragoniae ciuitates ab ea expeditione reuocare procurarunt: quin & relicto Rege, Caesar Augustam venerunt: scilicet, ut conatus Regis pueriles, ut dicebant, inde melius contemplarentur, ac deriderent: quos ne impedire quidem tentarunt, haud dubia spe sinistri alicuius belli euentus, &

occa-

occasionis rerum nouarum, quam illi oblatam libenter arriperent. Quae omnia tamen Regi nota erant; eique iniurias ab utroque acceptas augebant: at ea in presenti premere commodius duxit: sperans non de futuram sibi idoneam occasionem aliquando, ut de Ahonesij saltem insolentia poenas sumeret. Itaque illis non expectatis, cum ijs tantum copijs, quae à Catalonia sibi praesto fuere, & quas ex Aragonia duxere Blascus Alago procerum potētissimus; necnon Artallus Luna, & Atho Focius (ij namque ante praestitam diem, non Turolium, sed Hortam, Regem praenēre) ingressus est fines Valentini Regni, secundum oram maritimam, regionis Illegionum; ibique omnem depopulatus agrum, praedaeque facta, ad Peninsulae promontorium castrametatus est: quòd illud totius orae, terra marique specula sit, & quasi custodia confinium à natura sita: ideoque à Rege Valentiae, tanquam praecipuum Regni propugnaculum summa cura custoditum; eoque ipso magis etiam à Iacobo expetitum. Est enim illud magnus quidam mons, seu potius saxum quoddam & immane monstrum, ex rebus inter se, quasi contrarijs cōgestum: quale ex presenti descriptione, quam nos ibidem commentati sumus, atque ob rarum, neque alibi vsquam repertum similem eius situm, aliquatò fusius hinc explanatum, facile erit colligere. Siquidē moles ipsa, quae mari prominet, atque Balearium maiorem, ad Orientem Solem, directò respicit; ambitu quidem mille, diametro verò, quòd inaequale sit solum, quingentis passibus constat. Estque altissima & acuminata paululum, atque omni ex parte, nisi quae domicilia continentur, praerupta; quamque totam penè mare cingit: indeque Peninsulae vocant: tam paruo enim terrae spatio cū continenti committitur, ut sepius, ex crescentibus fluctibus, prorsus abeat in Insulam; talisque nunc quoque manu facta est. Montis praeterea tanta est excelsitas, ut praeter amoenissimum inde aperti maris prospectum, facile sit, aduentates naues, ad tringinta ferè milliaria, à summo iugo prospicere. In cuius vertice area tam lata est, ut in ea potuerit arx amplissima, atque inexpugnabilis extrui; oppidanis quidem, sola ea parte montis, qua continens aspicitur, quae quodammodo decliuis est, ad habitandum relicta; per hanc enim vnica est in oppidum ingres-

D; sus,

fus, vnaque porta validissimo aggere munita; suaque fossa & ponte ab eadem continenti distincta. Quin et vtrouque maris, leua dextraque, tanta est altitudo, vt minoribus nauibus portus fiat; ex eo quod, dempto Subsolano, cui est apertus, à reliquis ventis etiã terrestribus tutus sit; nauibus hinc inde, commutato mari, obiectu montis, à tempestate protectis; atque ab hostiliũ quoque incurſu nauium, beneficio arcis, defensis. Sed quæ in ea monſtroſa apparent, sunt duo in primis. Alterum, cauernarum ad radices montis frequentia, quæ mari ita peruiz sunt; ac penetrabiles, vt fluctus maximo cum fremitu et estu, ac etiã infinito luxurtilium congestu piscium, subtus per excauata foramina erumpant; vtpotè quibus tantopere intus contusa rupes ne hiscant quidem, sed constipante ſalfugine, multo magis obdurescant. Alterum est fons magnus aquarum maximè dulcium, et limpidissimarum; qui ab ima quoque mole è rupibus, mari interfluente, emanat ad solius arcis, ac oppidanorum vsus enatus; cum sese protinus effundat in mare: vt appareat natura, in muniendo loco, artificio quasi vsam fuisse. Cuius profectò inexpugnabilis molis natura haud incomperta fuisse creditur Benedicto Papæ, cognomento Lune, Aragonensi. Quo maximè tempore (nota est historia; sed breui nũc percurrente) Apostolica Petri Sede Pastore carente, et Cardinalibus in partes diuisis, ac varias inter se electiones commolientibus; ab eorum parte Auinione congregata, electus ille fuit, ac Pontifex renuntiatus: qui protinus pro tali se gerens, solaque Hispaniæ, et Aquitanicæ obedientia contentus; quò posset tutius Pontificio fungimunere, in Peninsulam se recepit. Vbi Palatium cum templo magno, ex ſecto lapide (quale extat) tam magnificè edificauit, vt et dignitati summæ, et Cardinalibus ad habitandum suffecerit. Sed cū ex tribus electis, duo alij ceſſerint; seque decreto Constantiensis Concilij, Pontificatu abdicauerint; Luna, neque Concilij exhortationibus, neque anathemate, seu minis; neque demum Sigismundi Imperatoris rogatu, qui è Germania Perpinianum, eius abolendi scismatis causa venerat, à proposito dimoueri potuit. Nec dubium, quin situs loci inexpugnabilis, atque inde ſecuta animi ſecuritas, in tanta eum pertinacia confirmauerit. Vt igitur redeamus vnde

vnde diuertimus, eiusdem loci situm optimè conspicatus Iacobus, postquam totum circum vastauit agrum, atque Peninsulam obsidere parat, acerbus de ijs nuntius Valentiam allatus est; atque vt res solent fama crescere, non modò expugnatam Peninsulam à Iacobo; sed eius quoque exercitum iam vrbi imminere perlatum fuit. Hoc nuntio Zeitus Abuzeirus Rex Valentie, atque ciuitatis primates cum vniuerso populo, tam consternato fuere animo; tãtusque ab eis clamor, & eiulatus comotus, vt postquam sequenti nuntio inuentum est, neque Iacobum, neque eius exercitum Peninsule fines pertrãſiſſe; sed in eius obsidione esse, statim legatos miserit, qui inducias cū Iacobo facerent: ac modò ab obsidione recederet, quintam partem Regionum porteriorum Valentie, & Murcie, quotannis eidem pendendam promitteret. Quibus postulatis annuere Iacobo visum est non modò commodum, sed perquam honorificum: propterea quod opinione potius, quam ferro, tam prosperè bellum vix cœptum confecerit; atque hostem, quem aliquando inuasurus esset, animo iam consternatum haberet. Sed hæc, quò felicius gesta sunt, eò æquius est ea procul à fabulis abesse. Nam quamquam in historia Regis, quã nostra sequitur, nulla de hoc Peninsulano bello fit mentio, nisi de portorijs, vt diximus, Iacobo à Rege Valentie concessis, ob factas inducias; eaque res non minimam parere possit dubitationem; mihi tamen gestum illud, atque armis confectum fuisse multis de causis perſuadeo. Tum quod illius, nostrique temporis scriptores, qui Iacobi res gestas accuratè conscripserunt, huius quidem belli, atque excursionis in Peninsulam expressè meminerunt: neque delendum est in multis, quod ab vno fuit prætermisſum: Tum quod bellum tantummodò apparatus, seu ostentatum, etsi induciarum causa esse potuit; at pendendorum porteriorum, quæ à solis victis dari solent, illud nisi illatum, gestumque, causa esse non potuit: ac nisi ob redimendam Peninsulam, aut maximum aliquem exercitum à ceruicibus auertendum, Iacobo concedi illa non debuerunt. Nec obstat quod Rex affirmat, ipsum venisse Turolium, quò proceres ad apparandum bellum comēatũri fuerant, eorumque cunctationem, & comēatus consumptionem, induciarum, atque differendi belli causam fuisse. Nam vt breue admodum est iter à Dertosa in Peninsulam, ab eaque in Turolium; sic potuit vtrunque maturissimè effici: ac inducias, de quibus ad Peninsulam cœptum

ceptū est, Turolij pangi: quòd in eavrbē permulti essent viri graues, potentes, atque bellicarum rerum experientissimi, qui Regem non modò, opibus, sed consilio iuuare possent. Est enim Turolium vrbs celebris in montanis Aedetanorum locis sita, atq. Valentinis è regione ad Aquilonem posita: quæ iam tum annis prope centum ab Aragonensibus, & Nauarris è Sarracenorum manibus erepta, ab eisdem coli cœpta fuerat. Cuius vbertate agri, ac pecuaria re, & lanificio, præcipuè verò assidua è Valentino Regno parta præda, aucti ciues, vrbem sibi, tum ædificiorum splendore, tum magnifica Templorum structione, tum robore & amplitudine murorū, pulcherrimā, ac munitissimā construxerunt, eaq. generis, atq. familiarū claritate nobilissimam reddiderunt. Exquò multa circū oppidula & pagi, horumq. municipales & rusticani homines, ciuiū in administrāda, beneq. gerenda Repub. prudentiā & magnanimitatem admirati, voluntariā cum ipsis societate coierunt; eisq. res suas gubernandas tradiderunt. Hoc igitur foedere municipiotū ad aucti Turolenses, vsque ad eò viribus, armisq. valuerunt, vt subinde eorū Reges, præsertim Iacobus, vt ipse attestatur, ad omnes in Valentinos susceptas excursiones, nullis, siue equestris, siue pedestris ordinis militibus, quā Turolensibus vsi fuerint bellicosioribus, & fidelioribus: atq. hinc est, quòd ipsos amplioribus, quā cæteros Aragoniæ populos, priuilegijs, immunitatibusq. donatos inuenimus. ac non modò in cōmeatu, & frumētaria re suppeditāda ad bellū, eodē fuisse largos, sed cōsilio & prudētia in deliberationibus, Reges multū iuuisse cōperimus. Meminit quippe Rex cuiusdā nobilissimi ciuis Paschasij Muniocij, olim Petri Regis alūni, adeò diuitis, magnanimitatē ac liberalis, vt ex propria re & opibus, Regi multā vim auri accōmodauerit: necnon comēatū, & cibaria Regio exercitui ad dies amplius viginti præparauerit. Cuius etiam Paschasij (vt in præclaris eius est monumentis) pronepos fuit Aegidius ille Sanctius Muniocius, siue Munionis, vt dicunt, Canonicus Barcinonensis, qui in eadem Peninsula, ab illo ipso Benedicto Pontifice creatus Cardinalis, illo vita functo, à Collegio Cardinalium electus ac summus quoque Pontifex renunciatus fuit: quo Pontificatu, vt se, pro sedando schismate, abdicaret; à Romano Pontifice Balearium Episcopatum fuit præfectus. Rex igitur, siue Peninsulæ, siue Turolij, inducijs cum ipso Valentiz pa-

ctis,

ctis, exactis iam diebus viginti, quod fuerat tempus præstitutum proceribus, Paschasio, alijsq. Turolij optimatibus in gratiam receptis, Cæsaraugustam petere decreuit. Vbi Ferdinandus & Ahonesius constiterant: ad quos fama etiam peruenerat de rebus à Rege puero, viriliter feliciterq. gestis; dequē inducijs à Rege Valentiz tanto cum honore Iacobi factis; atque portorijs vnā datis; necnon de obstrictis illi Turolensium animis ad omnem contra Mauros expeditionē in suscipiendam. Quæ res vtrumque vehementer exulsit: contra verò, Cæsaraugustanorum animos mirè erexit, affectiq. fuere omnes pietate maxima erga Regem; trudereq. ipsos valde cœpit eorum, quæ à Ferdinando & Ahonesio in Regem patrata sunt: quos iam populus maledictis incessere, & quasi inuehi in ipsos tentauit. Vnde Ahonesius licet conscientia conuictus, populi tamen furorem ac Regis iram volens eludere, cum expeditis equitibus sexaginta, vt potentiam ostentaret; iuncto sibi Sanctio fratre Episcopo Cæsaraugustano, Turolium ad Regem profectus est, cunctationis suæ causas redditurus. Quo ipso tempore Rex Turolio profectus, Calamociam eiusdem itineris oppidum ingrediens, Ahonesium venisse intellexit: statimq. Rex accedentem illum, quæ solitus erat humanitate excepit; atque interrogauit, quònam tam valde benè armatus, confecto bello, atque inducijs factis, procederet? Cui Ahonesius grauius atque seuerè respondit; se, vnā cum Sanctio fratre, & equitatu petere Valentiam, vt excursionibus Mauros infestaret. At Rex præcepit ei, vt vnā secum repeteret Burbaguenam oppidum duobus fere inde distans passuum millibus: quod multa sibi cum eo comunicāda essent; atque in præsentia procerum, qui secum aderāt, pertractanda. Quo audito Sanctius Episcopus, salutato Rege, abiit Cutandam oppidum suum, prope Turolium situm. Sequebantur autem Regem Blascus Alago, Artalus Luna, Ahonesij æmulus, Atho Focius, Ladronius, Assalidius Gudalius, & Peregrinus Bolafius, proceres fidelissimi, quos Rex secum manere iusserat, animo, vt rei exitus indicauit, capiendi tantum, atque in custodiam & vincula conijciendi Ahonesium, quem constans fama erat, fuisse caput totius coniurationis Alagoni, contra Regem ini-

ta, atq.

ta, atq. Cæsaraugustæ factæ. Itaque ingressi Burbaguenam, in palatio Templariorum, quorum id oppidum erat, substitere. Vbi relictis in atrio equitibus Ahonesij, quasi quod breui à Rege esset expediendus ille, qui ense duntaxat, atque militari sago indutus erat; cum Rege simul in palatij triclinium ascendit. Vbi confidentibus ipsis, atque proceribus in altera triclinij parte cõsistentibus, Rex conqueri de Ahonesio, ipsumque duriusculè increpare cœpit, quod eius culpa & exemplo malo factum sit, vt neque ipse, neque alij conuocati proceres Turolium conuenerint, ad bellum Mauris inferendum; deoque amissa ampla illius conficiendi occasione, ob illorum moram, coactus, ipse fecerit inducias; quibus illum stare quidem, non rumpere deceret. Rogauit ideoque, vt ab incepto desisteret, neque ius à se datum, vllò pacto tentaret violare. At Ahonesius regredi recusabat, affirmans multos cum Sanctio fratre fecisse sumptus ad eiusmodi expeditionem suscipiendam; neque haberet vnde posset illos, præterquam præda facta ex Mauris reficere: cui respondit Rex subiratus, induciarum fœdus nullo fieri posse modo irritum; idcirco à proteruia discederet. Sed renitente adhuc Ahonesio, cui Rex statura corporis fere par erat, quamuis annum nondum natus decimum octauum, manibus illum apprehendit, atque à Rege captum ipsum esse, tenerique dixit. Verum Ahonesio illico capulo ensẽ tenente, eundem quoque Rex simul prehendit, neque è vagina, aut balteo educere permisit. Quos cum inter se quasi colluctantes, vidissent qui astabant proceres, sinistras sagis inuoluunt, gladiosque distringunt; atque relictis illis, è triclinio exeuntes, pro ianuis consistunt; ne quis ex Ahonesianis impetum faceret in Regẽ. Sed audito clamore, req̃ intellecta, quadraginta ex ipsis ab equis descendentes, ac per medios irrupentes proceres, triclinium intrarunt: iamque Ahonesium de manibus Regis, quadam cum reuerentia eripere conabantur: ipsis interim proceribus rem intuentibus, neque se Regi adiungentibus; vtpote inermibus contra armatos parum protecturis. Tandem ab equitibus Ahonesius à Rege fuit exemptus, qui protinus ascenso equo, è Burbaguena cum suis abiit. At verò Rex maiori succensus ira, inuentum equum cuiusdam equitis Alauonensis ascendit, atq. vt erat armatus Ahonesium secutus est: quẽ subsequi

quiti fuerunt, Gudalius, Pomarius, & Focius, cū quatuor equitibus; ac postea Blascus Alago, reliquique proceres. cumque anteisset Focius, duo ex Ahonesianis impetum in eum facientes, sauciatum ab equo deturbarunt. Cui adfuerunt Blascus, & Artalus, Ahonesianis ulterius procedentibus. Rex verò cum Gudalio, & Pomario tantum persecutus est Ahonesium, quem breui spatio ante se viderat cum viginti equitibus per accliuem montem pergere iter ad Cutãdam oppidum, quò paullo ante venerat Episcopus; & in quod se ille recipere festinabat. Interim Blascus & Artalus, citatis equis, cū imminerent Ahonesio, idemque respiciens eos, magnã post, sequi, se, equitum manum autumans, ac neq. fugæ; fesso equo, esse locum; in collem proximũ sese recipere decreuit: cui vnus ex suis ab equo desiliens, hunc Ahonesio tradebat, vt se fugæ daret. Sed occurrentibus Blasco & Artalo, impeditus est. Iamque Ahonesianis saxorum coniectu, Regijs ascensum prohibentibus, ipse Rex à tergo collem conscendit, ac vt primũ sese Ahonesio in conspectũ dedit, is protinus à suis derelictus est; vno duntaxat Perezio Mezquita consistente, ac rei exitũ expectante. Interim Sanctius Luna, vnus ex regijs equitibus, lancea latus dextrũ Ahonesij perfodit: quo lethali vulnere saucius ille, statim collũ equi amplexus, ab eo sese in sinistram partem demittens semianimus in terrã cecidit. Quod Regi valde graue fuit, capi illũ, non occidi cupienti. Vnde ab equo desiliens, ac procumbens cum lachrymis eum cõplexus est, eidẽ ex animo condolens, ac leniter increpans, id sua ipsius culpa factũ fuisse, quod euasisset, si dictis monitisque suis paruisset. Quò tunc perueniens Blascus, clamore magno Regẽ alloquens, mitte, inquit, nobis leonẽ hunc lacerare, tot Regis iniurias illius interemptione vindicaturis: iamque illũ hasta cõfigere nitenti Blasco sese Rex opposuit: inquit, cõtine te, Alago, non enim Ahonesiũ, sed me feries. At verò Ahonesius Deo primũ, deinde Regi, se, suaque omnia cõmendãs, debilitatus ex profluuiò sanguinis conticuit. Tunc Rex illũ, obligato vulnere, equo insidere, atq. tenente ipsum confessore, Burbaguenã vehi iussit: sed cū sanguine deficiente spiritu, mortuus est in itinere. Vnde Rex cadauere allato, Darocã venit, ibique illud maiore in templo Virginis honorificè sepeliri curauit.

BERNARDINI GOME SII MIEDIS, ARCHIDIACONI

SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS

gestis IACOBI primi Regis Aragonum,
cognomento expugnatoris.

LIBER IIII.



IN FELICI Ahonesij nece, ad quam propria ipse culpa duci visus est, triplex illa coniuratorum in Regem machina, tum Sanctij inuidia fabricata: tum Ferdinandi ardore promota; tum denique Ahonesij sagacitate absoluta, funditus euerfa fuit; atque vnicuique ipsorum sua quoque poena, & ignominia inflicta. Nam & Sanctius vehementer Ahonesij exemplo commotus, perpetuo sese à presentia, & conspectu Regis abduxit: & Ferdinandus illius etiam gratia priuatus, populorum simul & amicorum fide destitui se vidit: & nisi Regij demum sanguinis intercessisset cognatio, haud dubium, quod acerbiores quam Ahonesius poenas ipse pertulisset. Quamuis cautum hinc fuerit à Rege, cui semper idem suspectus, ac infensus extitit; ut neque abdicare se sacerdotio, neque ad aliud aliquod amplissimum accedere eidem permetteretur. Sed ipsius patientia & benignitate Regis factum est, ut non ab aula, non à consilio, nec à Regia consuetudine dimoueretur. Quinimò Rex quoadiu instabile ipsum, atque animo fluctuare vidit, bello paceque se semper sequi iussit: atque suorum etiam consiliorum, simul & honorum participem effecit. Itaque Ahonesio mortuo, posteaquam Rex (ut diximus) cadaver eius deferri Darocam, ibique sepeliri, ac iusta ei fieri iussit: iam nullo illius legitimo hærede relicto, iure ad se omnia eius oppida pertinere decernente consilio, in eorum possessione venire statuit. Quapropter Boleam in primis insigne oppidum, Osca propinquum, quod erat Ahonesij, capere, illudque antequam quisquam ex proceribus dari sibi peteret, aut Ahonesij vxor, seu illius

frater,

frater Antistes Casaraugustanus; occuparent; Regno adiungere decreuit: quin & recuperare etiam duo illa Regna Sobrarbij, & Ripagurtiæ, quæ Ahonesius partim oppignerata sibi à Petro Rege quondam, ad Idubedense bellum proficiscente; partim iure stipendiariorum equestrium retinuerat: Stultum esse, inquiens, se, nondum stabilito Regno, neque pacatis rebus, alijs Regna concedere. Ac quoniam in hisce duobus Regnis, multa quoque oppida seu vrbes continebantur, quibus olim confusus Ahonesius magnis spiritibus assumptis in Regem coniurarat, non amplius alienanda illa, sed ad ditionem Regiam redigenda, ei que in posterum applicanda esse constituit. Paruo igitur collecto exercitu, Boleam haud multum de eius ditione dubitans contendit; Legatosque ad tentandum oppidanorum animos premissit: Verum multo aliter res successit. Nam Ferdinandus, audita Ahonesij nece, protinus Regis mentem suspicatus, cum magna militum manu, commeatu, & re frumentaria, sese in oppidum immisit: sperans, suscepta eius defensione, ac nullo in Ahonesij locum legitimo succedente hærede, se, non modo omnia illius oppida, & duo Regna occupaturum; sed Regias quoque vires oppugnaturum; fretum ope, & auxilio Casaraugustani Antistitis, qui potens erat, atque fraternæ vlciscendæ cædis desiderio flagrabat; ac etiam Moncadarum, aliorumque vtriusque Regni procerum, quos beneficijs sibi deuinxerat. Vnde cum non modo Boleæ; sed vniuersorum Ripagurtiæ, & Sobrarbij oppidorum auxilia imploraret; ea omnia sese pro eo contra Regem munierunt. Cum igitur Rex oppidum, propugnatore Ferdinando, bene munitum inuenisset, ultra progredi statuit; ipsas Ripagurtiæ, & Sobrarbij arces, & munitiora loca in primis expugnaturus: quo tempore duodeuigesimum vix dum annum habebat. Verum Ferdinandus ira adhuc exarscens in Regem; ob Ahonesij necem; ac non nihil sibi ab illo metuens, a pertissimo iam odio & armis ipsum persequi deliberavit: neque se destitutum à cæpto interminari ausus fuit: quoad illum Regno expelleret. Quod facile fore factum putauit, & quod nihili præ se duceret Regem, ætate sibi, astutia, & sa-

E gaci-

gacitate longè inferiorem: & quod ex superiore Regni procuratione, plerosque proceres sibi non de futuros certò scisset. Vnde de faciliè machinatus est Cæsaraugustanorum, & reliquorum fere totius Regni oppidorum, à Rege defectionem, excepta vrbe Calataubio, vt historia fert Regis, atque vt alij quoque scribunt, Albarrazino, & Turolio, alijsque. Iamque vt Catalanos tentaret Ferdinandus, scripsit ad Guillerum Moncadam, ex superiori bello à Rege vehemèter offensum, vt ad se quantis posset armatorum copijs veniret, nec interposita mora fuit, quin aduentum is maturarit. Quo audito, Rex expeditione montana relicta, in planitiè descendit, ad oppidum Almudeuarum, indeque Pertusam concessit. Eo tempore Raimundus Folchius Vicecomes Cardonæ vnà cum Guillermo fratre, ac sexaginta cataphractis, ad Regem venit, ei que sese ad omnia paratissimum obtulit. Huius aduentus Regi valde gratus fuit, propterea quod Raimundus tanti esset apud Catalanos, vt multi eius exemplo Regem sequerentur. Inde præcepit Rex, vt Blascus Alago, & Artalus Luna, manerent in præsidio Alauonæ oppidi contra Cæsaraugustanos; cum Rege verò mansere ex proceribus Atho Focius, Rodericus Liciana, & Ladronius, omnium fidelissimi. Per id tempus Sanctius Ahonestus Pontifex Cæsaraugustanus, magnam militum manum coegerat ex his, qui ex fraterna factione supererant: qui neque sacri sui muneris, neque debitæ Regi obseruantia memor, armatus ipse, ac noctu Cæsaraugustam profectus, ad oppidum Alcubierrum, quod noluerat se antea Cæsaraugustanis adiungere, contendit, illudque vi captum diripuit: ac quoniam quadragesimale ieiunij sacrum tunc agebatur, ira furens, tam iustum, se, contra Regem, perinde ac contra Turcas, bellum facere publicè profitebatur, vt milites ab omni direptionis culpa absolueret; adeoque ipsis licere omnia, vt ne esu carniū, vel diebus prohibitis, interdici, tam sanctam contra Tyrannum, pro salute Reipublicæ operam nauantibus, constanter asseueraret; quinimmo cœlestia se in eo bello sequentibus promittebat. Adhæc Cæsaraugustani, vt conspirationis suæ signum aliquod præberent, armati iterum vrbe exeuntes, Castellarium oppidum non longè ab Alauo-

na situm

na situm petiere: seque in insidijs collocarunt; præmissis paucis, qui sese Alauonensibus ostenderent; vt quibus prouocati illi oppido exirent, atque in insidias inciderent. Quos vt primum Blascus, & Artalus conspexere, rem, vt fuit, suspicantes, paucis in præsidio oppidi relictis, cum vniuerso equitatu noctu de tertia vigilia egressi, traiecto Ibero fluuio, sub auroram somno oppressos Cæsaraugustanos de improviso aggrediuntur. Vbi adeo valide à Regijs pugnatum est, vt reportata victoria, partim capti, partimque occisi fuerint ex illis plusquam trecenti, reliquis sese in fugam conicientibus. Quæ victoria Regi admodum grata fuit, eò quod reliqua municipia & ciuitates, tanquam membra deuicto capite, male sibi ominaturæ essent. At interim Rex, quandiu se Pertusæ continuit, balistas, aliaque magna tormenta bellica construi fecit; eaque imponi plaustris ad circumuehendum iussit; quod magno sibi illa vsui fore, ac necessaria dignosceret ad tantum, tamque diuturnum indictum sibi à coniuratis bellum gerendum: ad quod plane sustinendum adeo incitabatur Rex, vt tanquam palma; quæ insurgit oneri, quo maius atque atrocius illud erat, eò magis inuicto esset, atque præparato animo ad sese defendendum. Itaque Pertusam profectus, vnà cum Folchio Vicecomite ac suis, Pontianum oppidum propinquum aggrediens, breui fuit expugnatum. Inde venit Cellas oppidum cum arce munitum, Pertusæ etiam proximum. Vbi prolatis machinis; balistis, alijsque tormentis in debiliores muri partes, & in arcem directis, die tertio, ex quo moenia quati cœpta sunt, præfectus arcis cum Rege pactus est; sese vnà cum arce & oppido dediturum illi, si intra octauum diem subsidium sibi non mitteretur. Conditione accepta, Rex pridie eius diei, quo deditio constituta fuerat, dimisso ibi exercitu, cum paucis reuersus est Pertusam; vt Pertusanis vnà cum peditibus oppidorum Barbastrij, & Beruegalij, quos colligi iusserat, insequenti die ad oppugnandas Cellas properarent. Quo ipso articulo temporis, Rege in æde Virginis orante, duo armati equites, citato cursu, Pertusam veniebant: vtpote Peregrinus Atrosillus, & eius frater germanus Egidius, qui Regem

E 2 ad eun-

adeuntes renunciarunt, Ferdinandum & Petrum Cornelium iunctis copijs, cum Oscensibus, & Cæsaraugustanis, venire festināter suppetias Cellanis afferentes, neque procul abesse. Qua re intellecta, continuo Rex quatuor dumtaxat adiunctis sibi equitibus, Cellas ire parat, Pertusanis se sequi iussis cum ijs, qui à Beruegalio & Barbafrío tunc Pertusam venerant. Itaque in castra Rex veniens, vbi Folchius, eiusque frater Guillelmus, & Liciana cum reliquo exercitu ante Cellas substiterant, cum equitibus non plus octingentis, peditibus vix mille & sexcentis, Ferdinādum, & Cæsaraugustanos expectare decreuit; neque quadruplo maiores, adeoq. scutatas, vt ferebatur, ciuitatum phalanges extimescebat. Sed Petrus Pomarius, summus Regis consiliarius, homo grandæuus, ac belli experientissimus, considerans Ferdinādi exercitum esse Regio, & numero, & armorum genere longe superiorem, impendereque Regiæ personæ manifestum periculum, eundem est adhortatus, vt quamcitissimè in propinquum montem cōscenderet, vbi natura loci tutus, sese ab exercitu, & ira Ferdinādi defenderet; donec supplementum copiarum ex oppidis accederet. Cui Rex viriliter animoseque respondit. Verus, ac legitimus Aragonum Rex ego sum, Petre, ac in eos iustū, & legitimum meum exerceo Imperium, qui cum veri mei subditi sint, tamen iniuste contra me arma sumunt: vel potius tanquam serui nequam, contra dominum conspirant. Quapropter iustiore quàm illi causa fretus ipse, non dubito, quin diuina ope fiat, vt cum tam paucis, multitudini, atque exercitui ex seruis perfidis collecto facile resistere possim. Proinde stat sententia, me hodie, aut expugnare oppidum; aut ante eius mœnia occumbere. Quare tuum, alioqui fidele, ac prudens consilium, in aliud tempus magis profuturum asserua. Hæc cum dixisset Rex, animosior quàm vnquam, aciem ad oppugnandum, perinde ac si præfentes essent hostes, instruxit; quibus non comparentibus, labente die, oppidum vnà cū arce, ex pacto ab eius præfecto fuit Regi traditū, atq. à direptione seruatū. Captis Cellis, Rex Pertusam reuersus est, quò iā peruenerat Asparagus Pontifex Tarraconēsis, vir pius, & sapiēs, Regiq. vt diximus, conuocatione cōiūctus: qui auditis cōtrouersijs inter Ferdinādū, & Re-

gem,

gem, ex quibus tanta indies sequebatur rerum perturbatio, atque populorum in partes distractio; subindeque apud Catalanos, Regia quoque autoritas magna ex parte minuebatur, de componendis rebus agere tentauit. Veruntamen cum tam exulcerato inter sese vterque animo esset, ac Ferdinando tam persuasum regnare, quàm Regi nihil de iure suo, ac possessione Regni amittere; re infecta, Tarraconem remigrauit. Interim Oscenses amissis Cellis in partes diuisi erant; atque in Regiam abire multi conabantur; sed in plerisque Fernandina vincebat: proptereaquod Ferdinandus ab eo tempore, quo Montaragonij Abbas religiosus agebat, Oscensium animos largitionibus, milleque promissis ad se pertraxerat; meditans iam tum animo, quæ postea re fuit executus. Vnde, vt in conuentibus sæpè fit, maiore parte meliorem vincente, Fernandina superauit: ideoque nouas res in Regem Oscenses machinari ceperunt. Itaq. cōsilio habito, subdolè tractatum est cum Martino Perexolo Regio ciuitatis Prætoris, & alijs Regiarū partium, vt Regi renunciarent, se esse veros, ac fideles illius subditos; cupereque ipsum venire ad se, recepturos magno planè cum honore & applausu; & quæ vellet facturos sine cunctatione. Hæc vbi resciauit Rex, vt ingenio erat facili, atque summo animi candore præditus, nihil mali de Oscensibus suspicatus, illicò, dimisso exercitu, ne cum eo timorem populo inijceret, quàm paucissimis comitatus, Oscam profectus est. Cui viginti vrbes magnates extra portam, ad eremitorum Salasium obuiam processere, ab eisque honorificè exceptus Rex fuit; atque ab eodem illi rursum benignissimè admissi: idemque, quo illos tanquam subditos fidelissimos amore prosequeretur, humanissimis quoque verbis expressit; atque iunctis sibi Roderico Liciana, & Blasco Maza proceribus, necnon Assalidio Gudalio, & Peregrino Bolasio Aulæ præfectis, urbem intrauit. Quo die populus lætitia effusus fidelitatis clara signa dedit: verum nocte ad arma est conclamatum, atque ex popularibus armati centum ante Palatij fores pernoctantes, & quasi excubias agentes substiterunt. Horum perfidiam Rex intelligens, atque magno se in periculo esse animaduertens; dum dies fuit, dissimulanter, ac sereno vultu, ciuitatis magnates ad se venire, atque Senatū conuo-

E 3 cari

cari iussit. Ad quem vniuersa ciuitas, & promiscua multitudo conuenit in atrium palatij, vbi Rex, ascenso equo, indicto silentio, sic est allocutus; Viri Oscenses, neminem vestrum ignorare arbitror, me verum, atque legitimum Regem vestrum esse: vosque, vestraque omnia hereditario iure possidere: quandoquidem decima quarta iam ætas agitur, ex quo maiores nostri, recta, nunquamque intercisa serie, hoc Regno potiti sunt; per quam, longissima temporis præscriptione intercedente, tam arcta Imperij nostri cum obsequio vestro secuta est germanitatis colligatio; vt ea tanquam naturalis, atque innata animis, cuius consanguinitatis connexioni sit longè præferenda: quòd hæc dirimi tempore possit; illa verò natura sit indissolubilis, ac soleat indies magis magisque crescere. Quamobrem vehementer, ac semper desideravi, ex meo erga vos amore elici vestram, atque totius populi placationem, & cum honore vtilitatem; ad easque parandas & confirmandas, iura & priuilegia vobis à maioribus nostris concessa, à nobis augeri; si modò expectatam nunc mihi fidelitatem pariant vestra inuiolata hætenus erga eosdem maiores & fides & obedientia. Quo planè minus debuissetis vos tam pacatum Regis vestri ingressum, quem tot, tantisque lætitiis, atque pacis indicijs excepistis; rursum nunc armis, & apparatu bellico deformare; ne de vestra erga me fidelitate vllam mihi diffidendi occasionem daretis, maximè verò cum ad vos ipse non inuocatus, sed rogatus omnino venerim; atque vestro demum debito, & promisso obsequio confusus, dimisso exercitu, urbem hanc non diruturus, sed amplificaturus intrauerim. Hæc cum dixisset, breui à magnatibus responsum fuit; se, Regium, atque propitium eius animum erga Oscenses magni semper habuisse: eoque magis nunc, atque in posterum habituros, quòd claro suæ erga Oscenses charitatis argumento, tam lenibus ad eos locutus sit verbis; proinde consilio habito, voluntati eius satisfacturos. Vnde in ædes Abbatatus Montaragonij ingressi, lōgo se ibi spatio temporis, expectante Rege continuerunt: fuereque inter eos, tum varij, satisque pugnantibus habiti sermones contradicentium, tum Regias partes defendentium auditi clamores: Fernādina factione tamē, cuius nutu

omnia

omnia tunc gerebantur, superante. Ac neque interim defuere, qui rumores spargerent, & cum contentione assererent, Raimundum Folchium Vicecomitem, aucto Regis exercitu, venire prætextu liberandi Regis, ad urbem diripiendam. Vnde tumultu orto in populo, ac conclamatis armis, Rex pacatos eos esse; atque se præsentem, nihil tale à suo exercitu timere iussit: iamque ad comitia redierunt; sed commotis subinde animis, atque ad retinendum Regem, vt subornati à Ferdinando erant, intentis, distulere consilium, quòd opportunitas tunc non esset ad respondendum; atque comitia dimiserunt; Rexque iterum sese in palatium recepit; dispositis, qui ante Palatij, atque cubiculi fores, custodias & excubias agerent. Erant autem cum Rege Rodericus Liciana, Blascus Mazer, Gudalius, ac etiam Rabaza vir prudentissimus, qui Regi erat à secretis. Quò tum aduenere Bernardus Guillermus, Regis auunculus, & Raimundus Mompellerius, Regis quoque ex matre frater: quin & Lupus Ximinius Luesanus, qui cum satis bene armato paucorum equitatu, urbem, nullo prohibente, ingressi sunt. Ex quò denuò orta est in populo seditio, atque armorum strepitus auditus; idque aperto iam animo retinendi Regem. Nam protinus vicatim catenas, & arma arma disposuerunt, ne equitibus vllus pateret exitus; fuereque vrbis portæ simul occlusæ omnes. Id Rex intelligens, insigni in eos usus est stratagemate. Parari quippe conuiuium opulentissimum, atque epulas, & cibaria multa vndique conquiri iussit; ad illudque magnates aliquot inuitauit; vt de ipsius præpropere abscessu suspicionem populares deponerent. Interim Rex, sago arrepto, & ascenso equo, atque Rodericus & Blascus, alijque tres equites, per secretos, ac decliues vrbis calles, ad portam Isuelam, qua itur Boleam, descenderunt. Quam tametsi clausam; at præsidio tamen vacuam inuenientes; coactus est custos eam aperire: qua patente, continuit se ibi Rex, donec reliqui aduenere equites; qui foras egressi sub meridiem, in ipso feruore Solis inspectante populo, læto cursu, viam ingressi sunt; quoad Raimundo Vicecomiti, cum vniuerso exercitu properanti facti obuiam; Pertusam remigrarunt. Per id tempus, nuntiatum est Regi, Honorium Romanum Pontificem à vita migrasse; quo nuntio Rex valde mœstus fuit: propterea quod suæ, atque Mariæ matris res

E 4 illi ma-

illi maximæ curæ semper fuerint ; ac nisi impeditus bello fuisset, haud dubiè, iusta eidem perquam solènia fecisset. Interim successori Pontifici, se, suaque omnia multum per literas commendauit; omnemque obedientiam, suorum quoque Regnorum nomine, amplissimè exhibiturum promisit. Cæterùm cum tanti sibi esset, res Regni componere, atq. tam immoderate agitatum, & fluctuatem Ferdinandi animum pacare (is enim iam solus erat, qui communem rem perturbabat) controuersias exortas denuò inter ipsum & Nunnium consobrinum Sanctij nuper mortui filium, sedare curauit. Neque enim aptioribus armis deuincere se posse inuenit, contumaces, totiesque in se conspirantes Ferdinandi, aliorumque maleuolorum animos, quam patientia & magnanimitate: quibus summis ad regendum virtutibus, ipsum adolescentiæ ardorem, cui maxima inest consilij imbecillitas, ita temperabat; ut præcox in eo ratio omnia suppleret: ac quanquam Ferdinando, ob ætatem, despectui Rex erat; tamen ob ingeniū, admirationē simul & timorem afferebat. Tametsi Rex eiusmodi contemptū Ferdinandi, totiesque exprobratam sibi pueritiam, cum iam esset adolescens, nimis egreferebat: verùm quemadmodum Ferdinandus ludibrio habebat puerilem ætatem, tanquam ad regendum ineptam: sic rursus Rex sperabat fore aliquando, ut Ferdinando capularem, ut probrum obijceret, similiq. ratione, qua olim Sanctium, ab omni ipsum Regni procuratione amoueret. Nam ad eundem modum illius etiam asseclas, Aragoniæ & Cataloniæ proceres, quibus olim despectui quoque Rex fuerat, extrema iam ætate affectos ab se abiecerat. Quamobrem ne ea quidem ætate, à senili, & maturo officio desisteret, vnà cum superioribus controuersijs, alias longè maiores, quæ inter Folchium Vicecomitem, & Guillelmum Benearnensem inueterauerant; & quas ijdem apud ipsū deposuerant, sibi dirimendas assumpsit. Hæ namq. in causa fuerant, ut vniuersa Catalonia, cum maxima Regiæ autoritatis diminutione, in duas factiones esset diuisa. Itaq. Folchius, eiusq. frater Germanus Guillelmus, vnà cum ijs, qui eorum partes sequuti, dàna acceperant, atque maximam suarum rerum iacturam fecerant, iubente Rege; inducias ad decem annos cum Benearnensi, & suis fecerunt;

fecerunt; ut tam diuturna cessatione belli pax confirmaretur: datis tamen à Folchio castellis quinque, cum totidem filiis optimatum obsidibus: ea lege, ac conditione, ut intra quinquennium, seruata pace, quotannis vnus cum Castello obses liberaretur. Quòd si quinquēnij tempore, rupto fœdere, fuisset aliquid à Folchio, aut à suis in Benearnensem, suosue commissum; castella Folchij, vnà cum obsidibus, amissa censerentur: nulla itē damnorū compensandorū ratione habita; quòd communia, fereque equalia vtrinque passi fuissent: cum alijs etiam varijs conditionibus, quas longum esset, ac superuacaneū recensere: nisi quòd recisa omnino, atq. reuocata fuere omnia hinc inde inita ante pacta, iura, ac de inferendo bello promissiones; saluis tamen Regis iuribus; ac denuò eidē ab omnibus publica fide præstita. Quibus sedatis controuersijs, quæ antea Ferdinando adiumento fuerant ad tranquillum Regis Imperium perturbandum; exin deprimi Fernandina factio; Regia verò pars vincere, atque extolli cœpit. Ac demum ipse Ferdinandus non minus tolerantia Regis, quam sua ipsius conscientia conuictus, professus est, se Regi publicè fidem dare velle: atque commissorum omnium veniam petere. Tametsi hoc ipso tempore, Cæsaraugustani, atq. Oscenses, & Iaccenses, qui Ferdinandi partes sequebantur, solèni inter se inito fœdere, conuenere Iaccæ, quæ vrbs est vltior, & Aquitaniæ proxima, in medijs Pyrenæi montibus, tamen in planitie sita, vbi mutuò data fide publica, inter alia promiserunt, se, sibi nunquam defuturos; sed pro communi peculiariq. vniuscuiusq. ipsorum bono, omnes simul propugnatos contra quoscunque, cuiusuis ordinis, aut conditionis existerēt, qui eorundem Rempub. quoque modo perturbare tentarēt. Cuius conspiracy caput Cæsaraugusta fuit: causæ verò feruntur, inprimis tam diuturna Regnorum in partes diuisio: tamque insolens subinde, atque acerba nimis, cuiusque partis in contrariam irruptio; ab omniq. non modo iure & iustitia, sed honestate & religione discessio. At verò Rex, qui tum agebat Pertusæ, audiens eiusmodi conuentus, se inconsulto agi, suspectos habuit, quòd intellexit illos, non tã sua sponte, & bono publico ciuitatum, quam occulta Ferdinandi, & suorum machinatione; ac neque ut sese de-

fenderent ab excursionibus; sed ut paratiores inde, atque expeditiores ad offendendum essent, initos fuisse. Verum Ferdinandus iam ætate grauis, adeoque labore, & itinere ambitionis defessus, multa secum animo versans, ac videns se, cum superior factus esset ordine, tamen fortuna semper esse inferiorem: ac rursus Regis res, non fortuna, sed cum summa animi virtute, diuinitate quadam regi ac defendi, mentem, suarumque rerum quasi proram alio dirigendam putauit: neque deinde tam quicquam cordi habere cepit, quam omni regnandi spe abiecta, sese Regi subdere ac reconciliari. Quæ plane omnia cum Guillermo Mòcada, & Petro Cornelio, qui eius partes sequuti, à Rege etiam alienato erant animo, communicauit: facileque ipsis, qui similibus etiam laboribus fracti erant, persuasit, ut de reconciliatione cum Rege agerent: ad idque tractandum Oscam simul petiere; indeque legatos Pertusam ad Regem misere, qui renuntiarent, se Oscam venisse, esseque concordem, & paratissimos, ut verè, & ex animo, eius Regiæ voluntati, & arbitrio sese omnino submitterent; atque commissorum, quorum vehementer eos pœnituerat, veniam ab eo deprecarentur: modò extrà Pertusam, quam sibi habebant suspectam, liceret ipsum adire, paucis comitantibus equitibus; dum non pluribus quoque ipse eò perueniret. Proinde data facultate, se illicò ad eum concessuros. Qua legatione publicè renunciata, ab vniuersis proceribus faustè, feliciterque acclamatum est; proptereaquòd ex huiusmodi reconciliatione Ferdinandi, summa totius Regni pax, atque tranquillitas consequeretur. Ac protinus de consilio procerum, permisit Rex Ferdinando cum socijs venire ad se, in proximum, atque imminentem Pertusæ montem Alcalatensem, septem dumtaxat comitato equitibus; Rege cum totidem illò ascensuro. Itaque cum Rege venere Folchius, & eius frater Guillelmus, Athofocius, Rodericus Liciana, Ladronius, quem Rex in historia, nobilissima stirpe ortum affirmat: tum & Assalidius, Gudalius, & Peregrinus Bolafius, cum alio, cuius nomen non extat. Ferdinandum verò cum Benearnensi, & Petro Cornelio, sequuti sunt Ferdinandus Perezius Pina, alijque ad eundem numerum. Igitur accedens Ferdinandus, supplex, ac demisso vultu, cum socijs, à Rege exceptus est humanissime;

ac quo

ac quo magis Rex eos familiariter ad colloquendum prouocaret festiuos sermones interposuit, similibusque ab eisdem responsum, est. Tamen si vniuersa demum consuetudo, à Ferdinando eò deuoluta fuit; ut supplex à Rege peteret dari sibi veniam, ac commissa à se, suisque, obliuioni mandari, atque in pristinam ipsius gratiam omnino restitui. Deberi hoc sibi, ut patruo, ut alumno, ut supplici, Regiæque eius Maiestati vehementer, atque ex animo addicto. Id ipsum deprecatus est pro Guillermo Mòcada, supplice, ac eandem simul veniam poscenti, cuius subditi, alioqui omnium Hispaniæ procerum potentissimi, fidei opera perpetuò vteretur. Quibus idem Guillelmus simili quoque vsus animi demissione, subiecit, notum esse Regi, quanta, quamque coniuncta generis cognatione eius maiores attingerent Comites Barcinonenses, Regis quoque maiores, illiusque Principatus conditores; deberique sibi ex eo maiorem gratiam; ac vel propterea maximè restituendam, quòd accessione potentatus Benearnensis, totius Vasconiæ primatus, maiori potentia & facultate rerum inferuire Regi possit. Se enim hæc, quæcunque fecerit, non lædendi, sed sese potius ab eius ira defendendi causa fecisse. Quod si aliorum accepta illa fuerint, ac vitio data sibi, veniam tamen ab eo pro se, suisque deprecari; promittereque, se, nullo vnquam tempore bellum, quantumuis prouocatum, contra eundem moturum, talemque operam, inferuendo illi, perpetuò nauaturum; ut singularem sibi ab eo gratiam & commendationem promereretur. Hæc cum pluribus verbis ingemiscentes à Rege peterent, sese cum socijs Regijs pedibus prouoluere nitebantur. Sed Rex ijs sublati, consilio habito, responsurum se dixit. Itaque concordem omnium sententiam, hæc à consilio deliberata sunt; Primum, ut Ferdinandus, & Benearnensis, cum reliquis, in gratiam Regis restituerentur; deinde ut de controuersijs, negotium alioqui grauissimum, iudicibus committeretur; postremò de nouis ciuitatum molitionibus, id Regis arbitrio declarandum reseruaretur. Ijs deliberatis, atque Ferdinando expositis, Rex magna cum alacritate, Ferdinandum, Guillelmum, & Ximenium, aliosque proceres, cum Regiam ipsi manum prius fuissent reuerenter osculati, omnes amplexus est: ac protinus

vniuer-

vniuersas totius Regni partes læta concordiz fama peruagata, supplicationes decretæ, gratulationesque ad omnia Dei templa habitæ fuerunt, miraque populi exultare lætitia cœperunt. Nam etsi controuersiz populares erant, etsi damna permulta, & compensationes difficillimæ; pacis tamen studium, & cupiditas tanta erat, vt facilia factû fuerint, quæ olim intolerabilia, & quàm difficillima videbantur. Quamobrem Tarraconensi, & Ilerdensi Antistitibus, ac Mompenlatio magno templi magistro, omnes controuersias dirimendas remiserunt; eorumque sententiz, publica atque communi fide præstita, stare promiserunt. Earum potissima, omniumque difficillima fuit, compensatio damnorum, quæ Rex passus est ob coniurationem Ferdinandi, ac etiam Sanctij Ahonesij Antistitis Cæsaraugustani, suo, atque Sanctiz Pereziz relicte Petri Ahonesij, necnon & Petri Cornelij, Petri Iordani, & G. Atorrellæ nomine. Quæ damna, urgente fisco, reficienda erant: quin & mutua eorundem inter se data fides, promissiones, & iureiurando confirmata pacta ad coniurationem, ante omnia rescindenda penitus, & abolenda. Ijs obijciebat Sanctius, oportere quoque restitui Ahonesianis oppida & castella, quæ Rex, mortuo Ahonesio, quamprimùm vi ceperat; ac etiam magnam pecuniz vim, quam ab eo mutuo acceperat; proque ea, oppida & castella quedam oppignerata illi fuerant. Quibus auditis, iidem ipsi iudices maturè deliberarunt; scilicet, vt in primis traderentur Regi à Ferdinando, & alijs, omnia coniurationis instrumenta, tam à proceribus, quàm à ciuitatibus, quàm à priuatis ciuibus, vbiuis stipulata; ac etiam Ferdinandus & alij, publicam fidem vnà cum obediētia denuò Regi præstarent; Rexque rursus Ferdinando, quo nullus illi erat cogitatione propior, honoris gratia, triginta equestria Regni stipendia, ad annum dono daret; ab omni que ipsum læsæ Maiestatis crimine, aliaque ob coniurationem culpa, libenter, atque ex animo absolueret, ac daret fidem posse in posterum Ferdinandum, sese illius Imperio commendare. Simili etiam pacto sancitum est, Sanctium Antistitem esse in Regiam quoque gratiam recipiendû: ac propterea quòd iusto fraternæ mortis dolore pressus fecerit quod fecit, extra omnem culpam ponendum: seque vnà, & sacrosanctam Cæsaraugustanam Ecclesiam, suò sub præsidio & tutela Rex tenendâ & defendendam promitteret. Quin etiam vt castella, quæ Ahonesius olim ex Regio munere viuens obtinebat, Regiz ditioni restituerentur; Quæ verò hæreditario iure Ahonesij erant, ea Sanctio fratri remanerent; cui & erogaretur quæcunque pecuniarum summa olim Ahonesio à Rege debita. Eandem Regis clementiâ experti fuerunt antedicti, Cornelius, Atorella, & Iordanus, ceterique alij, qui Ferdinandi partes secuti contra Regem coniurarât. Adhæc vniuersi vtrinque in custodiam & vincula coniecti homines liberati, atque castella etiam & oppida occupata, suis quoque dominis restituta fuere: excepta arce, et oppida Cellarum, quæ à Rege vi et armis capta, Regiz ditioni perpetuò addicta fuerunt. Demum declararunt, non esse negandas inducias ijs, qui cõiurasse dicerentur, intra decem, supra annum, dies; vt eo tempore de abolendo crimine negotiarētur. Neque interim obliuioni à Rege dati, qui difficillimo, periculosissimoque eius vite tempore, ipsum fidelissimè sequuti sunt: quos singulos suis quoque muneribus, atque honorarijs insigniuit. Nam ex ijs, Artalum Lunam, qui præfectus erat vrbs Borgiz, Tirazonæ finitimæ; et Garcesium Aguilarium, summum Calatrauensis ordinis præfectum in Aragonia, cui inclytum Alcanicense oppidum obtigerat: necnon Perezium Aguilarium, dominû Rhodæ oppidi, ad ripas Salonij fluminis situm; eorû ditiones, et præfecturas, cum alijs quoque equestribus stipendijs, quæ obtinebant, cõfirmavit. Quod ad ciuitates pertineret Cæsaraugustanam, Oscensem, et Iaccensem, quæ nuper, vt diximus, falso defensionis nomine obiecto, sese de potestate regia subtraxerant, Rex id seorsum sibi diiudicandum reseruauit. Sentientes ciuitates, restituto in Regis gratiam Ferdinãdo, et alijs ipsius factionis, solis ipsis veniam à Rege denegari; protinus, ne cunctatione maiorem Regis indignationem subirent, legationem vltro mittere (quod timoris signum est) decreuerunt. Vnde Cæsaraugusta quinque viros suos, Osca et Iacca, suos quoque primates legatos ad Regem miserunt, cum amplissimis mādatis ad pacem, et veniam deprecandas. Qui Pertusam intrantes, cum primùm intellexere Regis animum male esse erga eos affectum, neque beneuolè ipsos auditurum,

farau-

diturum, ad Antistites Iudices venerunt, eisque mandata ostenderunt, nihil præterquam pacis, atque veniæ deprecationem continentia; ac modo in Regis gratiam reciperentur, se, quæcunque per Iudices pronuntiarentur decreta, tam proprio, quam ciuitatū nomine, ad vnguem approbaturus. Qua petitione pacatus Rex, pronuntiari fecit per iudices: vt quàmprimū abolerentur per ciuitates earum pacta omnia, mutuzque promissines, & iusiuranda ad conspirandum, vsque in eum diem transacta. Deinde vt fides publica, & obedientia ab vnaquaque illarum denuò Regi præstaretur. Præterea vt iniuriæ, & damna à Regio exercitu illata, & quæ iure belli fiunt, remitterentur; necnon eos, qui ex Regijs capti, & in custodiam traditi fuerunt, eorumque bona ab ipsis compilata, educerentur de custodia; eisque de publico bona restituerentur. Quæ omnia Legati habentes rata, Rex quoque eos, qui de ciuitatibus capti vinculis tenebantur, eripi iussit, ac Legatis restitui. Demum Rex approbatis, atque denuò cõfirmatis plebiscitis, iuribus, ac priuilegijs ciuitatum à maioribus suis ipsis concessis, pacatis omnibus, Ilerdam abiit. Quò (vt alterius finis concordiæ, gradus esset futuræ) tum venerat, Regium fauorem imploratura Aurembaxis filia Armengolij vltimi Vrgelitani Comitæ, cuius superiore libro diximus, fuisse à Rege ius reseruatum ad repetendum comitatum Vrgelitanum à Gerardo Vicecomite Cabreræ occupatū; ea quippe lege, & pacto is illum à Rege acceperat. Itaque Aurembaxis à Rege petijt restitui sibi comitatum. Quod cum iustè peti- tum sui muneris esse videns, quod antea promiserat exoluere; rem se vt propriam suscepturum, iisdem pactis, ac conditionibus, quibus prius, Aurembaxidi denuntiauit. Nempe si primum Aurembaxis tanquã legitima Vrgelitani comitatus hæres, cederet de omni iure, & actione, si quam haberet, ad Urbem Ilerdam, olim à comitibus, quacunque ratione & causa obtentam. Deinde vt icto fœdere perpetuo, atque beneficiario iure recognosceret, se, à Rege comitatum accepisse. Præterea pacto quoque adiecto, vt & ipsa, & eius successores pace & bello tenerentur, Regem, eiusque successores recipere in arces, siue oppida nouem, scilicet Agramontium, Linerolam, Menarguesium, Balagueriū, Albesam, Põtiū, Vlianam,

Vlianam, Calasanzium, & Albedam: modò Rex etiam restitui curaret Aurembaxidi oppida & arces, quæ ab ea occupauerat Pontius Cabrera Gerardi filius. Demum adiecit ipsa, similiq; pacto promissit, se nulli, quàm cui Rex vellet, nupturam viro. His transactis, iureiurando promissit idem, presentibus suis, & quibus comitata proceribus Aurembaxis venerat, se, cum omni ope & armis non defuturum, quoad eam in totius Comitatus possessionem immitteret. Itaque conuocato consilio, cui tunc præerat Berengarius Eril Antistes Ilerdensis, edixerunt, vt Gerardus in ius vocaretur, atque intra certum tempus sisteret se Regi; auditaque Aurembaxidis petitione responderet. Verùm neque Gerardus, neq; Pontius, tametsi bis in ius vocati fuerant, comparuerunt: sed eorum nomine Guillelmus Folchij frater Regi assistit, asserens Vicecomitem Cabreræ, simul & Vrgelitanum, nullo iure obligari ad sistendum iudicio ob ea, quæ iusto titulo per viginti annos, & eo plus possidebat. Cumque interim Guillelmus Zafalanus omnium sui temporis iurisconsultus peritissimus, allegatis Aurembaxidis iuribus, instaret, vt Rex Gerardum ad restitutionem oppidorum, quæ ab illa vsurpauerat, compelleret; Guillelmus nihil aliud respondisse fertur, quàm Cabreræ non ideo casurū esse causa, quòd hæc à multitudine legum per Zafalanum allegaturum obrui videretur: innuens, eiusmodi litem non esse coram litterario, sed coram armigero Iudice, quòd in armis ius esset, contestandum. Quod Rex intelligens, atque obstinatam Gerardi duritiem, non amplius verbis, sed armis esse potius molliendam decernens, protinus scripsit ad Tamaritum Literanum, oppidum Aragoniæ inclytum, paruo distans ab Ilerda interuallo, præcipiens magistratibus, vt cum magna oppidanorum manu, & comætu triduano, Albesam comitatus oppidum conuenirent: ac etiam litteras ad Guillelmum, & Raimundum Moncadam, & Guillelmum Cerueram, Cataloniæ proceres dedit, exhortans, vt quantis possent proprijs, & amicorum copijs coactis sibi adessent ad eius belli subsidiū, cui ipsemet præesse decreuerat. Itaque subsidiorum spe fretus, tam paucis comitatus ad bellum Ilerdā profectus est; vt cum Petro Cornelio antesignano vix tredecim equites sequerentur. Vnde perueniens

Albe-

Albefam, quò tametsi nondum Tamaritani venerant, ibi tamen in uento Bertrando Calafanzio cum expeditis militibus septuaginta, Albefanos obsidere, ac conterrere statuit: sua enim conspicenda presentia & aspectu, nò minus formidolosus, quàm amabilis ubi que erat. Dum igitur oppidum expugnari incipitur; oppidani quavis à maiori exercitu sese potuissent defendere, tamen conspecto Rege defecisse animo visi sunt; quandoquidem postero die, vix còspectis Tamaritanis in castra venientibus, oppidum vnà cum arce Regi tradiderunt. Quo peracto, atque direptione prohibita, Monarguesium par Albefano oppidum transijt; illudque statim Regi sese sponte tradidit. Eò loci deuenere copiaz ex delectu Aragoniz, & Catalaniz comparatz, equitum tricentorum, cum expeditis mille peditibus, quibus, tanquam iusto exercitu, reliqua comitatus oppida lustrare, atque expugnare constituit. Nam profectus est inde in oppidum Linerolam à Gerardo munitum, satisque ad sese defendendum paratum: sed celeritate Regis prauentum, ac deditioem detrectans, animosè à Regijs est oppugnatum, atque vi captum; vnà cum ijs, qui sese in praxaltam, valloque & fossa munitam turrim receperant. Inde se in vrbe Balaguerium contulit; quæ Sykori alluitur fluuio, & tàquam totius comitatus caput habetur: ubi se Vicecomes Cabrera continuerat, eamque multo milite & comiteatu compleuerat. Vnde Rex, traiecto flumine, qua parte monticulus, Almatan dictus, vrbi imminet castra posuit; cui loco magna pars vrbis sese aperiebat; neque à pilorum coniectio- ne, atque tormentorum emissionibus domus defendi poterant. Eo tempore adueniente Guillermo Benearnensi, & Cerbera, cum cohortibus iussu Regis coactis, exercitus fuit auctus ad numerum quadringentorum equitum; peditum verò bis mille. Ac quoniam fossa & muro oppidum munitum erat, neque cominus oppugnari poterat, duas immanes machinas fūdibulares instruxit, quibus, coniectu lapidū, murus & domus intus infestissimè quatiebantur: quarum custodia præfecit Raimundum Moncadani, cum alijs tribus proceribus, paucis tamen adhibitis militibus, quòd non longè essent à castris. Id sciens Guillelmus Cardona, qui vrbi præerat, cū expeditis equitibus viginti quinque, ac ducentis peditibus, sub ip-
sum

sum matutinū crepusculū per muri ostiolū secretò exeuntes, equites intētis hastis, in custodes irruerūt; pedites autē, accensis facibus, machinas petierunt. Quē impetum Pomarius vnus ex custodibus, aut quòd sustinere nō poterat; aut, vt Regē suscitaret (viderat enim diuisos pedites, partim in machinas, partim in tētoria ad vtraq. succendendū intētos) relicto Raimūdo, illò properauit. Vnde Guillelmus directa acie in Raimundū, feroxq. in eū prorūpens, ipsi, vt dederet sese, quasi victo imperabat. Cui viriliter resistēte Raimūdo, occurrit Rex, qui dispositis, qui tentoria ab igne defenderēt, de machinis sollicitior, ad eas cū vniuersa turma equitū procurrat; iāq. cōmissio prælio, superatibus regijs, & machinaz, & tentoria ab igne erepta fuere; & Guillelmus cū nōnulla suorū iactura in oppidum abire cōpulsus. Itaq. perspecta Balagueriensū pertinacia, Rex amoenissimos illorū hortos, & suburbana edificia vastari permisit: ex quo magna ciuium consecuta est in Gerardū indignatio; atq. ab eo tēpore ab ipsis deliberatū, dedere se Aurēbaxidi verè ipsorū dominaz, quæ nuper venerat in castra Regis. Vnde secretò Legatos ad eā miserūt de deditio- ne acturos. At vero interim, cū quidā ex vrbe, qui per murū dispositi erāt, cū nōnullis de exercitu Regis colloquerētur, cōspecti ab ijs, qui arcē custodiebant, sagittis configebātur. Quare denuò cōmoti ciues, iā nō clanculū, sed apertè indignati cōtra Gerardū, noua legatione, se Regi & Aurēbaxidi, vrbe cum arce tradituros obtulerunt. Quod sentiens Gerardus, illico Regi scripsit se esse pròptum arcē ei tradere, modò eidē præficeretur Raimundus Berengarius Agerius, qui vtriusq. nomine teneret cōmendatā illā, quoad decerneretur ad quē Comitatus iure spectaret. At Rex, quē accuratius ciues sollicitabat, Gerardi oblata pacta & cōditiones placere sibi, sed cū cōsilio, se responsurū dixit; remq. differebat. Sed Gerardus, siue stultè, siue cōsultò id fecerit, dissimulās, quasiq. ignorās ciuiū negotiationē, perinde ac si Rex pactū accepisset, solus vrbe exijt, accipitrē manu gestās, atq. Berēgariū Finestratiū, vnū ex suis ad Regē mittit: vt qui iuberet Raimundū Ageriū in arcē ex pacto venire; sed dū is quæritur, ciues vexillū Regis in prospectu omniū in arce collocarūt. Quod intuēs, eius rei incius Finestratius, cōfusus ac derisus inde abiit. Balaguerio capto, Gerardoq. Monmagastrū cū suis abeūte, protinus Aurēbaxis à Rege in possessionē vrbis immissa est. Inde verò ambo cū exercitu
F Agra

Agramōtiū perinsigne comitatus oppidum contendūt; in quod se Gaillermus Cardona defensurus intulit. Sed exercitus collocatus est in accliu mōtis Almenarēsis, in prospectu oppidi, loco superiore ac cōmodiore ad oppugnandū. Id cōspicatus Guillermus, noctu, antequam oppugnaretur oppidum, relicto eo & arce, occultē cum suis abiit: quā protinus sequenti die in potestātē Aurēbaxidis venēre. Id ipsum & Pontianēses decreuerūt, occultē misso Legatō, qui renuntiavit, illos veniēti Regi se illico tradituros. Verū Rex eō venire noluit, quōd rescisset oppidū à Folchio Vicecomite defendi; quem nōdum, ut moris erat, prouocarat, neq. inimicitias indixerat antequā bellū in eundē mouisset. Vnde Agramōtij sistēs, Aurembaxidē cū Guillermo & Raimundo Mōcada, atq. cū omni exercitu eō mittit; quindecim dumtaxāt secū relictis equitibus. Accedēte Pōtium exercitu, neq. cōparente Rege, indignati Pōtiani, oppido exeuntes, instructa acie, Regios magno animo aggressi sunt: qui ab illis viriliter excepti, cōmisso praelio, oppidanorū acies à regia tandē in fugā cōverti cōepit; atq. cū magna ipsorum strage in oppidū cōpulsā fuit. Cumq. Aurēbaxis locū ad deditōnē faceret oppidanis; at ij cōstanter respōderūt, nulli prēter quā eidē ipsi Regi, se dedituros. Quo intellecto, Rex protinus eo abiit, cui vnā cū oppido arx, quā Folchius reliquerat munitissimā, in potestātē venit: saluo tamē Vicecomitis iure, si quod ad oppidum haberet, Rege & Aurēbaxide, pacto, atq. iureiurando id cōfirmantibus. Capto Pōtio, Vliana, aliaq. mōtanā oppida, & arces, quā interluit Sycoris, se, Regi, & Aurēbaxidē dederūt; sicq. Aurēbaxis, subsidio & ope Regis, totius comitatus domina et Princeps effecta est. Quā Rex illico Petro Portugalēsi Principi, cōsobrino suo, qui eo tēpore Portugalīa exul in Aragoniam ad Regē venerat, in matrimoniū collocauit. Demū Gerardus Cabrera, Vrgelitano comitatu pulsus, Tēplariorū societātē ingressus est; cuius nīlius Pōtius, Aurembaxide sine filiis decedente, postea antiquo repetito iure, comitatū recuperavit. Quo finito bello, ac tum procerum Cataloniā; tum ciuitatū Aragoniā, cōmotionibus sedatis, dimisso exercitu, Rex abiit Tarraconem. Vbi ostiū ei magnū apertū est, diuina referante manu, Ad permagna foris suscipiēda facinora, factisq. famam gloriosissimē extendendam.

BER:

BERNARDINI GOME SII MIEDIS, ARCHIDIACONI

SAGVNTINI, DE VITA ET REBUS

gestis IACOBI primi Regis Aragonum,
cognomento expugnatoris.

LIBER V.



ANNVS Christianz salutis ducētissimū vigēsimus octauus supra millesimum, Iacobi verō vigēsimus erat, quo idem multis antea Aragoniā, Cataloniāq. procerum cū controuersis dirimēdis implicatus, tum eorundē ac ciuitatū conspirationibus cōprimēdis prapeditus; atq. instabiliendo sibi Regno, tredecim circiter annos domi retentus; nullum adhuc foris bellum gesserat; nullas praterquam paucas extra Regnum excursionēs fecerat. Exquō angī quidē ille, premique vehementer solebat; quod etatem tam apta attingens ad gerenda bella, nondum tamē ipsos prafertim Christianz fidei hostes Mauros, maiorū suorum exemplo, magno aliquo persequutus bello fuerat: non arces, non oppida, neq. vrbes, in quas Christianam religionem induceret, ab eis vi & armis sustulerat. Id, quod à principio Regni sibi suscipiendum proposuerat, tum maximē, cū ad redimēdos Christianos homines è potestate Maurorum, societatem illam religiosorum, de qua supra diximus, instituit. Ab eo quippe tempore eiusmodi belli motiōnem pro summa ipsius animi magnitudine commoliri cōeperat. Verūmenim cū eius rematuritas nondum venisset; neq. etatis, neq. consilij, neq. autoritatis demum, quorum summa in externis ducēdis bellis ratio haberi solet, tēpestiuitas accessisset; matura fuit ei cūctatione opus, seq. domi potius, quā foris versatum fuisse, ac vel cū paucis, tenuibusq. exercitibus tyrocinium suum egisse, magis quoque consentaneū: propterea quōd necesse subindē fuerit eundē, tametsi paucorum ducē; at vniuersorū curam gerere: ac nō per alios (quod in ma-

F 2 ximis

ximis fit exercitiis) sed per seipsum ordines ducere, prelijs ac dimicationibus quibusuis interesse; militum laboriosissimis operibus sese immiscere; consilia pro tempore ac pro re capere; quibus etiam maturare, cunctari, insidias timere & facere; sicque ab strenuis & valenti milite paulatim & quasi per gradus, ad magni quoque ducis, atque Imperatoris munus obeundum peruenire. Qua occasione, in tam continuo sese ille corporis & animi laboribus exercuit; adeoque militari bus simul & Imperatoris virtutibus profecit: ut quo magis tunc fuit domesticis intentus armis, atque foras abire cohibitus, eo quidem ad inferenda bella exteris euasit multo paratior. Haud secus quam in expugnatione urbiū, ad earumque diruenda moenia euenire olim solebat: dum adhibiti arietes & tormenta, quod fuerat contenta & adducta vehementius, eò maiores emissiones habebat. Perinde ut etiam de Africano fertur: qui cum in Sicilia, Syracusis dies multos egisset, ibique praeclarissimam illam Carthaginis euerisionem per otium meditatus fuisset; ad idque tacitus tum multas extruxisset machinas, tum ad eas commolendas, se toto animo applicuisset, in illam postea felicissimè prorupit. Ex quo appositissimè de illo hæc referens Valerius conclusit, Strenua et illustria ingenia, quod plus recessus sumunt, eò maiores impetus edunt. Quod igitur in Sicilia Syracusana urbs, tot terræ marisque comoditatibus opportuna, Africano profuit ad euerisionem Carthaginis machinanda: id ipsum Iacobo ad Balearicum suscipiendum bellum, non minoribus quam illa opportunitatibus augeta præstitit Tarracone, urbs antiqua & pernobilis Romanorum Colonia: ac non modo conuentus & Prouinciæ Tarraconensis; sed totius ferè citerioris Hispaniæ caput olim, atque Princeps habita. Quæ in edito monte posita, tametsi nunc parua est, atque ab ea, quæ fuit quondam plano etiam in loco explicata magnitudine, & ciuium frequentia, ad paucos redacta; tamen multorum operum splendore ac molibus, nunc quoque conspicua est, satisque frequens, & amœna; atque ad colligendos exercitus, omnique ornandas re classes comodissima. Idque opportunitate potissimum tum subiecti ad ortum maris; tum celeberrimi ad meridiem portus Salonij; quibus non solum piscatu copiosissimo; sed omni mercimonio & comœntu rerum abundat: præter opimam pastionis, atque syluarum magnitudinem, qua versus Aquilonem eius ager exuberat: maximeque tandem, ob latissimum urbi adiacentem campum,

pum, ad occasum; hinc mari, illinc montibus undique septum: qui & fertilissimus est, & multis aquarum deriuationibus irriguus; quibus fit, ut & cultissimus, & ad omnis generis propagandos fructus alijs longè aptior sit atque confitior. In quem ciuitas tot, adeoque præclara oppida & municipia tanquam colonias deduxit; ut ciuitatis illæ cum pars magna sint; tum eidem perinde ut membra capiti pareant atque assistant. Eiusce ergo adducti commoditatibus Romani olim, militares in ea stationes posuerunt; & ad defendendam prouinciam, ac terra marique profligandos Carthaginenses, præsidia collocarunt. Ideoque urbem & cinxere moenibus, & iuuarunt aqueductibus, & naualibus ad ædificandas classes munierunt; ac etiam ut Romanorum memoria perdignam ostenderent, duo in primis Scipiones, non modò iure latij donarunt; verum theatris, tropheis, sepulchris, aliisque magnificis structuris operum & monumentis, quorum præclara adhuc manent vestigia, mirè ornarunt & amplificarunt. Qui igitur situs urbis, atque amplitudo portus, ceteraque expressæ loci comoditates effecere, ut queuis ab Aragoniæ Regibus susceptæ maritimæ expeditiones, Tarracone tanquam opportuniore totius oræ loco iniretur. Quamobrem quæ sese in ea ad Balearicam suscipiendam occasio Iacobo obrulerit; quam iusta ad huiusmodi commouendum & prosequendum bellum causa etiam se dederit, ordine dicamus. Pacatis omnibus Regnorum tumultibus, atque Aurembaxide, ut dictum est, in potestatem Comitatus restituta, Iacobus dimisso exercitu Tarraconem venit, adiunctis sibi Nunnio Sanctio Ruscinonensi atque Vgone etiam Emporitano Comitibus; necnon Guillermo Moncada Vicecomite Benearnensi, aliisque nobilissimis Cataloniæ proceribus. Quò etiam inuocati confluxere, Regem visendi gratia, plerique ciuitatum optimates, aliorumque ordinum homines, qui pro sedatis tot Cataloniæ discordijs, maximè verò Vrgelitana re composita, comunem Regnorum pacem & concupitam diu tranquillitatem; ad eum gratulaturi conuenerat. Itaque magno undique in urbem concursu factò, cum omnia ludis & spectaculis, Regem recreandi gratia, plena essent: Petrus Martellus cuius locupletissimus & in numero optimatum descriptus, Regem cum vniuersis Aulae proceribus conuiuio excepit opulentissimo, illudque

ludque Catalano, ut vulgò dicunt, more celebrauit. Solent quippe Catalani, quos omnium maximè frugi homines, atque Lacones Hispaniæ vocant, conuiuari rarò; sed perquam magnificè ac splendide. Vnde triclinio magnificentissimè structo in editiore loco vrbs, quæ subiectum est ei mare, ut longè latius eius in omnes partes pateret inde prospectus; post secundam mensam, quæ peruarijs atque conquiritissimis dapibus fuerat extracta; vbi depulsa fame, ac recreato gustu, reliquisensus suos quoque pastus quarunt mare, quod nunquam non pascit oculos, contemplantibus omnibus; Rex percontari cœpit; quænam insulæ Tarraconi propius adiacerent. Tum Martelius, naualium rerum peritissimus, qui Mediterranei maris Insulas omnes sæpius collustrarat, Baleares duas, maiorem & minorem, vnà cum Ebuso, & Frumentaria, propiores ei continenti esse dixit: Quarum alteram, præsertim maiorem, reliquis Ibericis insulis latiore fertilioremque esse asseruit. Quin & adiecit etiam, deuictis illis, non solum Christianis omnibus toto mari reddi à piratis tutam nauigationem; sed paucis ibidem extractis triremibus, facile esse transitu prohibere Afros, ne Cataloniæ infestarent. Demum tantam illis vbertatem, cum incredibili pecudum & armentorum copia ac multitudine inesse subiunxit; ut eas, non frumentaria re modò, atque omni comœtu abundare; sed lignis, ferramentisque etiam sufficere ad maximas ædificandas classes, ac inuolandum vtrò citroque in Africam, & Valentinum Regnum; ipsosque Mauros terra marique infestandum. Quæ cum dixisset Martelius, assensu sunt ei vniuersi conuiuæ, eiusque sententiam varijs argumentis & rationibus confirmarunt; quibus plane Regem ad eiusmodi suscipiendum bellum, toties à maioribus suis initum, sed ei fortasse diuinitus concessum ac relictum, vehementer inflammant: eoque magis, quòd impia Mahometana secta ab Insulis pulsa, sua quoque manu, sacrosancta Christi religio in eas esset inuehenda. Interea verò, occasione magna sese eiusdem belli mouendi causa subiecit. Nam sub id tempus, nuntius è Maiori Balearium allatus est, fuisse ab eius Rege omnino negatas onerarias naues illas Catalanorum, quæ onustæ mercimonio fue-

rant

rant à Balearicis interceptæ, cuius rei causa, cum paulò antea Iacobus Legatum ad Insulam misisset, qui Regem Retaboygum rogaret, ut eiusmodi naues restitui, atque consecuta damna compensare curaret; Legato idem superbissimè respondit: Cuiusnam Regis hæc sunt, quæ defers mandata? Ad hæc Legatus, Iacobi, filij ac successoris illius magni Petri Regis Aragonum, qui olim præclarissimo illo Idubedensi prælio, cælis ac fugatis Mauris, amplissimam de illis victoriam reportauit. Quod ille audiens, tanta fuit ira succensus, ut in Legatum contumeliosis emissis vocibus, parum affuerit, quin inuolarit, & per cancellos ipsum deturbarit: sed suorum consilio repressus, Legatum, re infecta, breui tota Insula iussit excedere. Quo tandem Tarraconem remigrante; & quæ cum Rege Balearico ipse gesserit, ordine exponente; communi Regis, omniumque procerum consilio ac deliberatione, conclusum fuit; Bellum Balearicum, & adiacentium Insularum esse suscipiendum; tum ut in posterum tot continuis Catalanorum damnis occurreretur, tum etiam ut Christiana religione inducta, sanctissimum Christi nomen, eiusque Catholica fides, in ipsis Insulis propagaretur. Fuerat enim in eisdem à multis annis à Sarracenis exercita tyrannis, quæ Christianis Hispaniæ non minus ignominiosa, quam vehementer pernitiola extitit. Maximè verò Catalanis, & Aragonensibus; ob tam paruum illarum à continenti distantiam. Tametsi excusari hi poterant, continuis Valentini Regni, aliorumque Hispaniæ Sarracenorum bellis impediti. Quarum ergo tranquilla, diuturnaque Insularum possessione, & affluentia earum vbertate, ac diuitijs potiti Sarraceni Reges; amplissimas, munitissimasque in eis arces, & oppida, condiderunt; ac præ cæteris eiusce maris Insulis, Balearium maiorem, quæ omnium rerum copia affluit, & à Cosmographis simili ratione, qua illa Asiæ Cherionesus, aurea quoque depingitur, habitationi accommodatissimam, atque amœnissimam reddiderunt. In hac quippe Regia erat, cæteraque Insulæ adiacentes huic subditæ, per præfectos regebantur; qui & piraticam exercebant, & eius maris Imperium omnino tenebant. Itaque re mature deliberata, atque ab omnibus, diuino inuocato numine, con-

4

cordif-

cordissime conclusa, Rex conuentus magnos Barcinone in proximum mensem Decembrem iudici iussit. Quò protinus conuenere omnes Regni Antistites ac proceres; necnon Barones, atque nobiliores equites, vna cum procuratoribus ciuitatum & oppidorum, cum amplissimis mandatis, ad faciendum ea, quæ pro tam utili atque honesto sustentando bello, à Rege imperarentur. Quibus in antiquum vrbs palatium congregatis, ac debitum Regi obsequium ordine exhibentibus, Rex solio regali ornatu insidens, cum purpura & sceptro, aliisque insignibus Regijs, ad eos sic verba fecit. Ex tam frequenti conuentu, ac læto conspectu vestro, facile deprehendo, grata fore vobis quæcunque, licet grauissima, propulerò: cum maxime compertum habeatis, me, nec maiora unquam, quam quæ potestis; nec nisi quæ honorifica mihi, vobis autem utilia futura sint, semper imperare solitum fuisse: ac neque alia potissimum, quam quæ tum ad sanctissimum Christi nomen, eiusque veram religionem disseminandam; tum ad communem Reipublice utilitatem, cum aliqua Imperij nostri dilatatione, procurandam conducunt. Hæc quippe mihi ab exordio Regni facienda proposui; ac nisi tot, tantisque in stabiliendo illo negotijs hæcenus præpeditus fuisset, haud dubie, prouexissem. Verum quoniam optata sese mihi iam occasio ad illa perficienda offert; necesse est, ut diuina in primis ope duce, vestroque simul auxilio comite, ad hoc, quod animo commolior facinus persequendum, vna mecum accingamini: nempe ad Sarracenos, tam acerbos gentis ac religionis nostræ hostes, non modo terra prosternendos; sed mari etiam à Balearibus, proximis, atque adiacentibus huic regno Insulis, ad vnum propulsandos: ut ipsas quidem Insulas, cum eius maris Imperio, Christo primùm consecrare, ac nostro deinde Principatui adiungere possimus. Insulares enim eiusmodi Sarraceni hostes, quam qui ex continenti nobis imminet, vobis infensiores sunt; vestrisque mercaturis ac nundinationibus, quas mari conuehi necesse est, multo perniciosiores existunt. Non solum enim vos accessione & portu prohibent earum Insularum, quarum incredibilis vbertas, ac summa comestus copia, vobis supplemento esse possunt; sed quæ alimento etiam, atque affluentia rerum omnium: ut quibus in potestatem red-

ctis,

ctis, præterquam quòd liberi eritis ab eorum, atque Afrorum, qui se illis adiungunt, vastatione & excursionibus; facillime etiam inde nobis fiet progressio in Valentinos hostes, quibus tãtopere terra infestatur; ut subinde cum terra marique tuti omnino sitis, tum securè domi, & cum tranquillitate viuatis. Quod plane bellum tametsi, ut fatemur, magni sit negotij, summiq; impendij & laboris; ac vel ex eo quòd maritimum, inexperto mihi subuereri licet; tamen quoniam & nauali disciplina, atque bellandi arte valde præstatis; & facultate, omniq; armorum genere, mire polletis; & pro communi vestra utilitate pugnaturi estis, meque in ea pugna antesignanum habebitis; non dubito, annuente Christo, notabili felicissimoque esse illud exitu concludendum. Quapropter, ut equidem confido, vos illico, vestramque operam & auxilium; aliaque ad eiusmodi expeditionem necessaria, nobis liberalissimè præstituros: ita promitto etiã, vos rursus, præter æterna, quæ è cælo præmia speratis, à præda quoque & spolijs hostium, iustam, atque perdidignam laborum & impensarum vestrarum mercedem percepturos. Veruntamen quoniã parum sunt foris arma; nisi sit domi pax; dare quamprimùm operam oportet; ut quicquid discordiarum, seu controuersiarum, priuatim, aut publicè toto Regno inest; id breui, auctoritate nostra componatur: ut pacatis nostrorum animis, eorum in se inuicem efferuescens ira omnis in Sarracenos contorqueatur. Non enim contra illos poterit bellum feliciter adulescere, quòd non Christiana pax pepererit, bonorumque concordia nutriuerit, atque diuinum Christi numen denique confirmauerit. Hæc ipso dicente, magnus repente à cuncto consensu, atque multiplex datus est plausus; illiusque proposita & postulata, incredibili fuere collaudata & comprobata clamore. In primis Ecclesiarum Prælati Tarraconensis, Barcinonensis, & Gerundensis, (neque enim alia tum erant in Catalonia primaria Ecclesia, neque ciuitates) singuli ordine amplissimis verbis maximas Regi gratias egerunt, pro tam pia, Regnoque comoda, belli susceptione proposita. Cui, aut numerata pecunia, aut auxiliaribus copijs, se non defuturos promiserunt. Ac protinus, ut Regi mos gereretur, utque in bellum omnia propenderent, ab vniuerso conuentu deliberatum est, fieri inducias

F; & com-

& communem pacem toto Regno; quas singuli sub pœnis grauissimis habere, seruareq. cogentur: præcone missò à Cinga fluuio, quâ propè influit in Iberû, ad Salsulas Galliæ Narbonensi confines, indeque secus oram maritimam, ad ostia paulò vltra Iberiâ ab hisq. aduerso flumine, ad Cingam, reuertente. Hoc enim triangulo vniuersa Catalonia describitur, cuius scilicet duo latera, duæ lineæ sunt ab eodem Cinga ductæ; altera in Salsulas per radices, seu ramenta Pyreneorum; altera verò, secundo flumine Ibero, in eius ostia; à quibus rursus ducta, per Tarraconensem, Barcinonensem, Gerundensem, & Ruscinonensem oram in Salsulas basis, est mare. Deinde conclusum, vt ad eam expeditionem, Bouaticum, de quo supra, quod Regibus semel tantum primo Imperij anno dari consuevit, datumque fuerat Iacobo Montionis è custodia exeunti; eidem secundo penderetur. Hoc enim tati erat, vt eo tempore, quo ducû, atque Imperatorum, vincendi, non cumulandæ pecuniæ, ac neque iccirco belli protrahendi mens erat, sufficeret ad tot militares sumptus. Præterea singuli Regni proceres & magnates, multa ad id bellum liberaliter prolixæque promiserunt. Siquidem Guillelmus Moncada Comes Bearnensis, sese præsto huic bello ad futurum Regi obtulit, cum quadringentis equitibus, suis stipendijs conductis. Item Nünius Sanctius, cõmuni pace, aut inducijs, necnon Bouatico in suo Comitatu Ruscinonis, Confluentiæ, & Ceretaniæ, admissis, cum certo quoque leuis armaturæ equitum numero, se iuuaturum pollicitus fuit. Necnõ cæteri proceres, et Barones Regni, Ciuitates, et oppida certatim, pro cuiusque facultate, aut numero militum; aut numerata pecunia, se, Regem adiuturos obtulerunt. Itaque milites vbique in Aragonia, Catalonia, Aquitania, & Castella etiam conscribi cœperunt; qui constituta die Iduum sequentis mensis Maij, Tarraconem ad portum Salonium, quò terrestres copiæ, atque ex omni ora classis confluxura erat, conuenerunt. Insuper Rex literis publicis, siue diplomatis, quæ sequuntur pacta, & conditiones adimplere, eisque omnino stare promissit. In primis, se, ijs, qui suis stipendijs Regium exercitum, peditatu, aut equitatu, siue nauibus, aut nauali apparatu sequerentur, prædam, et spolia hostium diuisurum, atque vnicuique pro ratione la-

ne laborum & impensarum, iustam quoque partem traditurum totius acquisiti bello territorij, ac locorum, & oppidorum; reuertatis tamen, Regiæque ditioni applicatis ijs, quæ pro Regia, & potiore exercitus summa sibi obuenerent: necnon Regijs, & basilicis, atq. etiã pascuis regalibus, pratisq. pomarijs & hortis, in vrbibus, ac oppidis, alijsque locis, inuentis. Quin et vniuersas quoque arces, et alia queuis munita loca, tanquam necessaria Regi ad collocandam Insule præsidia, sibi retinenda sanxit. Ad hæc ad tot sedandas lites, atque controuersias, quæ ex diuisione rerum, maxime bello partarum, exoriri solent, iure sepe armis succumbente, se autoritate Regia, atque grauissimorum hominum iudicio, res decreturum. Idcirco diuisioni tam spoliatorum, atque manubiarum, quam territorij, oppidorum, seu aliorum locorum ab hostibus exceptorum, designauit futuros arbitros, Berengarium Palouium, Episcopum Barcinonensem, virum eximie sanctitatis; atque Comites Nünium Sanctium Ruscinonensem; Pontium Vgonem Emporitani, Guillelmum Moncadam Bearnensem, Raimundum Folchium Cardonensem, et Guillelmum Cerueram; qui licet Virgiliano Comitatu priuatus; tamẽ magni semper erat nominis apud Regem, et proceres; neque facultas ei deerat ad Regem, bello pacemque, summo honore prosequendum. Adiecit etiam, vt Prelatis Ecclesiarum, suis sumptibus Regem iuuatibus, præter decumas, et primitias eisdem iure diuino debitas, sua quoque territoria et spolia; necnon oppida, et pagos; atque pro erigendis templis et sacellis, competentes census eorundem iudicium arbitrato assignarentur. Postremò ne debellatas Insulas deserere cõtingeret, sancitum etiam, vt proceres, quibus prædia, siue oppida, et territorij partes obtingerent, tenerentur in eis residere, aut alios suo loco dimittere; alioqui ditioni, ac potestati Regiæ applicarentur. Hæc igitur à Rege, et proceribus Barcinone ad id bellum inferendum, pacta et constituta fuere. Vnde publica fide data, numero militum, quibus proceres alijsque ad bellum profecturi erant; atque Bouatici collectione, designatis, Rex conuentus dimisit. Dum hæc geruntur Barcinone, Rexque in bellum totus incumbit, intellexit venisse Turiasonem, Io. Cardinalem Sabinensem Legatum à Pontifice ad

fice ad se missum. Estque ad eum illico profectus: cumque ad oppidum Calataiubium venisset, quod nobilitate, atque tum civium amplitudine, tum societate municipiorum, secundas tenet in Aragoniz Regno; nuntiatum est ei Zeitium Abuzeitium Valentiz Regem cum paucis intrasse oppidum, magnoque opere petere ipsius congressum. Quo audito, stupentibus omnibus, Rex qui eius aduentum praesciuerat, bono animo omnes esse iussit. Etenim adueniente illo, aditum sibi ad Valentinum Regnum patere significavit: quod literas iam diu secreto ab ipso Abuzeitio accepisset, quibus ille suo, atque Principis Abohamati filij nomine scripserat, velle foedus, atque amicitiam cum eo inire, cupereque vna esse, atque arcana quaedam communicare: hac enim de causa in suspicionem suorum veniens, ac praesentens illorum conspirationem, se aduentum maturasse. Hanc autem Rex illius aduentus occasionem fuisse tunc retulit, eandemque sua in historia expressit. Verum Burgenfis ille Episcopus, qui generalem Castellae historiam Latine conscripsit, alia de causa Abuzeitium ad Regem venisse dixit: quod scilicet Legatos ille, tum Romam ad Pontificem; tum in Aragoniam ad Iacobum cum literis misisset; quibus, se, promptum obtulerat ad profitendam Christianam religionem; testimonioque esse, quod & a saevitia, & ab excursionibus in Christianos iam diu temperasset. Qua patefacta legatione, quidam ex Regni primatibus Zaen dictus, multorum simul conspiratione adiutus, ipsum e Regno deiecit. Igitur ad Iacobum intromissus ille, Regio exceptus more fuit a Rege, & proceribus; atque explanata mente, & animo, quo erat affectus in Regem & Christianos; quodque suum nomen daturus Christo esset, quum primum Regnum recuperasset; implorare coepit summum ad id eius auxilium; fore etenim, ut & Christo, & Iacobo illud acquireret: quandoquidem Abohamatus eius filius, et in Regno successor, similiter esset erga Christianam religionem animatus: ac demum, se certum esse, bona Regni partem, ut primum videret Iacobum sibi esse auxilio, in ipsius partes abituram. Quae cum audisset Iacobus, consilio cum suis inito, brevi conclusum fuit, Abuzeitium, animadversa eius causa aduentus, et affectu erga religionem Christianam, audiendum esse, ac dictis

dictis eius fidem adhibendam; neque negandum ei auxilium; sed omni re, atque armis iuvandum. Sic enim tum iniri, quamvis lente, Valentinam expeditionem: tum magnum quoque fieri ad Balearica, progressum: propterea quod eiusmodi bello praepediti Valentini, nullo esse possent auxilio Balearicis; immo impedimento potius, ne a Murciae sibus, alijsve Hispaniae Sarracenis Valentinorum defensionem intentis, iuvarentur. Itaque vocato Abuzeitio, Rex se se ei cum omni re, milite, & armis, atque commeatu liberalissime obtulit: pacto, & conventionem facta, ut ex omnibus oppidis, & castellis, quae Abuzeitius recuperaret, quae maximè ex antiqua divisione ad Aragonensium ditionem pertinerent, quarta pars Iacobo Regi cum omni iure perpetuo cederet; quodque eorundem arcibus equites Aragonenses praeficerentur: quae verò Abuzeitius extra dictam divisionem caperet, ipsius essent. Quare ut haec rata fierent, promisit obsidum loco dare oppida sex, cum suis arcibus omnium munitissima, Cataloniae, atque Aragoniae confinia, utpote Peninsulam, de qua supra diximus, Morellam, Cullarim, Alpontium, Exericam, Segorbiu. Ac rursus Iacobus sese ad Abuzeitium defendendum, omni que ope iuvandum astringens, Castellabiniu, & Adamuzium oppida suis arcibus munita, Aragoniae vicina, quae olim Petrus eius pater in Valentino Regno armis acquisierat, obsidum quoque loco obtulit; modò duo Aragonenses equites eisdem praeficerentur, qui fide data, pro Abuzeitio illa tenerent. Igitur ab eo tempore Abuzeitius Iacobi exercitu, ducibusque Petro Azagra domino Albarrazini, necnon Blasco Alagone procerum Aragoniae praestantissimo, cum Turolensi equitatu, recuperando Regno, vna cum Abohamatio filio, operam navavit. Atque haec quidem mihi videtur longè verior & honorificentior causa fuisse Blasco Alagoni ingressus Valentini Regni, quam quae a nonnullis foeda satis, atque tanto indigna viro appingitur; nempe indignatum Blascum, ob magnam pecuniae summam, quam ei Rex debuerat, cuius solutionem procrastinabatur & protrahebat, cum magna militum manu Leonorae Reginae in Castellam, ob diuortium (de quo paulò infra dicemus) abeunti obviam venisse, eamque multis a Rege cumulatam opibus diripuisse omnino

nino: ac præda parta in Valentinum Regnum profugisse. Id quippe tam audax facinus, si minus potuit supplicio Blalci expiari; debuit tamen restitutione rerum, Reginz damnum compensari: de qua re, horrenda satis, atque de honore Regis non parum detrahente, cum nulla facta sit eius in historia mentio, à vero quidem illam alienam putamus. Ceterum Rex bello in Valentinum Regnum, duce Abuzeitio, suscepto, quasi semente facta, ad bonam inde victoriæ frugem aliquando colligendam; ut expeditior esset ad Balearicum incundum; à domesticis negotijs sese quamprimum explicare curavit: ac quoniam dubij, atque incerti sunt belli exitus, antequam proficisceretur, de stabiliendo Regno, successorque sibi diligendo cogitavit; nempe Alfonso Principe, ex Leonora Regina suscepto. Sed huic obstabat quammaxime diuortium, quod paulò ante Iacobus cum illa fecerat; tametsi diuortij causas nullas expresserat, præter impedimentum cognationis quarti gradus, quo se attingebant: vtriusque enim Alfonso Hispaniarum Imperator proauus erat; inopi sane causa, neque digna satis, qua matrimonium alioqui castum, & inuiolatum, tantaque cum dignitate iunctum, tum prole cohonestatum, dirimeretur: præsertim cum tam facile potuisset illud Pontificio confirmari diplomate. Quo minus vera esse potest, quæ de Legati aduentu causa à Petro Antonio Beuterio Valentino, satis curioso rerum scriptore (quod pace tanti viri, olim magistri mei dixerim) affertur secundo historiæ suæ libro, quæ ille Hispano sermone, de Iacobo edidit. Ait enim in Catalonia nobilissimam quandam foeminam fuisse, Tereciam Egidiam Bidauram nuncupatam, quæ sese matrimonio Regis & Leonoræ, antequam nuptiæ fierent opposuit: obijciens, se antea clandestino cum Rege fuisse coniugatam; ab eoque duos filios suscepisse: sed à Rege quidem repudiatam, adijisse Romam, atque summo Pontifici libellum contra Regem obtulisse: hincque factum, ut Pontifex Sabinensem Cardinalem Legatum ad Regem mitteret, cum Rex diuortium cum Leonora fecit, ut tam de diuortio, quam de matrimonio Tereciæ cognosceret. Sed hæc cum multis causis, tum his potissimum constare non possunt; quod tam ex Regia, quam aliorum quorumque sui temporis scriptorum historia deprehenditur;

ditur: Iacobum ante etatem legitimam, anno vix duodecimo exa-
cto, Leonoram duxisse uxorem; adeoque ipsum imbecilla tunc facultate fuisse ad gignendum, ut per decem & octo menses, ne illam quidem cognoscere potuerit, tantum abest, ut alteram prius duxerit; multo etiam minus ut ex ea filios susceperit. Quod si demus, Tereciam adijisse ea de causa Romam, ipsaque instante, venisse Legatum ad Regem, de priori matrimonio acturum, num vsque adeo stultus Rex fuit, ut hoc ipso tempore, quo tantopere Tereciæ matrimonium auersabatur, diuortium cum Leonora faceret; quò maiorem Tereciæ locum ad se repetendum daret? Vnde tametsi vera sunt, quæ de Terecia narrantur, scilicet Regem duos ab ea filios suscepisse Iacobum & Petrum, oppidis Xerica in Valentino Regno, & Ayerbio in Oscensi agro donatos: & Tereciam Valentiz amplissimis censibus locupletasse; ibidemque ipsam cœnobium Monialium, in Valentiz suburbij, in loco Saydia dicto, erexisse: vbi vitam cum summa religione coluit: tamen, ut à vero discrepat omnino, Tereciam sese matrimonio Leonoræ antequam fieret opposuisse; ita rursum cum illo conuenire potest, illam, alterum coniugium, quo secundæ uxori se Rex iunxit, impugnasse. Ut igitur reuertamur eo, vnde diuertimus; cum nulla ferè à Rege fuerit diuortij causa expressa contra Leonoram, foeminam alioqui Regiam, perpulchram, foecundam, & castam; ac nihilominus diuortium tantopere ab eo repeteretur, creditum planè fuit, tam insanabilem plagam; non aliunde, quam ab insito penitus, atque iniusto mentis odio erupisse, quod ex maturato eorundem matrimonio fuit mutuo cœceptum; Iacobo tunc puero, ac duodecimum vix dum annum attingente, seseque incufante, ut est in eius historia, quod per xvij. menses cum Regina corpus commiscere nequiverit. Vnde ex hisce præmaturis nuptijs tantum odij, fastidijque concipi solet inter coniunctos, adeoque libidinis fomes, præ imbecillitate accedi magis; ut hinc ambo, non modo varijs distrahi cogitationibus, à seque mentem alienare incipiant; verum neque sese amplius contingere, neque simul viuere; quinimmo connubij vinculum, quo astringuntur, quam maxime solui cupiant. Vnde colligere est eiusmodi præcocia atque maturata matrimonia, tanquam instabilia & caduca, esse quidem

quidem vitāda: nullisq. humanis quibusuis comoditatibus priuatis maturitatē, atq. tēpestiuitatem naturæ esse præponderandas. Nāq. vt non potest eius arboris esse succus diuturnus, quæ nimis celeriter est maturitatē affecuta: ita præpropera matrimonia, quibus dictum est caussis, cum infructuosa sæpe sunt; tum mutui odij, diuortijq. periculū subire solita. Interea Legatus de diuortio pronuntiaturus, re pergraui admodū, atq. Leonoræ non parum iniuriosa, tãtēsi neq. reclamasse illā inuenimus; indicto Cōcilio Turiasioni, præstātissimos quosq. Hispaniæ Antistites ad illud aduocauit, Rodericū Archiepiscopū Toletanum, Aspargum Archiepiscopū Tarraconensem; necnon Episcopos nouem, Burgensem, Calagurritanum, Segouiensem, Siguntinum, Oxomensē, Ilerdensē, Oscensem, Baionēsem, et Turiasonensem. Qui omnes, præter vitæ, ac religionis integritatē, omnium literatissimi, atq. prudentissimi erāt: à quibus peripecta satis, atq. explorata caussa, Rex tamen ante constitutā diem sententiæ pronuntiationis in Concilium venit, ibiq. in medio Antistitum, ac etiā procerum, quos secum adduxerat, constitutus; ad eos sic verba fecit. Amplissime Legate, ac religiosissimi sacrorū Antistites, fateri cogor, me iamdiu Leonorā Reginā duxisse in matrimonium, sanctæ matris Ecclesiæ auctoritate interueniēte; neq. dubitasse vnquam, verum inter nos, ac legitimum fuisse illud, eoq. perstante, Alfonso Principem filium ex ea suscepisse: quem vt proprium, ac legitimum semper habui, huiusq. regni successorē mihi delegi, ac me vita functo regnaturum illi omnes toto Regno iurarunt. Quamobrē premonitos vos esse volo; eiusmodi Regni successionem in Alfonso filio, me omnino ratam, & firmā habere; & si opus fuerit, denuō Regi auctoritate ipsum legitimū mihi successorē decerno. Quibus expositis, surrexit discessurus: consurgentibus autē Antistibus ad comitandum ipsum, manere eos, atq. maturē rem cogitare rogauit; successionē Alfonso, de qua valde erat sollicitus, Iudicibus impensē cōmendata. Nam de hac ipsa dubitans, ob diuortium; nuper conuentu Ilerdæ acto, ac cōuocatis Aragonensibus, Alfonso successorē declarauit Regni Aragonum tantūmodo, ac etiam Ilerdæ ciuitatis, quam sub Aragonensi ditione comprehendere voluit: nepe, vt in reliquis, tū Cataloniæ, tū Mōpellerij ditionibus, qui nasceretur ex alia vxore filij succederet.

cederent. Quam Regnorum diuisionem Catalani nimis egrè tulerunt. Veruntamē iudices, vel quod eos occulta potius quadoque, quam publica, atq. tabellis expressa caussa moueat, vel quod in causis regijs, pro maiori bono Regni, arbitrato, quam legibus vti magis expediat, quādo certum est ipsos minime, indictā caussa, iudicatos; tandem inserta sententiæ Regis confessione, siue protestatione, pronuntiarunt esse locum diuortio, eoq. non obstantē, Alfonso Jacobi & Leonoræ filium, verum ac legitimum patris esse successorē. Qua lata atque ab omnibus comprobata sententia; confirmatisq. Leonoræ oppidis, atq. vrbibus, quæ in dotem illi antea constituta fuerunt; eandem in Castellam pretiosa supellectile, auroq. & gemmis donatam ad suos remisit. At vero Rex Tarraconem reuertens est præstituto die Kalēdarum Maij, quo omnes terra mariq. conuenturi erant ad Balearicum bellum inuendum. Cui rei magnam operam nauauit Rex, ibiq. mansit vsque ad mensem Septembrem, quoad vniuersa classis in portum conueniret. Igitur exercitu atque proceribus Tarracone congregatis, Rex denuō, Antistitesq. & proceres, quæcunq. in cōuentu Barcinonensi acta & pacta fuerant de diuisione spoliōrum, oppidorūq. ac territorij, ab hostibus acquirendorum, approbarunt: modō qui ex Aragonia sequebatur Regis exercitum proceres, similibus fulti auxilijs, paribus quoque premijs, ac spoliōrum diuisionibus potirentur. Fuerunt quoque superioribus arbitris additi Barcinonensis & Gerundensis Episcopi; necnon Bernardus Campanius præfectus Mirauetēsis, qui erat in his Regnis magni Magistri Templariorum Vicarius. Postremò quoniam parum erat Christianos milites, præsertim contra infideles hostes, scutis, telisque paratos ac armatos esse, nisi animis armarētur; sacratæ crucis insigni, Christiano more, cunctos Rex insigniri curauit. Idque vt solennius fieret, Ilerdam cum magna parte procerum concessit: vbi in frequentissimo conuentu, Rex, & proceres cruce insigniti, atque sacre militiæ auctoramento deuincti fuerē ab eodem Sabinensi legato, qui Turiasona tunc Romam reuertebatur. Quibus peractis, Rex Tarraconem ad Balearicam maturandam expeditionem remigrauit.

BERNARDINI GOME

SII MIEDIS, ARCHIDIACONI

SAGVNTINI, DE VITA ET REBUS

gestis IACOBI primi Regis Aragonum,

cognomento expugnatoris:

(?)

LIBER. VI.



LASSE clv. nauium partim in portum Saloniu congregata, partim aperto mari è regione Tarracanis, & Cambrij oppidi distributa: eaque simul & frumentaria refertare, & commeatu, omni que armamentorum genere munita: quod ea, quæ vsui sunt, non ædificandis modo; sed armandis & muniendis classibus abunde Catalonia suppeditet; Rex protinus vniuersam recenseri, ac prout ordine disposita ad nauigandum esset, vnà & exercitum lustrari iussit. Erant autem nauium magnæ onerariz viginti quinque, longæ duodecim; reliquæ, & speculatoriz, & actuariz, ad celeritatem nauigandi: aliaque paulò latiores & humiles ad onera, & multitudinem iumentorum transportandam perplures, quæ omnes eundem numerum confecere, præter lintres, & scaphas innumerabiles, quæ longis, atque magnis nauibus subseruire solent. Militum verò vtriusque armaturæ multitudo, quamquam nullibi expressa; tamen, vt conijci potest, ex eius in Insulas appulsu & recensione, peditum ad quindecim millia; equitum ad mille quingentos peruenisse creditur: exceptis auxiliarijs, qui è Genua, èque Malsilia, & vniuersa Prouincia, cum nauis maxima, atq. munitissima Narbonensi, alijsque circum maritimis gentibus sese, quæ exercitui adiunxerant. Cuius gubernandæ classis præfectura, Raimundo Plicamano Barcinonensi, viro cum pernobilij, strenuoq. tum naualium rerum peritissimo, demãdata fuit. Qui autem primarij viri Regem sequuti sunt, eique multam vtilemq. operam præbuere, vt refert Aclotius, alijsque scriptores, numerantur in

tur in primis Episcopus Barcinonensis, vir non minus splendore generis, quam pietate, litterarum scientia, & sanctitate morum insignis, cum Guillermo Raimundo Moncada, & alijs sui quoque generis. Tum & Nunnus Sanctius Ruscinonis, Confluentis, ac Ceretanæ Comes; & cum eo plerique alij Catalanæ Barones; quin & Raimundus Moncada Comes Benearnensis, cum lectissima quadringentorum equitum cohorte, ceterique vtriusque Regni ex ipso iuuentutis flore delecti nobiles. Itaque paratis omnibus præstituto die, sacris de more confectis, ac vt Christiana pietas, tamque sancta expeditio postulabat, eodem ministrante Episcopo, Regi ac proceribus diuino Christi corpore communicato, cuncti naues conscenderunt. Iamque signo dato, sic è portu soluerunt, vt scilicet nauis Nicolai Bonetij Barcinonensis, quæ armamentis, atque celeritate cæteris præstabat, qua & vehebatur Benearnensis, antecederet; altera Carrocij, (de quo postea) postrema sequeretur: triremibus in medio constitutis, vt nauibus ante & post sequentibus, subsidio esse possent. Itaque leni flante vento, tametsi nondum satis confirmato; tamen præ proficiscendi cupiditate, sub ipsum matutinum crepusculum vela ventis data fuere. Rege quidem, qui expeditissima Mompelleriensium triremi vehebatur, vltimo è portu soluente; vt mille tunc è mediterraneis aduentantes milites actuarijs exceptos nauigijs secum afferret. Quem protinus sequutæ sunt, quæ aperto mari resedisse nauigia diximus. Igitur magna cum alacritate, atque optima de euentu spe, nauigantibus illis, contentoque cursu Balearium maiorem petentibus; cum iam iamque in eius conspectu essent, subito sese ventus Euronotus, qui sæpe in eo transitu flare consuevit, magno impetu classi opposuit, eamque in diuersa distraxit, atque cursum institutum inhibuit. Vnde commotum mare naues, ipsosque potissimum vectores vsque adeo conflictauit; vt nonnulli de progressu, deque vita desperarent; atque triste profectionis omen ex tempestate accipientes, de reditu in continentem cogitarent. Quin etiam milites, qui mare nunquam intrarant, atque tempestatibus insolentes erant, fluctuum agitatione & conflictu expauescentes admodum, Deo & Virgini matri sese verè, & ex animo commē

G 2 dabant:

dabant: mireque recordatione scelerum compuncti, prostrato & afflicto animo, Deo (quod nunquam sic tota mente fecerant) litabant: non enim à sacrificio abest (Regio testante Vate) spiritus conflictatus; quòd fractum, atque contritum cor Deus nunquam despiciat. Is quippe sacer, atque omnino salutaris est fructus, qui excipitur ex marina tempestate; nam ea quidem, non modò sanando corpori utilis est, vomitione, ut solet, omnem è vètriculo bilem excernens; sed ab intimo quoque animo impietatem omnem expectorat; meliusque subinde quisque in vtroque, quòd aiunt, homine, beneficio tempestatis, mari quàm terra curatur! Non ergo triste, atque infaustum, sed quàm optimum capiendum est omen ex marina tempestate: quæ omnibus eù corporis, tum animi morbis profligatis, nauigantes & Deo gratioses, & ad susceptum prosequendum facinus longe animosiores reddit. Itaque impediente vento, ne portum tenerent; nauarchi & naucleri triremis Regiæ consilium fuit; ut tempestatati cederent; atque in continentem remigarent: esse quidem, in eunte hyeme, tempestatem maxime timendam, & secutam post eam tranquillitatem ad nauigandum constantiorem existere. At verò Rex nequaquam reditum probauit; consideratè animaduertens, milites in terram emissos fastidio maris illico in diuersa abituros; idèoque esse progrediendum; atque à Deo profectiois suæ Duce, breui tranquillitatem speradam. Unde triremi sua plenissimis intenta velis, prætoriam Benearnensis nauem consecutus, eique præcurrens, seipse ducem classi præbuit. Verùm tempestate inualecente usque ad eò, ut Regis triremis, quæ sua antecessione maiores maris impetus sustinebat, sæpe tota penè fluctibus operiretur: tandem ad occasum solis, tum Euronoto remittente, tum Circio prospere ad portum tenendum flante, nubilosa dissipata procella est, ac sese classis vno ferè tempore in conspectum vniuersæ Insulæ dedit: fuereque portus Pollentiæ, Sollaris, & Almarauichi, ut inquit Rex, distinctè cogniti. Est enim vniuersa Insula in formam quadrati redacta: quatuor constans angulis, totidem præcipuis cœli partibus respondentibus. Quorum primum efficit Palumbariæ portus, eique Calubraria obiecta Insula parua, non quia colubros gignat; paucos enim alit,

sed

sed quia serpentis speciem præsefert, sic dicta: quæ quidem occasus respicitur. Alterum est, caput Salinarum, cui obijciuntur Capraria, & Cunilaria Insulæ, ac vergunt ad meridiem. Inter quod & Palumbariam, medio fere in cursu vrbs maior amplissimo portu patens interponitur. Tertium conficit caput petræ ad Orientem situm. Quartum verò turri sancti Vincentij designatur, cui Septentrionalis plaga opponitur. Estque altera ferè totius Insulæ pars, tætsi montosa admodum, & asperrima, pastionibus atque sponte nascètibis oliuetis fertilissima. Altera verò, in latissimam, planissimamque campum explicata: permultisque oppidis, pagis, & villis, ac suburbanis culta: cuius ager natura perbonus, diligentia etiam & cultura melior, omnium mundi feracissimus habetur: de quo mox plura dicemus. Cùm igitur in portum Pollentiæ, quæ paululum ad ortum declinat, proræ nauium intenderent; subito sese ventus Aquilo, prouincialem dicunt, ingessit, qui denuò classis cursum inhibuit: & quia Pollentiæ, illo flante, minimè tenere poterant, necesse fuit classem in portum Palumbariæ longe tutiorem reflectere. Qui portus vergit ad occasum, & ab vrbe, Maiorica vulgo dicta, quæ Insule Metropolis est, triginta distat passuum millibus. Itaque secundo vento, Regia triremis, plenis velis in illum deducta est; ac vniuersa etiam classis paulò post ingressa: Rege quidem feliciter die Veneris, qui erat ad Kalèdas Septembris, ut eius refert historia, in Insula pedem ponente. Vbi pro incolumitate classis (ne vna quidem in tanta tempestate amissa nauicula) immortales immortalis Deo, eiusque sacrosanctæ Mariæ matri, gratiæ ab illo actæ fuere, aliæque sacra per Antistitem Barcinonensem fieri decreta. Insequenti die, iussu Regis, Nunnus Sanctius, & Raimundus Moncada cum singulis triremibus vrbe versus littora omnia legerunt, & portus collustrarunt, sicubi tutus esset militibus è nauibus egressus. Verùm neque securius, quàm in proximam portum sanctæ Pontis, qui tætsi occasum respicit, paulò tamè versus meridiem inclinat; visum est classem posse inuehi: propterea quòd in Palumbariâ valde magna Saracenorum, & armata manus confluerat, quæ militum egressum omnino impediabat. Interea cùm dies esset dominica, iussu Regis, in anchoris fuere, ad radices Pataleonis excelsi montis, qui præruptus est,

G 3 atque

atque è regione Insulæ Columbariæ positus: quæ Insula suo quidē obiectu, Palumbariæ portum tutiorem efficit; curauitque Rex vt quamprimùm ex labore tempestatis omnēs reficerentur. Ibi ergo de his, quæ à sarracenis in vrbe fierent, quæve præpararentur ad eius propugnationem, certior est factus à sarraceno quodam, qui è Palumbaria, sese in mare proiecerat; ac versus classem enatans, magna contentione vocis, mari adhuc fluctuante, Regis colloquium petebat; quo protinus scapha in Regiam triremem subiecto, cum esset Catalanæ linguæ gnarus renunciauit, sarracenum decem millia in vltiore parte montis prope Palumbarium esse collocata, vt Christianis occurrerent, atq. egressu eos & portu prohiberent: ac insuper in Regem oculos intendens adiecit. Bono te animo Rex esse volo; ventura enim est Insula in tuam potestatem: Ita quippe fore augurata est mea mater, quæ magicis instructa artibus omnium Insularium habetur sapientissima: quin & attestor etiam sarracenorum armatorum triginta septem millia in Insula contineri: equitum verò leuis armaturæ quinq. millia. Proinde adhortor, vt quam possis citissimè portum teneas, exercitumque in terram emittas: in maturatione quippe tibi sita victoria est; antequam subsidium Tunetanum tibi, tuisque illam è manibus eripiat. Quæ Rex ob lætum nuncium, euangelij datis, manere quidem apud se iussit: quo postea in bello fuit exploratore, atque interprete vsus fidelissimo. Igitur noctu de secunda vigilia, cum naues in anchoris essent, Rex cum duodecim triremibus littori appropinquauit; præparatis lintribus & scaphis ad excipiendos milites, equosque & iumenta in littus emittenda. Qui cum à Sarracenis, qui erant in montibus conspecti fuere, quamprimùm quinque millia eorum magno, vt solent, clamore edito, in nostros impetum facientes, egressum impediabant. Sed triremium tanta fuit proras in hostes dirigendi contentio; atque missilibus inde tormentis illorum impetum sustinendi vis, vt locus fuerit Christianis in littus exeundi. Ex quibus primipilus quidam Bernardus Ruidemaius primus terram tenuit, prolatoque vexillo, signum dedit; quem secuta multitudo militum, viriliter sese in littus effudit, illiusque iussu, opponētibz sese agmini hostium cohortibus, equi & armamēta impune educta

educta facere. Hunc ergo secuti milites sexcenti in hostes irruerunt, adeoque strenue pugnatum est, vt illos in fugam coniecerint, atq. toto Pantaleonino monte, qui portui imminet potiti fuerint, locumque diligenter munierunt, vt in eo tanquam in specula collocati, terra marique oculis collustrarent vniuersa. Quo facto mirè exhilaratus Rex primipilum collaudauit, qui postea Bernardus Argētona dictus est, atque ob felices eius militares progressus, finito bello, oppido & territorio sanctæ Pontiz ipsum, & successores donauit. Quo simul tempore, Nūnius & Raimundus Moncada, quin etiam templi magister, cum Gilaberto Cruillo, & cl. equitibus in terram exiire, conspētantibus ipsos eminūs sarracenis, nec tamē exitu prohibentibus. Quorū stuporem admiratus Raimundus, cū ad eos propius accederet; neque tamen dimoueri loco ipsos, neque instrui ad pugnandum videret; signo dato suis, paucos illos esse, atque fugitios, exclamans, impetum in eos fecit, acerrimeque infestatus est. Sarraceni verò Raimundi vim ferre non valentes sese fugæ mandarunt. Quos insequentēs Christiani, ex eis mille & quingentos, vt historia refert, occiderunt, eaque singulari victoria ouantes in portum rediere. De qua re tametsi vehementer lætatus Rex fuit, eosque mirè laudauit; tamen egreferens, quòd primo, ac tam insigni prælio minimè interfuisset ipse; dum iubet eos cibum capere, ac curare corpora, sequēti die sub auroram, tacitus cum viginti Aragonensibus equitibus interiora Insulæ petens, in eam partem deductus est, vbi fuerat paulò ante prælium commissum: indeque prospectis quadringentis sarracenis peditibus, qui in accliuitate montis constiterant, aciem in eos direxit. Qui vbi cognouere, se esse visos, in eminentiorem collem trajicere cœperunt. Sed protinus, quasi venatione conspecta, Rex ad suos; maturate, inquit, cōmilitones, vt abeuntes feras illas intercludamus. In quos illo duce inuecti, octuaginta ex eis trucidarunt. Verūm ne ex leui sarracenorum fuga, nullave repugnantia, ignauos, atque inertes Balearis fuisse colligamus; commemorandum profecto valentissimi Balearis sarraceni, hoc ipso in conflictu, factum enarremus. Cū enim Rex seorsum cum tribus dumtaxat equitibus in saltum quendam incidisset, occurrit vnus sarracenus pedes, lancea

scutoque, ac Casaraugustana castris armatus, Cui Rex, ut sese dederet imperans, conuersus ille, in Regem vibrare lanceam, ac cum omnibus acerrime pugnare coepit. Ex quibus Ioannes Lobera Aragonensis, ad eum propius accedens, a sarraceno lancea transfixo equo deturbatus est; verum subito erigens se Lobera, districto ense, imminenti sarraceno restitit; atque a socijs accurrentibus, nolens se ille Regi villo modo dedere, contrucidatus fuit, eiusque cervicibus abscissum caput in castra allatum. Itaque obeunte Sole Rex ad suos reuersus, summa cum alacritate & acclamatione, ab omnibus exceptus fuit: atque intellecta interemptione sarracenorum, illius praesertim, cuius caput hastae infixum, in vultu robur indicabat; propter parem hesternae victoriam, magna illi gratulatio facta est. Interea Rex, cuius iuuenilis animi impetus, ipsaque vincendi cupiditas, ardorem mentis ad gloriam vehementer inflammabant, audiens Retaboigum Regem, vrbe cum exercitu excessisse, atque in montibus verari, mire gestiebat praelium cum illo committere: utpote quo superato, aut fuso, extenuatis urbanorum viribus, facile sibi foret breui vrbe cum vniuersa Insula expugnare. Quamobrem ut suis iter ad vrbe aperiret, tumultuantibus castris; neque se ad horam ferè vno certo in loco continentibus, pugnas hinc inde cum obujs quibusque Sarracenis committens, victorias quoque quasi venari videbatur: adeoque in has erat intentus, ut nulla neq. de frumentaria re, neq. de comaeu esset cura pressus: ex quo exercitus subita opprimi fame coepit: donec idem classis praefectus Plicamianus, cui frumentandi cura demadata erat, cibarijs, quae mari conuecta supererant, exercitum eousque aluit, quoad pagani Insulae, ut depopulationem agrorum redimerent, frumentum, aliaque omnia sponte, atque in magna copia exercitui suppeditarunt. Caeterum de nauibus, quae in anchoris erant, propè promontorium Porraciae, Austro expositum, trecenti equites exierat: fuereque ab eorum exploratoribus conspecta agmina, iustusque exercitus Balearici Regis, qui Sole occidete, in monte Portopineo, qui mari prominet, atque vrbi, ut diximus, proximus est apparuerant. De qua re Latro nobilissimus Aragonensis eques, alaq. equitum praefectus, illico Regem certiore fecit. Quo audito, Rex Be-

near-

nearnensem, & Nunnium, aliosque proceres, praesto esse, aciemque instrui iussit. Sequenti vero die, confectis sacris, quibus quotidie manè Rex intererat, atque curatis corporibus, consilium habitum est, magnaque super ducendis agminibus orta dissensio inter Benearnensem, Raimundum Moncadam, & ipsum Nunnium: vnoquoque tanquam pugnandi percipido, se in primo agmine collocari exposcente. Quae controuersia diutius protracta, in causa fuit, ut ex seruis, & calonibus legio collecta; nullo ordine, neque duce expectato, magno impetu in hostes ferretur. Quibus abeuntibus, Rex equa vectus, vnoque tantum equite Roca fortio Catalano comitante, praecurrens, eos iussit consistere, donec Benearnensis & Raimundus, tum & Emporitano Comes, cum lectissimis suae, cognationis equitibus vna irent. Qui non expectato Nunnio, dum praecipites feruntur; ac dum ex eo, quod in monte hostium castra collocata vident, nequaquam ipsos tam propinquos sibi adesse putant; ex insidijs, ab vltiore parte montis procedentes illi, elato clamore, nostros ex improviso adoriuntur; fuitque cruenta vtrinque pugna commissa. Sed Emporitano, & Teplarijs militibus in castra, aciem dirigentibus, ut hostes diuideret; Benearnensi autem & Raimundo, sinistrum cornu hostium, quod valde confertum erat, aggredientibus, vsque adeo vtrinque contentiose pugnatum est, ut ter a nostris illorum acies repressa fuerit; totiesque ab ipsis etiam repulsa nostra: propterea quod ij, pra multitudine hostium sparsi, diuisique pugnarent, neque alij alijs subsidio esse possent. Sed rursus, Christianorum acie inclinante, Benearnensis & Raimundus, conglobato agmine, impetum in eam partem fecerunt; vbi acrius pugnabatur: quo protinus eorum animoso aggressu, redintegratum praeliu fuit. Verum cum integri milites sarracenis fessis succederent, nullumque nostris contra mitteretur subsidium, perturbatis ordinibus, tanta fuit hostium in ipsos concursio, ut cum magna illorum strage gloriosissime dimicantes, tandem ambo conciderint; vna cum Vgonibus Metaplanio, & Dezario bellicosissimis proceribus Catalanis, necnon & octo alijs strenuis equitibus ex perin signi Moncadarum familia, cum plerisque alijs, partim occisis, partim in fugam versis. Quos minime secuti fuere sarraceni; sed pre-

G s da fa

da facta, atque sublati Christianorum vexillis, sese in montem ubi castra poluerant, cum magna suorum amissione receperunt. Sed Benearnensis, & Raimundi interitus nostris perquam fuit acerbus. Interea Rex veniens in eum locum, quo se tenebat Nunnus, eiusque agmen ingressus, ad Petrum Cornelium, Simenium Vream, & Oliuerium Thermensem Gallum, equitem nobilissimum, qui tum Gallia exulabat, atque equitatu praeerat, mandata dedit, ut cum uniuerso equitatu, primo agmini, quod Balearici exercitus impetum sustinebat, sese immiscerent; quod visa propè esset Christianorum acies inclinare. Quo peracto, Rex paucis sibi iunctis equitibus, cum in eum locum ubi pugna inita fuerat primus peruenisset, obuiam ei fuit Guillelmus Mediona Catalanus è pugna excedens, rescisis labijs, ac vultu suffuso sanguine, ictu lapidis aduersum os funda vulneratus: quem ubi cognouit Rex, obligato eius vulnere; hoc non tanti esse, dixit, quin eius inclita virtus tali potius vulnere reuirefceret; quod audiens Guillelmus, ut erat forti ac excelso animo, illico in confertos hostes sese pugnans immisit, neque amplius visus fuit. At verò Rex iuuenili exardescens bili, ignorato penitus tristi praelii successu eorum, qui primi agminis erant, cum eisdem equitibus per accliuem montem, ubi commissa pugna fuerat, ascendit; quem protinus secuti fuere sub vexillo Nunnij, Rolandus Lainus, & Guillelmus Regis Nauarræ nothus, cum septuaginta leuis armaturæ equitibus; qui cum in verticem montis peruenissent, conspecta ibi lati campi planitie, hostes partim fusos, dispersosque, partim intra tentoria contentos, minimè tamen pugnae intentos viderunt: nisi quod ex apice Regij, ut apparebat, tabernaculi, vexillum candido purpureoque colore distinctum pèdebat, de quo regij equites, qui de sinistro successu praelii primi agminis non nihil praesenserant, neque Regi indicauerant, male suspicati sunt. Igitur in hostium conspectum Rex veniens, vidensque ipsos dispersos, ac imparatos, aggredi gestiebat; atque impetum fecisset, nisi eum Nunnus, & alij, apprehensis equi habenis continuissent: eique vehementer exprobaissent tam ardentem animi impetum, cecamque vincendi cupiditatē, quibus necesse erat, se, suosque cum uniuerso exercitu in summas angustias, ruinasque ni temperaret, adducere. Interea

Gisber-

Gisbertus Barberanus machinarum praefectus cum octoginta equitibus ad Regem venit, eique iniunxit Nunnus, ut signum in eam partem castrorum, ubi tentoria fixa erant, cum promiscuis peditum, atque equitum cohortibus inferret: sed antequam eò peruenirent, sarraceni sese iam ad pugnandum collegerant, atque sono prius barbarico & vociferatione emissa, multitudine ac coniectu lapidum, quos fundis circumactos, ad miram distantiam, certumque ictum Baleares iaciunt, eorumque Nunnij cohortes persecuti sunt, ut illum lapidum imbrè ferre non valentes nostri terga verterent: quos sarraceni insequentes, de quo monte, seruato ordine descendentes, in dextrum cornu, ubi Rex erat, compulerunt. Verum fugientes animaduersa Regis praesentia, quodque in tanto relicto illo periculo perfide diffugerent, animose conuersa in persequentes acie constiterunt: neque sarraceni ultra progressi sunt, quinimò sese in montem receperunt. Quo tempore regia cohors cum equitibus grauis armaturæ centum Regi adfuit; quibus summum ille montem conscendens, sarracenos magno impetu aggressus, inde expulit, atque castris potitus terga vertere coegit: quos tamen, lassis ac defatigatis equis, persequi destitit. Haec autem acta sunt Rege adhuc ignaro eorum, quae in prima acie obtigerant, neque de illius clade, atque interitu Benearnensis & Raimundi, quicquam ad ipsum fuerat perlatum. Quamobrem eò impensus ad urbem venire festinabat; facile factum existimans, non modo ipsam capere, absente illius Rege; sed hunc etiam, qui montibus se continebat, intercludere; atque sarracenos omni ex parte aggredi; adiuncto sibi primo agmine, quod antea Benearnensis, & Raimundus ducebant. Cumque de monte Rex festinus descenderet, occurrit ei pernobilis Raimundus Alamanus, vir fortis ac bellicosus, qui properantem illum, ac in pericula ruentem, constantissimè detinuit; ipsumque tanquam militaris disciplinae ignarum reprehendit: quod in loco ubi hostes deuicisset, minime se contineret, quoad suorum iacturam recognosceret, eamque reportata de hostibus victoria compensaret. Verum tamè grauibus Alamanij monitis vix se continere Rex poterat, quin ultra, citato gradu, ad urbem contenderet; quoad mille passuum itinere confecto, Episcopus Barcinonensis factus obuiam,

uiam, eundem grauissimè increpauit; propterea quòd amissa meliori parte exercitus, atq. conduplicato periculo, imprudens vltra procederet; vt, se, suosque omnino perditum iret: palamque significauit ei, cohortes, quæ primi agminis erant, cū fortissimis Benearnensibus, & Raimundo ducibus, hostium manibus concidisse. Quo nuncio contristatus Rex valde, paululum demoratus est, quoad lamentabilem suorum casum & interitum ordine intelligeret, atque vniuersum agmen cum cohorte Regia eò conuenirent. Quibus congregatis, vrbis iter primi cum equitatu prosequuti sunt, vsq. ad montem Pottopineum, è quo paulò ante Rex Sarracenos profligauerat, illoque potitus fuerat. Inde enim prospectus erat vrbis apertissimus, amœnissimusque: in eaque parte montis castra posuit, in qua planities erat, quæ riuulus, aquæ limpidissimæ è summo deriuatus, atque in orbem ductus, totam ferè cingebat: tanta inter sese Catalanorum & Aragonensium concordia, quanta aliàs nunquam. Itaque dispositis custodibus, & vigilibus, qui excubias agerent ea nocte, quam Rex prope duxit infortunem; lamentabilem suorum Ducum interitum, quanto cum silentio potuit, ne suos exanimaret, animo premens: simulata alacritate, cibarijs apposis, postquam exercitum ab labore diurno refici curauit, ipse quidem secessit in tentorium Oliuerij Thermenis, vt se ab labore & inedia, quam integro die passus fuerat, recrearet. Ac vbi dies fuit in iugum montis ascendit, vt obiectam urbem inde melius contempleretur, quæ vt erat omnium Hispaniæ pulcherrima, ita etiam per ampla fossa, & muro munita, atque expugnatù difficilis visa est. Inde verò reuersus in tabernaculum, prandio opulentissimo ab eodem Oliuero exceptus fuit; adeò vt Regi, tum ex amœnitate loci, tum ab optimo condimento, & hesternæ fame, non aliud fuisse sibi vnquam suauius, sæpius professus fuerit. Nā exadificata postea ibi villa sumptuosissima, villam boni prandij inde dictam fuisse, ipsa Regis historia testatur. Deinde occidente Sole, Rex sumpto Nunnio, alijsque proceribus, in tabernaculum vbi Benearnensis & Raimundi corpora iacebant, est ingressus; eaq. accensis funalibus, atque sacerdotibus orantibus circumdata, tecta tenebantur. Quæ vt primum Regi ac proceribus reiecta fuere, magnus cum ciulatu & plangore clamor ab om-

ab omnibus sublatus est, ab ijs præsertim, qui erant illorum clientelæ & cognationis; quiq. se miseris, orbos, atque omni destitutos refugio lamentantes, adeò de crudelitate Regis nonnulla inter fletus & lamenta miscuerunt; vt necesse fuerit Regem, hos seorsum cõsolari, maiorem se, quàm ipsos, illorum interitu iacturam fecisse, ostendens. Vtpotè quos præcipuos, ac summos belli duces, fidissimosque omnium rerum suarum administratos habuisset: adeoque de se illos fuisse benemeritos, vt eorum familiæ & clientelæ rationem ipse semper esset habiturus, debitamq. mortuis mercedem, illis largè persolaturum. Quo dicto vehementer recreati omnes, ad perlequendum bellum, regiue perpetuò inferuendum, mire animati fuerunt. Sequenti die, castris positis, congregati proceres, iusta defunctis facere volentes; linteis, stragulisque toralibus expansis, atque vrbi oppositis, ne ab ea discerni possent, quæ in castris agebantur; magna cū pompa & ornatu cadauera sublata ab eisde, humeris elata fuerunt: præeuntibus vexillis, cum illorum insignibus: ipsoq. Barcinonensi Antistite sacrum exequiarum munus, cū non paruo sacerdotum numero celebrante; ac Rege, & proceribus cum vniuersa atrata familia subsequenteribus; totis demum castris circumlata illa, in loculis condita, atque sacro in loco deponi iussa sunt; quoad finito bello, in Catalonia in oppida ipsorum translata, atq. inter suos reposita fuerunt. Quibus peractis, protinus oppugnationi vrbis operam nauare statuerunt, atque exercitu & copijs, de monte in planitiem ante urbem eductis, eandem terram circumquaque obsiderunt. Iamque prolatis machinis, quæ è nauibus in castra asportatæ fuerant; atque ex tam multo apparatu, quattuor dumtaxat maximas construxerunt; præter eam, quæ à naucleris quinq. nauium, quas Comes Prouinciæ ad Regem miserat munitissimas, ex antenis & ferramentis substructa est. Fuisse quoque in vrbe à sarracenis similia nostris obiecta tormenta & balistæ. Sed à Regijs tormentum illud maximum Fundibulum, de quo supra diximus, paratum fuit maiori quàm antea substructione, acriores enim illud in ea expugnatione emissiones habuit. Nec dubitandum; fuisse quidem tunc temporis hæc ipsa tormenta tanti momenti, ad prosterndas arces, & diruenda mœnia:

mœnia: vt eisdem perinde antiqui, atque nostri metallicis, quæ nûc sunt, tormentis vrbes, arcesque expugnarint. Tametsi expeditiora hæc sunt ad intorquendam; atq. ad perterebrandum durissima quæq. longè aptiora. At verò sarraceni ex vrbe viriliter sese defendentes varia, cõtinaque ballistarum, & tormentorum contortione acerrime Regijs euertendis machinis, vim omnem inferebant: crudelitatemque, inter alias, plus quàm barbaram atque immanissimam in nostros exercebant. Nam captiuos Christianos, quos Rex anathemata sibi fecerat, comprehendi viuos, ac in globum religari, machinisque ballistarijs imponi iubebat; indeque excussos in media Christianorum castra iaciebant. Quam Regis immanitatem tantopere execratus est Iacobus, vt iureiurando se astrinxerit, non cessaturum ab expugnatione, donec Regem barbarenûs caperet, atque pro tam dira immanitate omni cõtumelia atque ignominia afficeret. Vnde Gisbertus Barberanus tormetorum præfectus, materia ex nauibus asportata, immanissimum quoddam tormentum nouum construi fecit, libratum ad maiora vrbes eludenda tormenta, quo securius nostri possent fossæ vrbes appropinquare; paulatimque aggere & fossa castra munire. Tantus enim terror, ex superioribus sarracenorum cõflictationibus, nostros inuaserat; vt plerique noctu sese in proximos montes reciperent; nautæ verò, in naues pernoctatum abirent. Fuit igitur prima illa machina, testudo dicta, ex triplis tabulis, quæ trabalibus fixæ clauis erant, multoque ramorum, ac terræ congestu intextæ, tectoque etiam acuminato, & in vtramque partem ad expellendas pluuias inclinante cõfecta, ac plaustris imposita, vt circũuehi posset; sic à Romanis olim ad vrbiũ expugnationem adhiberi solita. Quæ tandè immenso militum labore paulatim fossæ vrbes admota fuit; ac totum illud spatium, quod machina post se liquerat, nostris acquisitum. Quin etiã ad diuertendos hostes, Emporitanus similem machinam construxit: fuitque tertia huiusmodi à Rege exædificata; ac proptereaquod magnitudine præstaret alijs, munitiori parti vrbes obiecta. Quibus factum est machinis, vt & appropinquare vrbi posset exercitus; & vallo, fossa, atque aggere castra circumdari, in eisque perinde ac in munitissima vrbe, tutè contineri. Quo in opere magna profecto erant

erant militum ad suum cuique munus obeundum, studium & contentio; præclara item procerum; noctu diuque in eo perficiendo, diligentia & attentio: sed mira in illis omnibus Regis vigilia, ubique præsens conspectus, & sollicitudo. Verum, testimonio Regis, longe fuit ardentior ad inflammãdos totius exercitus animos, & persequendum cœptum, assidua cuiusdam fratris Michaelis concionatoris eloquentissimi, sanctissimiq. exhortatio. Qui primus totius ordinis Prædicatorum Lector deputatus erat, & a beato Dominico Tolosæ, in sacrã eius instituti societatem cooptatus: quiq. inclyti cœnobij Prædicatorum Valentiz primus fundamenta iecerat. Is igitur diuini verbi concione ac virtute, vsque adeo in ea expeditione profecit, tantamque sanctimoniz opinionem apud milites consecutus fuerat; vt non solum auctoritate, sed etiam Imperio quodam gubernaret. Nam sæpe quidem milites, quos neque Rex, neque Duces, ad subeunda pericula cõmouere poterant; eisdem Michael præsentia & adhortatione sua, nullo negotio permouebat. Neque sane Regis alia in eo bello mēs erat, quam Michaelis: scilicet, vt deleta sarracenorum superstitione, & vanitate; sanctissimum Christi nomen, eiusque sacrosancta religio in tota Insula propagaretur. Ac neque ab eo profecto militum mores, non procerum facta, neque Ducum Imperia, discrepabant. Quippe diuino tunc Duce numine, eoque confiso Rege, bellum gerebatur. Ideoque aperte, non tectè, aut simulatè cum hoste agebatur: non fraude virtus, non auro fides (quorum armorum frequens nunc vsus) oppugnabatur. Itaque nullo tempore oppugnatione intermissa, ne tamen sarracenorum ex vrbe eruptionibus machinz & tormenta magna quid detrimētī caperent, a Rege iussum est, vt singulis noctibus cœtum leuis armaturæ equites excubias & custodias agerent. Cùm interim Infantillus eius Insulæ præpotens sarracenus, collectitio exercitu ex rusticis & paganis, qui se ex suburbijs in montanas cryptas, & inaccessas speluncas, quales ibi sunt, metu exercitus receperant, peditum numero quinque millium, equitum vero centum, in collem quendam ascenderat: ibique tentoria fixerat, vnde fons oriebatur; eiusque aqua per media Christianorum castra ducebatur, sed fonte ab illis partim obturato, partim per alia loca,

loca, & alueos, illius deriuata aqua, exercitum uehementer commouit. Qua graui iactura, turbatis omnibus, eiusque causam suspicantibus: Nunnius, iussu Regis, cum trecentis leuis armaturæ equitibus, aduersum riuuli alueum secutus, eò peruēnit ubi Infantillum cum suis imparatum inueniens ex improviso est adortus; ac cum eis viriliter pugnavit, dum interfectis quingentis; reliquos in fugam cōiecit: capto Infantillo duce, qui grauiter vulneratus fuerat: direptisque castris; nec non fonte, eodem quo amissus die fuerat, recuperato, atque in natium alueum reducto. Demum graui vulnere exanimato Infantillo, cum in castra deduci uiuus non posset, abscissum eius caput ad Regem delatum est. Qua victoria uehementer delectatus Rex fuit, ac collaudato Nunnio, & suis, protinus Infantilli non uiuum corpus, ne sarracenorum immanitatem imitaretur; sed mortuum caput pro saxo, maiori machinæ apponi iussit, & in urbem proijci: quo ab urbanis cognito; tamque portento expauescētibus iactu, magnus ortus est plangor, atque illico desperari cœptum. Dum hæc a nostris prosperè geruntur, atque debellato Infantillo cum suis, in quibus nonnulla spes erat Insularibus; ij protinus animaduertentes, nostros cum admodum paucis magnas passim victorias reportare; ac rursus Afrorum auxilia ex Tuetano Regno nulla sibi comparere; consilium fuit, illis præcipuè sarracenis primatibus, qui oppida & pagos in altera Insula parte tenebant, cum Rege, ac Christianis pacisci; antequam vrbe capta, exercitus in vniuersam Insulam depopulaturus mitteretur. Quamobrem Legatos miserunt ad Regem, qui dicerent, se, suaque omnia in fidem atque potestatem Regis permissuros; neque se cum Retaboigo Rege consensisse; neque contra Christianorum exercitum omnino coniurasse, nec arma cœpisse; paratosque esse, & imperata facere, & oppidis suis recipere, & frumento, ceterisque rebus iuuare. Quæ sane ex animo Insulani dicebant: erat enim eorum Princeps Benahabetus, qui ab eo tempore; quo Rex in Insulam apulerat, cellas, & horrea sua liberè pabulatoribus patefecit, magnoque fuerat subsidio nostris ad sustinendum bellum. Hunc ergo cæteris Insulæ regulis sequentibus, factum est, ut ea omnia oppida, que citra urbem, versus oram alterius Insulæ minoris, ad ortum fi-

ta sunt,

ta sunt, ad decimum quintum diem, sese Regi dederent. A quo benigne exceptis illis, ac tota penè Insula, præter urbem, in eius potestatem redacta; duos constituit Insulæ præfectos Berengariū Durforcium Barcinonensem, equitem nobilissimum; & Iacobum Sanctium Mompelleriensem, à puero Regis domesticum, & familiarem; qui partiti prouinciam, cum ius dicerent, tum exercitui frumentum, & alia necessaria suggererent: quod frugum, fructuumque reliquorum copia, præ cæteris totius orbis, Insula redundet. Est enim maior Balearis valde ferax, atque omni prope copia rerum referta; neque alia ubiuis inuenta est Insula, quæ tam breui, & angusto spacio contenta (centum M. passuum in longitudinem, in circuitum verò cccclxxx. M. distat) tam variam, tamque excellentem fructuum, atque animalium, non ad usum modò, & alimentum, sed etiam ad delicias mortalium, abundantiam, atque illa suppediet. Nam præterquam quod tribus urbibus, tum oppidis ac pagis multis, & portibus vndique frequens est; frumento etiam, sale, oleo, vino, caseoque, pecude, & armentis, atque ferina carne, tanto opere abundat, ut non solum incolis; verum exteris copiose sufficiat. Nam & Balearica vina, auctore Plinio, Italis nota satis, atque approbata fuere: & oleum, caseumque non modo proximis Valentia, Cataloniaque Regnis, sed Gallicæ quoque, atque Ligusticæ oræ, magno esse vsui ac nutrimento compertum est. Præterea cuniculorum, ceruorum, atque damarum tanta est multitudo, tam certa venatio, ut hac vna profecto posset quotidianus carniū elus in Insula suppleri: præter porcinas, tum domesticorum, tum syluestrium aprorum carnes, quarum tanta est copia, ut in frustra lectæ, & foras missæ, apud exteros redundant. Quibus addi potest, summo deliciarum loco, perutilis, salutaris, atque delitiosa myrthus, è cuius flore liquor omni thure Sabæo odoratior elicitur, per loca syluestria, ipsam sponte, atque in magnam copiam Insula proferente. Demum vniuersam Insulam, quindecim tunc oppidis constitisse, refert Regis historia, quorum nomina, præter urbem maiorem, tum Pontiam, & Pollentiam, quæ Romanorum Coloniarum fuerunt, barbara sunt, atque à sarracenis imposita. Igitur capta atque in potestatem Christianorum redacta Insula, ad urbis expugnationem transeamus, ubi de moribus & ingenijs Balearium nonnulla dicemus.

H B E R-

BERNARDINI GOME-
SII MEDIS, ARCHIDIACONI

SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS

gestis IACOBI primi Regis Aragonum,
cognomento expuglatoris.

LIBER VII.



Niuersa Insula præter urbem in potestatem Re-
gis redacta, atque præsijs, commodioribus in
locis, præsertim quæ portibus illa patet, dispositis;
totius exercitus, atque cura Regis, in urbis oppu-
gnationem incubuit, eoque totum belli pondus
conuertum est, obsidione enim Rex illam capere decreuit. Est
autem urbs, vt dicebamus, quæ respicit meridiem, in medio ferè
Insulæ posita, mari sese inter caput Figueranum, & Capendoraca-
tum, quæ quindecim miliaribus intersè distant, totidè ad urbem
vsque sinuante. Qui sinus alioqui permagnus, portus efficitur cele-
berrimus; tantùmque non à Libonoto vento tutus: sed quò inte-
rior, eò fit longè tutior, ob constructam, atque manu factam molè,
quæ in mare ex urbe prominet, eique è regione respondet promò-
torium Portopini; inde dictum, quòd ab altera promontorij par-
te versus occasum, maris sinus exiguus sese terræ ingerat, ac paruù
portum efficiat, Portopineum nuncupatum. Id ergo promontoriù
cum ipsamet manufacta mole, tràquillum, atque ab omni prorsus
vento tutum urbis portù reddunt. In quem, ob incredibilia Insulæ
mercimonia, tã magnus esse solet nauù concursus, vt ex eis aliquã-
do octuaginta numero simul ibidem conspectæ fuerint. Itaq. urbs
partim in excelso colle, partim in planitie, explicata est, & per accli-
uitatem cõiuncta. Tamen in colle, qui mari ac portui imminet, &
præruptus est, expugnationis tempore, arx sola sita erat, postea ve-
rò, templum maximum, & Episcopalis domus cum speculatorio
de abulacro, vnde prospectus est maris amœnus, ac periucûdus, ius-
su Regis exadificata fuere. Adhæc fluuius nõ lōge à fontibus deri-
uatus, qui sese illico in mare præcipitat, mediã interluit, magnoq. illi
est vlui,

est vsui, non modò ad eius salubrem purgationem, & hortorum
quibus maximè decoratur ipsa, irrigationem: verùm ad nauium
etiam aquationem, & portus commoditatem. Denique urbis am-
bitus, qui muro satis amplo munitur, ac collem vnà cum planitie
comprehendit, tam latus est, vt præter hortos; domiciliorum sex
millia contineat: quæ cum alijs operibus, tum magnificentissimè
extructa sunt; tum urbem, quæ decem nunc patet portis, omnium
Europæ pulcherrimam, & conspiciendam efficiunt. Quamquàm
Iacobi tempore, dempta arce, tota ferè in planitie sita urbs erat,
neque tot, quibus nunc, portis patebat. Ideoque Rex non supra
collem, quem arx custodiebat; sed in planitie castra posuit, indeq.
totam viuis est obsidisse. Itaque vallo, aggereque ductis, paulatim
vrbi admotis machinis, sarracenisque in eas frequenter, sed fru-
stra erumpentibus, eousque peruētum est; vt machinæ, & qui age-
bantur cuniculi, muros attingerēt, atq. cuiusdam fundamenta tur-
ris excauari inciperent: iamque naphtico supposito igni turris hi-
sceret. Quo simul tempore tres aliæ turres similibus oppugnata
machinis corruerunt. Verùm quæ nostros ab ingressu urbis pro-
hibebat, per ampla erat, atque alta fossa, qua cingebantur mœ-
nia: tametsi siccata illa esset, atque ad agendos cuniculos importu-
na. Quamobrem duorum Ilerdensium militum consilio & indu-
stria, fossa in locis magis irruptioni aptis, terra, ramis, lignisque, &
lapidibus oppleta, supero æquata solo fuit, simul & peditibus per-
uia ad irrumpendum reddita. At verò urbani, re intellecta, per
cuniculos intus actos ignem clam sum miserunt, cœpitque materia
illa comburi, & aperiri fossa. Sed occurrentibus nostris, riuulo a-
quæ in eam partem deducto, extinctus ignis fuit: rursusque con-
duplicata materia, ac machinarum iactibus in eam partem contra
urbanos directis, ne nostros impedirent, fossa denuò repleta fuit.
Quæ cum minimè successissent sarracenis, cuniculos ipsi etiam in
nostras machinas agere decreuerunt. Idque vt tutius, magisque
simulatè perficerent, nouas quotidie eruptiones in partem, qua
cuniculi agebantur, ex urbe faciebant: vsque adeò viriliter, ac
strenuè pugnantes, vt nostros semel propè deicerint, ac pro-
figarint: sed protinus redintegrata pugna; Iacobo præeun-

te tam validè dimicatum est; vt sarraceni cum maxima sui strage in urbem compulsi fuerint: quorum permulti in ipso quoque ingressu occubuerunt, frequentibus ictibus magnorum lapidum ballistæ, vnius ex tormentis maximis, quod in eam partem, vbi erat concursus, scitè fuerat intentum. Quapropter sarracenorum Duces, Regijque Retaboigi consiliarij, impendentem vrbi ruinam, tot illam conquassatam locis, nonnullis etiam perterebratam videntes, ac neque machinis, neque eruptionibus, quicquam aduersus Christianos se proficere considerantes, communi consilio, Retaboigum adierunt, eique exposuerunt, quanto, quamque aperto in periculo ipse cum suis versaretur: dirutis iam, propeque cõuulsis vrbis mœnibus, oppleta fossa, pluribusque locis aperto ingressu hostibus nulla cum urbanis commiseratione vsuris, sed ferro, & igne, vt sapius minati fuere, cuncta vastaturis: quodque maxime vrgebat, nullam ipsis spem salutis superesse, non in fuga, interclusis cunctis elabendi locis, Christianis tum exercitu terra; tum classe mari in ipsis prope faucibus portus sese obijcientibus: non in externorum auxilijs, nusquam apparète Tunetana classe, ac neque vllò ei portu ad appellendum in Insula, præter urbanum, relicto; non denique in subsidio Insulanorum, quos fere omnes Christianus Rex, aut cõtumaces, vt Infantillum cum eius asseclis ferro & armis cõturiuerat; aut reliquos, qui sese sponte dederunt, benigne susceptos in potestatem redegerat: quique iuuenis, gloriæque percupidus, neque destitutus à cœpto sit, donec excidio & incendio vrbis, clarissimos suos enectos duces crudelissimè vlciscatur: neque aliud machinaturus, quam vt suo demum cuncta subigat imperio. Quibus de causis, aut conditionibus pacis Christiano Regi offerendas esse; aut quascunque ipse dederit accipiendas; daturus enim ille honestas, haud dubie, propterea quod & pius idem, & maximus suæ habetur cultor religionis, quæ subiectis parcere præcipit, ac nisi in superbos, & contumaces, ferro agere non permittit. Quæ audiens Retaboigus Rex, ac plusquam manifesta sibi à ducibus proponi agnoscens; à cunctisque consiliarijs qualis pacis conditiones accipiendas esse approbari videns, Legatos ad Iacobum misit, qui pactis trium dierum inducijs ab eo peteret, vt viros probatæ fidei ad se mitteret, quibus

cum

cum tute posset de cõcordia agere. Quos Iacobus benigne audiens, annuensque poscatis, protinus Nunnium cum equitibus decem, & Hebræo quodam Cæsaraugustano, nomine Bachel lingua Arabice perito, ad illam ire iussit. Qui vrbe ingressi, quæ de industria ab ipsis collustrari totam permissum fuit; vt eius ad propugnandum apparatus, beneque armatam multitudinem nostris referret: tandem ad Regem intromissi sunt: sed quanquam longo spatio temporis cum eo colloqui; tamen, aut dissimulante ipso, aut eiusdem dicta Hebræo male interpretate, nihil quidem certi ab eo; sed ambigua fere omnia ex eius sermonibus percipi potuerunt. Vnde cunctante Nunnio, Iacobus Petrum Cornelium eum summisit: cui adfuit quidam Egidius Alago Aragonensis, qui olim nauigans, à Balearicis piratis captus, ac Retaboigo dono datus, ad Machometanã sectã deleuierat. Is mentem sui Regis intelligens, palam Cornelio illius sermones hos esse dixit: nepe ipsum compensaturum Iacobo omnes sumptus ab eo, & à proceribus factos, in eius expeditione belli, & transitu in Insulam; modo illico Iacobus cum exercitu, & omni classe, ab Insula Barcinonæ abscederet. Quibus ad Iacobum perlatis, responderi iussit; desineret ille talia frustra iactare, atque inanibus conditionibus oblati; sese à libera & vera deditioe redimere; curaret potius urbem suam ab impendente vastatione defendere; se enim, castra iccirco aduersa ei parti vrbis, qua Barcino respicitur, posuisse; vt de bellata post se iam vniuersa Insula, sua in Barcinonæ reuersio, recta fieret per mediam eius urbem. Quæ Retaboigus mente perpendens, sequenti die vrbe exiens, porta Portopinea, tabernaculum magnificum, purpureis auroque intextis velis, in capite, Christianorum inspectate exercitu, collocari iussit; eoque Nunnium accersuit, vt cum eo denuo de honestis deditiois conditionibus pacisceretur: eas tum petens paulò tolerabiliore. Ad quem Nunnius aperte locutus est, falso sibi ipsum persuadere, Iacobum, qui nihil tam in ea expugnatione, quam suorum interfectorum ducum vltionem anhelet; ac vt rerum potiatur, quicquam præter nudam, atque absolutam deditioem admissurum. Non enim Baleares Insulæ duos Reges magis quam terra duos Soles habere posse. Quæ dicta Retaboigus protinus, vel sine interprete, percipiens, Nunnium abire nitentem iussit confi-

stere; eiq. pactiones loge equiores, atq. Iacobo gratiores, se facturū promisit: videlicet, liberè relicturū urbem simul cū Insula & adiacētibus Iacobo: classe tamē ipsius sibi accommodata, qua tute posset ipse, cum tota domo & familia, atq. vniuersa re, in Africam trajice re; ac vnā deferre secum omnes, qui se sequi vellent sarracenos; pro vnoquoq. ipsorum quinq. Bisantios (quorū singuli tribus victoriatis, solidos Barcinonenses appellant, estimabantur) erogaturū promittens: modo qui remanerent ad culturam Insulæ, humanè tractarentur. Quæ Nunnius ad Iacobum deferens, conuocato consilio Antistitum, simul & procerum, atq. primorū exercitus, ea omnia ordine, quo enarrata sunt, exposuit: subiungens se in eam sententiā pedibus omnino iturum, quæ de pactis & cōditionibus diceretur: ne si vi, & armis oppugnanda vrbs esset; cum tā valde magna exercitus iactura, atq. Christiani sanguinis effusione id fieret, quāta ex tam armata, atq. pro aris, focusq. propugnatura Balearica expectari gente poterat: quādoquidem innumerabilis prope esset in vrbe multitudo militum ad propugnandum, vt ipse viderat, expeditissima. Cuius sententiæ vehementer ab omnibus reclamatum est, maximè verò ab Emporitano Comite, tum Raimūdo Alamano, necnon Cerbellonio, & Claramuntio, Cataloniæ proceribus, qui Benearnēsi, & Moncadæ cōsanguinei erant; adhucq. lamentabilē eorum interitum lugebāt. Vnde ne vehementius inelamarēt, indicto silentio, vnus ex eis Alamanius pro omnibus ad Regē, sic verba fecit. Difficilis profectò est, ac sæpe quidē intolerabilis, optime Rex, vltionis cum benignitate societas; quòd illa iustitiæ, hæc autē fatuz cuiusdā æquitatis vices gerat; illius enim leges perpetuæ sunt, atque natura immutabiles; huius verò vis omnis in humano, vario mutabiliq. sita est arbitrio; quòd quidem si in bello potissimum, quod semper vltionis causa suscipi debet, iustitiæ præferatur, præuerti sane omnia, atque pessundari necesse est: propterea quòd bellatoribus nihil obuenire possit pernitiosius, quàm benignitatis gratia, quid impunitum relinquere. Ergò ne, Benearnensis, Moncadæ, aliorumq. sui clarissimi generis, sanguinis adhuc efferuescentis, atq. pro te effusi vltio, iniquissima effundentiū hostium pactione præponderabitur? Tam parui tibi erit, tuorum obita pro te mors

te mors necessariorum, vt ne vltione quidem cupias illam redimere: An non equius multo est; atque pro lege vindictæ iustius; vt istorum canum sanguine, amicorum sanguis, quem linxerunt illi, ipsius ante ora exercitus expietur? vt pro eo quòd tuorum oppetitas pro te mortes, tam bellè vindices; multorum quoque vitas arctius tibi ad oppetendum addicas? sicq. quo teneris vltionis debito absoluaris; & iustitiæ vindicis, & magni expugnatoris cognomento decoreris? Age igitur, hostili sanguine permitte nobis dextras perfundere: nulla quæ ætatis, nulla sexus ratio habeatur; ac nisi sese tibi hostis liberè, ac pro arbitrio dediderit, nullas omnino cōditiones pacis ab eo accipe. In fraudem enim Regia illa vulpecula deducere vult regium leonem. Quid enim commoliri ipsum putas? dum se, suaque omnia, & quotquot velit militum, secum asportare posse petit; quàm vt auro, & pretiosissima quaq. re ciuitatem expoliet? vt & vacuam capias, & tuos milites illius direptione, tāquam laborum premio, defraudes? Quid, quos velit milites, vt possit adducere, quàm vt lectissimo quoq. perducto secum, iuncto Afro, inuictissimum inde exercitum reducat, quo facilè tum Insulam recuperet; tū te omnino Regno pellat? Quare ipsum absceinde caput Insulæ, si tota cupis perfrui tranquillè, urbemq. tot perforatā locis; tantisq. diuitijs, & spolijs affluētē, tuis militibus pro meritissima laborū mercede, intrandam & diripiendam concede. Neq. enim cōmiseratione digna est, quæ tibi tuisque tot, tantasque vltionis atq. vindictæ pœnas debet. Quæ cū dixisset Alamanius, Regi ac vniuersis cōsiliarijs grata omnino fuere ea; ac vno excepto Nunnio, illius sententiā sequuti omnes. Itaq. protinus deliberata expugnatione, Retaboigum Regem ab omni spe pacis deiecerunt. Quod urbani tam inique tulerunt, vt ex desperata salute, acerrime aut ad sese defendendum, aut cum maxima Christianorum strage, ante sua moenia oppetendum coniurarint: adeoq. ab ea desperatione magnas sibi vires auxerunt, animati ad nihili vitam ducendum, modo Christianis auferrent; vt à nostris quodammodo non desierit detrectari expugnatio; ac, vt in ipso prope conflictu deprehensum fuit, nonnulli ex his, qui Nunnio de pace agenti nimis animose restiterant, ingemuerint, vehementerque, quòd ab eius

sententia discesserint, pœnituerint. Verùm, quod sarracenis ab desperatione, id nostris ab spe certa potiundæ, atque diripiendæ vr̄bis, excreuit animi, viriūque: ac multo plus in Iacobo, cuius mēs diuino freta numine omnis in eo erat, vt capta vr̄be, impiaq̄. Mahometanorum secta extirpata, Christiana prorsus induceretur religio: ex quo maiori quàm cæteri spe erectus ille, de potiunda vr̄be minime dubitabat. Vnde continuata obsidione, atque tormentis & machinis vr̄bi propiūs admotis; sese omnes ad oppugnationē prępararunt. Atque vt maiori contentionē iniretur oppugnatio; Antistitum, procerum sententia fuit, vt congregato in vnum locum exercitu, ad id sese omnes iureiurando obstringerent; vt oppugnatione durante, nullus locum, quem tenuisset desereret; seu pedem referret; nisi letali percussus vulnere fuisset: secūs facientes, prodicionis, seu cōspirationis insimularentur. Fuitq̄. tum illud maximè commemorandū, quòd primus omnium Rex, extēta manu in tabellas Euangeliorum, iuramēto se voluerit obstringere; quod neque ab Antistitibus, neq̄. à proceribus fuit illi permissum. Quę gesta fuere ipsomet die festo Natalis Christi domini nostri soleniter, & quàm deuotissimè à Rege & vniuerso exercitu celebrato. Quo die, quidam nobilissimus eques, nomine Carrocus (vt autor est Asclotius Catalanus, antiquus huius historię scriptor) è magnis Germaniæ proceribus oriundus, qui Regē in eò bello suis stipendijs sequebatur, militari auctoramento, publicè, ac cū magna pōpa à Rege fuit insignitus. Cui deinde propter eximia ab eo, tã in Balearico, quàm in Valentino paulò post consecuto bello, exhibita, terra mariq̄e, militaria officia, tū illi maris præfectura delata est, tum amplissimis à Rege prædijs in Valentino Regno idem cumulat. Nam insigni tunc Rebolledano oppido, eique proximo Carrocij fonte nuncupato, donatus fuit. Cuius postea filij, & successores, sub eodem Iacobo, alijsq̄e Aragonië Regibus militantes, tam proprijs, quàm paternis promeritis, non in Valentino Regno solū, sed in Catalonia & Sardinia, cum perampla ac perillustri familia, quę nunc extat; tum prædijs, oppidisq̄e, tam valde ditati fuerunt; vt magnatū quoque titulo & insignibus decoratos esse inuenimus. Cæterum nullis acceptis à Iacobo cōditionibus à Balearibus oblatiss;

oblatis; cum desperata omnino res esset, tam obstinato illi animo esse cœperunt, vt nulli vsquam ciues ad occumbendum pro defensione patriæ inuenti fuerint paratiores. Nam & frumētaria re, & comœtu, & armis, & multo munita milite vr̄bs erat, & studio propugnandi, propter desperatam salutem, mirum in modum firmata: quin & præter urbanos, magna Insulanorū manus sese paulatim collegerat, atq̄. in mōtanis cryptas, & inaccessas spelūcas, abdidit; vt & se defendere, & opportunè urbanis subsidio esse posset. Nam ij quidem, si vr̄bem ingredi potuissent, haud dubiè, inexpugnabilem fecissent. Vnde timeri iam à nostris, non contemni, vt antea cœpit hostis: vt qui à tergo furtim; à frōte manifestè premere posset. Quę causa Rex accuratius munire castra, ac nisi ex lectissimis exercitus præsidia collocare; ideoque tres cohortes, centum quàmque equitum pręparari iussit, quę pro castris excubias agerent. Quarum vna præsidio esset machinis & tormentis: altera è regione Barboletanæ portæ, quę arcu vr̄bis cōiuncta est, staret: tertia contra portam Portopineam, vt eruptionibus vr̄banorum occurrerent. Verùm eo maximè anno, rigente bruma, neque tantam vim frigoris noctu sustinentes milites, vno, aut altero relicto in statione equite, qui de eruptione nunciaret, reliqui sese in tabernacula recipiebant. Id Rex animaduertens, egreque ferēs, non amplius fidens illis, ex cohorte regia, quam habebat lectissimā, fidissimāq̄. totidem elegit, quibus eiusmodi excubias cōmisit. Cui rei vsque adeò intentus erat, de quę incolumitate exercitus tam graui, nocte dieq̄e, cura angebatur; vt vel quinque diebus, quibus pręparandæ oppugnationi nauata est opera, à nemine visus fuerit somnum capere, vixque cibum sumere: eoque magis; quòd per id temporis, tã ingens fuit nummarie rei inopia, vt necesse Regi fuerit, ad sustentandum exercitum, Bisantiorum sexaginta millia, aureorum nummorum vix decem millia constituentium, mutuò accipere à mercatoribus, qui è Catalonia venerant cum ingenti summa auri, vt direptioni vr̄bis interessent, ad redimēda parui, vt solēt, à militibus spolia. Itaque sequenti nocte, nempe tertio Kalendas Ianuarij, publico denuntiatum edicto fuit; vt sacris sub auroram factis, atque sacratissimo Christi corpore ab vnoquoq̄. deuotè sumpto; ad vr̄-

bis oppugnationem, sua quisque in statione armatus consisteret. Qui dum præstò sunt, ac pugnae signum expectant; ecce Lupus Ximinius Luesanus nobilis Aragonensis; atque regis cohortis præfectus, ad Regem, qui intra vallum acies ad pugnam disponebat, venit; significans, se à duobus scutiferis secretò in urbem missis accepisse, per paucos in urbe esse, qui excubias, & custodias noctu agerent; atque toto eo interuallo, à quinta usque ad sextam turrim, ducto à summa arce, ad læuam numero, nullas omnino fieri: inesseque præterea vicatim, & per plateas urbis, magnum cadauerum numerum; atque vniuersam ciuitatem, etsi plenam multitudine, tamen timore, mœroreque pleniorē esse. Proinde oportere statim concubia nocte, intrare urbem, ac rerum potiri. At Rex prudentissimè consideratis omnibus, quæ pro honore, & incolumitate exercitus facerent, noctu rem tantam periclitari se nolle respondit: ingenium ille militum à Leonis natura minime diuersum agnosces. Nam quemadmodum, inquiens, dum is à nemine se videri putat, venatores præsentens fugit, seseque timidissimè occultat: si verò aliquem præsentem habuerit; sistit gradum, atque ad nullius occursum expauescit; immo strenuè cum fortissimo quoque dimicat: sic miles per pugnam licet, noctu, cum neque ducem, à quo laudetur, neque comilitonem, cuius fortitudinem emuletur, neque decurionem, quæ vereatur, videat; neque se à quoquam videri sentiat; timore obscuritate aucto; & pericula diffugit, & umbram potius, quàm hostem petit, & militari cuius iureiurando, & honori, vnam sui tantum incolumitatem præfert. Quamobrè crastino die, luce palam esse confli-gendum censuit. Cum igitur dies esset, dimissis cohortibus duabus, quæ castra, & impedimenta custodirent; si fortè montani hostes in ea irrumperent; Rex medio in campo, agminibus inter urbem & castra instructis, locum paulo eminentiorem conscendens, vidensque maiorem partem procerum, atque exercitus, non tam ad urbis direptionem, quàm ad suorum ultionem esse intentos, breui vniuersos, sic est ad pugnam cohortatus. Etsi scio milites, pro laboribus, quos mecum ipsi pertulistis, proque victorijs, quas manu mihi vestra peperistis, vniuersa Regna mea, si dederò, parem adhuc vestris meritis gratiam, me non esse relaturum; tamen ne interim,

volun

voluntate tantum, aut verbis pascere vos videar, ecce urbem vobis offero omnium regnorum meorum opulentissimam; ut & extremum de ipsa supplicium, quod cupitis, amissos bello socios vlciscèdi gratia sumatis: & spoliis, atque manubiarum copia referti, diuites ac felices ad vestros, atque in patriam remigretis. Proinde pergitè, atque omni studio & viribus, ad hanc oppugnationem incumbite. Nam & propitium habebitis Deum, de cuius inimicis vindictam sumitis: & me vobis maxime deuinctum reddetis, cui hodie manu vestra Balearicum triumphum decernitis: & vobis strenue demum pugnantibus, terra famam, cælo gloriam immortalē comparabit. Hæc dicens, signo ter dato, in urbem impetum fieri iussit. Tum peditatus, quem illico sequutus est equitatus, urbi ac fossæ appropinquarunt: atque magna vociferatione edita, quæ murus antea, impleta fossa, perterebratus fuerat, ipsam intrarunt; quingentis præmissis peditibus, quibus totidem ex lectissimis sarracenis obuiam fuerunt: verum ob angustiam vicorum, ad trigenos hinc inde deducta est concertatio: quanquam anceps quidem illa, donec per transversos calles inuolans equitatus, sarracenorum confertam manum perripit. Quo die, non Christianorum modò, sed sarracenorum, qui aderant, testimonio comprobata facta fuit; in prima equestri Christianorum acie, equitem quendam fulgentibus indutum armis, equoque, & epiphys splendens albis, conspectum fuisse; eiusque aspectu, & pugnandi ardore, sarracenorum animos maximo consternari timore cœpisse: quem creditum est (regia testante historia) beatum Georgium fuisse, qui patronus ac defensor Regnorum Aragonum, in eo conflictu, suis contra sarracenos adfuit militibus: ijs præsertim, qui eius insigne, purpuream scilicet crucem Domini gerebant: ea quippe cataphracti specie & figura, cum in hac pugna; tum alijs multis in prælijs, cum in prima acie, sepe cum illo insigni victoriæ fuit visus. Itaque magna cum Aragonensium, & Catalanorum emulatione commissa cum sarracenis pugna extitit: multis vtrinque cadentibus: sarracenis quidem, nihil non in sui defensionem commolentibus, perque vicos & domos, lapides, saxa, fustes, tegulas, ignem, sagittas, ministrante furore, in nostros iacentibus; nostris verò, scutis telorum vim tan-

tam

tam sustinentibus, atque testudine facta, in eam partem, vbi hostes magis conferti essent, impetum facientibus. Verum sarracenorum vis omnis, cum in multitudine, tum in conspectu, & presentia Regis sui posita erat. Nam idem ipse Rex armatus albo insidens equo, primus erat in acie suos animose ad se, urbemque defendendam exhortans; adeoque cunctos eius urgebat presentia, ut gloriosius ducerent coram, pugnante ipso, vitam profunderet; quam eo victo, vivere ac superesse. Quamobrem conglobato agmine, sic se defendebant, ut nequicquam in eos nostri proficerent; immo pedem quandoque cogeretur referre. Sed interim, vniuerso equitatu sese in urbem immittente, atque in pedestres sarracenorum acies vicatim irrumpente, proclamata a nostris victoria, protinus consternato illi animo fuere, ac neque resistere valentes, per Barboletanam & Portopineam portas, cum vxoribus cuncti sese fugam mandarunt: tanta vero fuit fugientium multitudo, ut omnibus illius etatis scriptoribus, & historia Regis attestantibus, compertum fuerit, triginta millium numerum vtriusque sexus hominum expleuisse, qui sese in montana loca receperunt. quos tamen nulli ex nostris insequi voluerunt, adeo sese praedam omnes, atque direptioni urbis dedidit. Quae militum avaritia, atque in persequendo hoste socordia, in causa fuit, ut bellum longè acrius cum montanis postea fuerit gestum. Itaque fugientibus ex urbe sarracenis, ac Regem suum secum abducere nitentibus, abire ille noluit, neque urbem deserere: seseque potius in vetus quoddam palatium recepit, tribus, vel quattuor suis intimis comitatus. Quo tempore Iacobus cum equitibus Regiae cohortis urbem intrauit, atque ipsis in direptionem abeuntibus, cum paucis arcem petijt, in quam se receperant nonnulli ciuitatis primates, qui conspecto, atque agnito Rege, continuo se ei cum arce dedituros dixerunt; modo ipse relinqueret aliquot ex suis, pro foribus arcis, qui praesidio eis essent contra direptores. Sed cum intellexisset illorum Regem ab arce abesse, relicto vno ex proceribus cum aliquot militibus in custodia arcis, iuncto Nunnio, Regem cepit conquirere; quem tandem in eo, quo dictum est, palatio inueniens, atque ex fulgentibus armis, & optima corporis habitudine eum esse dignoscens, manu illius barbaram apprehendens (se enim apprehensurum multo

multo ante praedixerat) noli, inquit, timere, captus a me es, viues. Eoque in custodia relicto, Iacobus arcem repetijt; quae protinus ei fuit tradita: inuento ibidem, atque capto filio Regis puero annos nato tredecim. Is postea Christo nomen dedit, & Iacobus vocatus est, atque in Aragoniam a Rege in triumphum ductus, donisque, ac praedijs multis fuit cumulatus. Tametsi de eius parte Retaboygo nulla sit amplius in historia Regis, aliorumve historicorum mentio: cum a Iacobo, neque in Hispaniam translatus fuerit, neque, in triumphum ductus; quinimmo creditum est, illum in urbe in vinculis fuisse relicto; ibique situ & squalore, atque maerore confectum interiisse. Demum sarracenorum tanta fuit in urbe strages & occisio, ut ad viginti millia occubuisse compertum fuerit; nec inulta quidem; quandoquidem ex nostris quam multi perierunt. Hunc ergo in modum Insula maior eiusque urbs gloriosissime a Iacobo expugnatae fuere, pridie Kalendas Ianuarij, anni Christianae salutis M. cc. xxx. Ergo urbe capta, atque eius praeda militibus concessa, tanta fuit eorum in colligenda cupiditas; tanta rapacitas; ut vel exacto triduo, vix ab ea reprimi potuerit exercitus: tametsi diuina certe cautum prouidentia fuit, ut minori cum ipsius offensione direptio fieret; elabentibus vna cum viris, atque in montana fugientibus, tenerae ac iuuenilis aetatis foeminis. Vnde direptio, quae saepe ob captas foeminas, exardescit libidine, bilem, atque execrabiles contentiones, in ipsamet direptione commouere solet; illis absentibus, longè fuit pacatior, atque ad eam, quae postea sequuta est manubiarum diuisionem faciendam, multo facilior. Quae autem in urbe fuerit auri numerati, & argenti facti, atque signati, summa: quae vasorum, tum vestium, ac etiam equorum, & omnis generis iumentorum innumerabilitas comparata: quae denique manubiarum, in Regia, & in templis copia, vix credi potest. At verò spolia, dempto auro, item argento, & gemmis, quae facile abscondi, atque negari poterant; neque extorquere a militibus tutum erat; vniuersa in vnum coaceruari, atque inita olim pacta de diuidendis spolijs Rex obseruari iussit, statimque ea publice sub hasta vendi cepere: ac pro vniuscuiusque merito, & in bello factis impendijs, ita cuique diuidi. Quae ut fidelius, ac sine querela fierent, eius rei cura demandata fuit Bar-

cinonensi, ac Ilerdensi Episcopis; & Nunnio Sanctio, & Emporitano, necnon Raimundo Alamanio, & Berengario Agerensi, qui adiunctis sibi Petro Cornelio, & Simento Vvrea, spolia diuiserunt. Tametsi, vt fieri solet in diuisione rerum, neminem fere sua contentum sorte esse, subita contra diuisores exorta est rebellio à militibus, fuereque ex eo nonnullæ procerum domus direptæ. Cui rei protinus Rex occurrens, nonnullos ex compilatoribus comprehendit iussit; atque illico tumultus & conspiratio sedata fuerunt. Sed in ea spoliolum diuisione Rex magnam haberi voluit rationem fratris Bernardi Campanij præfecti Mirauetensis, atque in Regnis Aragonum, Magistri Templariorum, vt diximus, vicarij; ob strenuam, præstantissimamque eius, ac multorum equitum sui ordinis factam, impediamque. Qua causa eidem, & prædia, & pagi, & locus etiam ad condendum templum, & milites quadraginta ipsius ordinis sustentandos, liberalitate Regis in Insula concessa fuere. Ea igitur communi manubiaram diuisione, tamque liberali bonorum communicatione, Rex multum sibi apud omnes, & auctoritatis, & nominis, atque beneuolentiæ comparauit. Interea Nunnius, vt tuta essent omnia vndique, parari fecit expeditam, atque celeritate præstantem nauem vnã, duabus iunctis triremibus, vt ipsi Africanam oram percurreret, videretque, num quispiam ex finitimis Insularum Regibus, aut re, aut copijs, Balearibus subsidio esse, aut exercitum eò mittere curaret. Verum subito à cepto destitit, occasione pestis crudelissimæ, quæ ab infecto, & contaminato aere, tot proiectione cadaverum insepulorum, perniciosissimè orta fuit: quæque vniuersam Insulam, maximè verò ciuitatem, sic inuasit, vt non solum plebeios, atque infimos quosque homines, ad infinitum prope numerum; sed primarios exercitus viros, miserabiliter interemerit. Nam vno mense, Claramontius Alamanus, Perezus Mirratius Aragonensis nobilissimus, quin & Cerbellonius, vnã cum bellicosissimo Emporitano Comite, cum maximo Regis, atque totius exercitus dolore, de medio sublati fuere: cum nulli magis quam ij, & qui antea cum Bearnensi & Moncada occubere proceres, Regem tum re, & armis, tum consilio & fidelitate iuuerint: & in occupanda Insula pars magna fuerint. Quorum interitu Rex, societate & comitatu procerum

cerum imminui, se, ac deserui vidēs, Petro Cornelio Magistro equitum mandauit, vt capta ex regio arario summa ceterum mille victoriarum, in Aragoniam proficisceretur; indeque conscripta cohorte centum quinquaginta equitum cataphractorum, maturato ad se, cum ea remearet: ac præ cæteris Athum Focium, & Rodericum Licianam, Barones præstantissimos, qui regijs etiam stipendijs, & honorarijs potiebantur, secum adduceret; propterea quod crescentibus Regnis, necesse esset ad ea conseruanda, augeri quoque copias & exercitum. Quæ cum diligenter à Cornelio perficerentur, ac præter illos, multi etiam cum Cornelio in Insulam venirent, exercitus magna ex parte suppleri cœpit, atque à duplici refici iactura, quæ consecuta fuit, tum ex pestilentia; tum ex discessu multorum, qui capta, atque direpta vrbe, spolijs opimis, protinus in Cataloniã remigarunt. Itaque suppletis copijs, atque aucto exercitu, Rex in sarracenos, qui sese in montana loca receperant, atque Sollarium, Almarauichum, & Baiabaharium oppida munire cœperant, bellum commouit; propterea quod eruptiones ab eis multæ, ad vsque vrbis portas, prædaque ingens, cum maxima nostrorum iactura fierent; atque impedimento essent; ne à ciuitate in Pollentiam paruum urbem, sed commercio idoneam, tutus esset transitus. Vnde cum exercitu viam Buniolanæ vallis ingressus; à dextra arcem Olerianam omnium Insularum munitissimam præteriens, paululumque ab exercitu secedens, cum in montem ascendisset, exercitus noluit constituto sibi in loco contineri; sed rectã ad pagum Incam, nunc celebre oppidum petere. Id Rex prospiciens, dimisso Guillermo Moncada Raimundi filio, (qui postea Fraga oppido Aragonensi in confinibus Cataloniæ potitus est) in postrema acie, cum paucis traducto mote, ac citatis equis, exercitum vt retineret, properabat attingere; sed is ultra procedens, in vallem descenderat; adeoque propinquus oppido erat, in quem refocillandi gratia, turbato ordine tendebat; vt retrahere illum minime Rex potuerit. Vnde sarraceni videntes Christianorum agmina diuidi, & quasi vagantia dispergi, idoneam occasionem nacti, sexcenti numero postremam aciem tentare conati sunt: quæ tamen satis parata ad pugnandum inuenta, viriliter ab ipsa repressi fuere, ac per accliuatam montis fugere co-

re coacti. Tum Rex cōsiliū inijt cum eodem Moncada, Nunnio, & Cornelio, placuitque ea sententia, ne se Rex contineret loco tam propinquo hostibus, qui numerum trium millium efficiebāt; vel ex eo maximè, quòd commeatus, & impedimenta in ipso pago Inca, vbi & exercitus, constiterant. Quare per medios fere hostes pagum petijt, non amplius quàm quadraginta comitatibus equitibus, tã benè instructo agmine, vt ne aggredi eos sarraceni ausi fuerint: tametsi audaciæ potius, quam fortitudini fuerit Regi datum, cùm tam paucis, per medios, atq. tã multos hostes progredi: quos nihilominus tamen, cognita eorum timiditate, atq. armamentorū inopia, oppugnasset Rex illicò, si in aperto & campestri loco fuissent. verùm ea erat asperitas montiū, adeoque munita naturā loca, vbi se hostis continebat, nouis vt cōtra eos machinationibus esset vtendum, quas in vrbe meditaretur. Itaque tunc Incam peruenit, vbi exprobrato torpore & socordia Ducum, qui sibi clamitanti minimè paruissent; in urbem reuersus est cum exercitu, deferens secum commeatum & impedimenta pagi. Eo tempore Vgo Follalcherius Magister equitum ordinis Hospitalium triremi in urbem appulit, quindecim comitatus equitibus sui ordinis. Hunc Rex excepit benignissimè; eo amore, & honore ipsum, eiusque ordinē prosequutus, vt tametsi prædiorum omnium facta fuerat divisio, vixque reliqua esset portio; nihilominus sua quoque Hospitalarijs equitibus triginta, saluis aliorum portionibus, pars contigerit, perinde ac Templarijs paulò ante fuerat concessa. Hæc autem portio magni fuit habita ab Hospitalarijs, qui tametsi nouissimi ad Insulã venissent, nec oppugnationi vrbs interfuissent; pari tamen cum Templarijs præmio à Rege donati fuerint. permisit etiam eisdem antiquum portus nauale, vbi domos sibi illi, atque Xenodochium edificarent. Cæterùm ciuitatis, atque totius oræ maritimæ compositis, ac sedatis rebus, montanarum cura Regem maxime angebat; quod hæc impedimento ei essent, ne in continentem illicò remearet; tot ipsum, eiusque præsentiam deposcentibus Cataloniæ, Aragoniæque negocijs, quæ minimè nisi præsentem ipso confici poterāt. Ex quo non tantùm de deuictis hostibus gaudebat ille, quantùm de non victis dolebat; ideoque morè impatiens, iunctis copijs, duce

Nunnio

Nunnio, vnâ cum Episcopo Barcinonensi, atque Simenio Vrræ, & promagistro equitum, eiusque equitibus Hospitalarijs, Inchá oppidum reuenerunt, vbi se Sarraceni continebant. Indeque excellum conscendentes collem Dartanæ, ab exploratoribus didicerunt, Sarracenos in intimas quasdam maiorum motium spelūcas sese abdidsse, in eam potissimùm, quæ extrinsecus omnium asperrima, eminentissimaque, intus verò mirè profunda & capacissima erat; per plures siquidem concameratas cauernas continebat: in quibus consistentes facile se à quouis saxorum ictu defendebant; faciliusque ad se descendere conantes, in ipso ingressu interimebant: quin etiam rursum rupem ascendentes, per secreta quoque foramina frequenti sagittarum coniectione configebant. Itaque rupem obsidente exercitu, vt primùm milites, qui vix bini, aut terni admittebantur, sese latètibz in conspectum dabant, tam sagittis per foramina confixi, quam lapidibus ab alto obruti, decidebant. Quo in conflictu, cum dies aliquot exercitus magno suo damno contriuisset, ac nihil profecisset, statim illorū tuguria, quæ pro foraminibus locata habebant, incendere statuerunt. de quo maxime dolètes illi, atq. cùm infestatione fumi, tum situ & squallore exreclusione, male habentes, de ditione egerunt; ea conditione & pacto, vt si intra octo dies socij montani minime subsidio eis essent, se dederent. Interim præceres, dimissa ibi parte exercitus, cum altera per montes excurrentes, vt subsidia, si qua obsessis venirent, interciperent, prædas non paucas faciebant: maxime verò Petrus Massa Dux clarissimus, qui aliam similem rupem arte & vi cepit, quingentis in ea captis, & ad Regem adductis Sarracenis. Tandem elapso deditiois die, nullo occurrente subsidio, spelunca in Regis potestatem venit: è qua prodiere mille quingenti Sarraceni, qui se Regi ad pedes prouoluètes, obtulerūt boum. X. ouium verò xxx. millia. Tanta enim est insulæ feracitas & vberitas, vt in eius quasi angulo teneri ac pasci illa potuerint. Qua præda capta, Rex cum exercitu reuersus, urbem ouans intrauit: vbi cōuocato consilio, de Insulæ Sarracenis fuit actū. Consultius nè esset illos in cōtinentē transferre, ne magna cum esset eorum multitudo, aduentatibus Afris, conspirationē facerēt, atq. Christi anorū Resp.

I detriment;

detrimentū caperet? An potius manere eos fieret vtilius, vt essent; quibus Christiani vterentur vt seruis ad excolendū agrum, & alias nauandum operas; ne ob paucitatē colonorum terra quoque cultione vacans syluesceret, ac redigeretur in solitudinem. In quam partem ferè omnes incubuerunt: maximè verò qui prædijs, atque oppidis à Rege in Insula donati fuere, sicq; relinquendos esse pronuntiarunt. Quæ sententia non multò post, consecuta illorum rebellionē, visa fuit perniciosior. Hoc tempore, Rodericus Liciana in Insulam venit, triginta secū cataphractos, ac duas cohortes adducens; Athone quoque Focio, & Blasco Massa Aragonensibus sequentibus; qui etiam cum altera manu militum nauigantes, tempestate coacti sunt in continentē remeare, ac Tarraconē appellere. Itaq; rerum potitus Rex, cōpositis nonnullis querelis: de diuisionibus agrorū, deq; arcibus ad ædificandas in vrbe domos magis opportunis egit. Qua in re, liberalissimè, sed magna quidē cum arte & prudentia se gessit, vt nimis, petulantissimisq; multorū efflagitationibus occurreret. Demū custodia & munitione totius oræ maritimæ optimè dispositis, in Cataloniā decimoquarto mēse, ex quo ab eius ora cum classe soluerat, atque Insulæ oppugnationem inierat, remigare statuit. Quamobrem Bernardum Sentaugenianum nobilissimum, fidissimumq; Catalanum, totius Insulæ præfectum reliquit; eiq; mandauit, vt expeditionem in Insulam minorem, & alias adiacentes pararet; quas ipse breuī reueniens, diuino concedente numine, oppugnare decreuerat. Cui etiam præfecto, præter Torrellanum oppidum, quod ei ex diuisione obtigerat, nonnulla alia coniuncta oppida, dum viueret, concessa fuere. Prouidit etiam Rex, ne arma, equi, & tormenta bellica, quæ ad oppugnationem Insulæ necessaria essent, aliò asportarentur. Non enim minor eum premebat sollicitudo & cura tuendæ Insulæ, quam presit debellandæ. Nam præterquam quod capta illa, opulentissimum ditioni suæ Regnum adiecit; visus est etiam superioribus Hispaniarum Regibus longius latiusq; præcurrisse. vt qui Baleares præstantissimas Iberici maris Insulas omnium primus expugnauerit: ac neq; minorem inde laudem affecutus fuerit, quam sibi meruisse amplissimam, celeberrimamq; omni ex parte arbitratus est

Q. Ce-

Q. Cecilius Metellus Consul Romanus, qui eiusmodi Insulas Romano Imperio subiiciens, reportatam inde victoriam, ob quam triumpho donatus est, tanti habuit, vt à deuictis Balearibus, Balearicus cognominari studuerit. Quale profectò cognomentum, hoc ipso potius Iacobo deberi constat, quòd eas non modò ceperit, sed captas cum conseruauerit, tum Mahometana extirpata inde impietate, ad verum Dei cultum traduxerit. Quem planè religionis cultum Baleares adeò piè, continenterq; obseruarunt, vt ab eo tempore nulla in eos Christianæ defectionis labe incidere, nullum fidei factum fuerit naufragium. Sed vt sunt optimo, atque excellenti ingenio præditi; ita neque à vera vniquam religione deciscerunt. Vnde fit, vt in ipsos Christianæ fidei hostes Mahometanos, nulli sint Balearibus truculentiores: vt deprehendere est ex continuis pugnis, quas cum Africanis piratis agunt. Quas sanè armorum exercitatione, gens bellicosa admodum, rigida, atque vltionis percupida euasit. Nam licet in communes hostes ad defendendam patriam nulli sint illis concordiores; tamen in se ipsos, nulli quandoque feriores; neq; acerbiores. Siquidem præbili, qua redundant, facile in subita iurgia, mutuasq; rixas erumpunt, ac subinde odia exoptatæ vindictæ, in quam naturâ propendent, reconduunt: eamq; vel hoc solo nomine ipsis innatâ esse ferunt; quòd cum sit insitum animalibus vltionē appetere, ipsamq; potius dentibus, qui propiores sunt cordi, vbi irarū ardor existit, quam vel manu, vel armis conficere (diducto enim ore, atque exertis dētibus illam significamus.) Sic etiam Baleares olim, vltionis gratia, inter alias pugnandi artes, canes (molofos dicunt) alebant ferocissimos, atque in homines plus quam in feras sæuientes; nempe vt ipsorum dētibus dilaceratis hostibus, vindictæ sitim explerent. Nam constat hanc ipsam tam efferatam canum aggressionem, atque fundarum etiam vsum, quo in iaciendis ac librandis lapidibus tantopere Baleares præstant; non tam in priuatos, ac domesticos hostes, quam in piratas frequentissimè deprædantes Insulam, captiuosq; ducentes Insulanos, à maioribus inductū fuisse. Nemo enim egrediebatur foras, qui non secum gestaret fundam, sociumq; canem vocaret; vt si obuium piratam iaculatis funda-

I 2 lapidibus

lapidibus fugare non posset, incitato cane, aut dilaceraret, aut remoraretur, donec sese in tuta loca reciperet. Vnde non abs re Græci, auctore Aristotele, has insulas *γυμνασίαις* vocarunt, quasi exercitatorias, propter crebras, ut dictum est, pugnas, quibus incolæ cum piratis sese continenter exercebant. nam ob feracitatem, multarumque rerum vbertatem, frequentibus direptionibus subiectæ erant. Quanquam magis adducor, ut credam, ab eisdem Græcis dictas fuisse proprio nomine Baleares, Cerniorum lingua, quasi exsulares. nam exsules Cernij appellant balaros, Pausania auctore. quod in eas relegarentur à Romanis, aut ab Hispanis, qui ob delicta exilio multarentur: ijque ut perditæ ac desides laborem agriculturæ fugientes, cum ex venatione viuerent, ac sine lare essent, sua, se, atque Insulas, tum feritate, tum funda & canibus à piratis defendebant. Qui & mulierosi, eodem auctore, usque adeo erant, ut si ex pacto daretur commercium cum piratis, nihil aliud ab eis, præterquam mulieres mercarentur, aut cælo, aut situ terræ, seu pinguis ferinæ, porcinæve carnis esu, quo abundant, Venerem excitante. Fuere igitur hæ Insulæ multis ante Iacobum annis, dum à sarracenis tenebantur, non solum à Barcinonensibus Comitibus, sed à Pisanis, ac etiam à piratis Normanis, ab occidentali Gallia, per Herculeum fretum, in nostrum mare illabentibus, sæpe quidem magna ex parte vastatæ: verum captæ penitus à nemine vnquam præterquam à Iacobo, qui non modo debellauit eas; sed suis quoque posteris perpetuò possidendas reliquit. Tandem Insulæ negotijs compositis, præter ea, quæ ad instituendam ibi religionem, & diuinum inducendum cultum, atque Mahometanum prorsus propulsandum pertinerent (hæc enim quoniam cum Episcopo Barcinonensi, & alijs, in continenti pertractanda erant, eousque peragenda distulit) è portu soluens, secundo vento post diem tertium, portum non longè ab ostio Iberi tenuit. Verum tempestate subito exorta, non mari Tarraconem, sed terrestri via cœnobium Populetanum adiit, ut gratias Virgini & matri sanctissimæ immortales ageret, eique supplicationes per vniuersa Regna sua, ob tam felicè rerum euentum, decerneret. Cōuocatis igitur Episcopo Barcinonensi, & alijs Antistitibus; de constituendo Ecclesiæ Balearicæ Episcopo, deque

deq. idoneo illius Antistite eligendo protinus, est actum. Quibus obiecit Barcinonensis Ecclesiæ Antistes, eiusque Canonorum Collegium, Balearicam Ecclesiam ad se, suamque ditionem, seu diœcesim pertinere, ex eo quod olim quidam Balearium Rex Sarracenus, Dianij quoque dominus, illam Barcinonensi Ecclesiæ concesserat: idque, consentientibus Comite Barcinonensi, & Archiepiscopo Tarraconensi, Sedes Apostolica confirmauerat. Veruntamen perspecta Insulæ maioris magnitudine; ac etiam ciuitatis frequentia & amplitudine, necesse videbatur, ut proprium ac præsentem haberet illa Antistitem & Pastorem animarum, qui Sarracenos Insulæ ab impia secta ad veram Christi religionem traducendos, sua cum aspectabili Pontificia præsentia recrearet; tum doctrina, & exēplo vitæ illorum animos informaret; ad idque idoneos verbi Dei ministros aleret, atque toti etiam Ecclesiastico ordini præesset: ne proprii pastoris absentia, illius Christianus grex dilaberetur, atque Tartareis lupis denuò præda fieret. maxime verò Rege Ecclesiam amplissimis censibus, ac decimis locupletante, atque pinguibus decorante sacerdotijs. Iccircò Abbatū cœnobiū Populetani, & Sanctarum cruciū, ordinis vniusmodi, quos Rex arbitros constituerat, sententia fuit, ut Apostolicæ Sedis decreto, Episcopatus in Insula constitueretur, eique Ecclesiæ proprius Pontifex præficeretur: cuius prima electio ad Regem spectaret; sequentium verò, perpetuò ad Episcopum & Canonicos Barcinonenses: modò tamen de gremio eiusdem collegij illa fieret: aut nullo ibi inuento idoneo, de Balearico eligeretur dignior: idemque seruaretur ordo in Ecclesijs minoris Insulæ & Ebusi, si contingeret aliquam erigi in Episcopatum. Adhæc literis suis Rex mandauit præfecto Insulæ, ut quamprimum Templum maximum in vrbe; in alijs autem oppidis permultas ædes sacras; atque in pagis sacella, Regijs sumptibus exædificare curaret. Quibus peractis, Rex è Populetano cœnobio proficiscens, Ilerdamque præteriens, in Aragoniam peruenit, vbi maximo applausu ab omnibus Aragonensibus, sed à Cæsaraugustanis potissimum cum triumpho exceptus fuit.

BERNARDINI GOME

SII MIEDIS, ARCHIDIACONI

SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS

gestis IACOBI primi Regis Aragonum,
cognomento expugnatoris.

LIBER VIII.



ALEARIVM Maiore, eiusque vrbe expugnatis, Iacobi nomen, gestarumque ab eorum longè lateque peruagata fama, eousque increbuere; vt quò magis sarracenis Regibus odio ille, atque terrori esse cœpit; eò quidem gloriosius à Christianis Principibus, non in amicitiam modo & auxiliũ; sed in adoptiua vocari meruerit. Nam & Tunetanus Rex, Afrorum potentissimus, bellum toties ad recuperandam Insulam indictum, inferre nũquam est ausus; & Romanus Põtifex, ac vniuersa ferè Italia, à Federico Imperatore, vt mox dicemus, oppressa, eius auxilium, præsidiumque implorauit: & Sanctius Nauarræ quoque Rex eundem, adoptandi gratia, ad se vltro accersuit: vt vno simul tempore Iacobus, & triumphũ ex sarracenis; & beneuolẽtiã à Christianis, & gloriã denique ex omnibus reportarit. Verũ de adoptione inprimis, quibus de causis à Sanctio procurata ea fuerit, quemque exitum habuerit, dicamus. Siquidem Sanctius, quo omnium superiorum Regum Nauarra nullum meliorem habuerat: vt qui ob singularem in bello cõstantiam fortissimi cognomẽtum meruerat: post illud Idubedense prælium cum sarracenis habitum, cui, vt primo libro ostendimus, vnà ipse cum Castellæ & Aragoniæ Regibus victor interfuit, sese in Nauarram recipiens, tam pingui & obæso fuit corpore, atque ob podagræ morbum, quo miserè laborabat, debili ac effæto; vt vix se loco dimouere posset; sed perpetuò in lecto iacere necesse esset. Hunc igitur senem orbem, totque impeditum morbis Castellæ Rex, non aperto, sed occulto bello infestabat:

stabat: ad idque inferendum, Didacum Lopẽziũ Pharensem, dominum Vizcain, quæ maritimos Cantabros continet; sollicitabat; ipsoque adiutore Didacus Nauarrensem agrum depopulabatur: & in eodem castella quædam diripuerat. Vnde Sanctius cum neutri valeret resistere, atque honestas quas offerebat cõditiones pacis ambo repudiarent; cum Aragoniæ Rege pascisci, eiusque ope ab vtroque hoste sese defendere curauit. Cumque Tudelæ ageret, quæ Regni vrbs est munita satis & peramœna, & quæ Ibero amne alluitur, atque in confinijs Aragoniæ, non longè à Cauno permagno monte posita est, legatos misit ad Iacobum CæsarAugustam, quò tum is è Balearico bello venerat: cui significarent, se velle cum eo inire societatem, & pactiones facere quàm commodissimas. Quo audito, atque de impedimento & morbis Sanctij factus certior Iacobus, ad eundem ire statuit: adductis secum primarijs Aragoniæ proceribus, Athone Focio Regiæ aulæ præfecto, Roderico Liciana, Guillermo Moncada, & Petro Perezio Iustitiæ Aragonum præfecto; Blasco item Massa, non Alagone, quo agnomine deprauata fuit historia Regis, cum is Blascus Alagotum abesset, ac cum Abuzethio Rege, vt diximus, in Valentinum Regnum esset profectus. Itaque Tudelam veniens, à Sanctio tot præpedito malis, neque extra, neque intra ciuitatem decenter excipi potuit: cum eum Iacobus in ipsomet cubiculo iacentem inuiderit. Sequenti verò die, cum ad eum Iacobus reuertetur, Sanctius amoris, summæque beneuolẽtiæ magnitudinem, eiusque visendi cupiditatem, potiores causas, cur illum accersierit, esse prætexuit; quas felicissimus eius rerum successus, quo ceteros Hispaniæ Reges virtute & fama adæquarat, mirè augebant: ac vel maximè ob cognationem & propinquitatem, quæ inter ipsos tanta intercedebat, vt quocũ arctiori affinitatis vinculo astringeretur esset ferè nullus, vno excepto Tibaldo ipsius ex sorore nepote: tametsi is ob ingrati animi vitium, atque multorum acceptorum beneficiorum contemptum, in causa fuerat, vt de expellendo illo ab spe Regni, deque ipso potiùs ad eam vocando, cum Senatu & populo Nauarrensi egerit. quodque inuenerit nulla alia id posse via confici stabilius, quàm mutua inter eos adoptione;

cum mutuo quoque iure ad successionem Regnorum: posseque ipsum meliore quam se conditione ascisci ad illam: ut qui cum senex valde esset, annos iam natus septuaginta octo, iuueni, qui vix vigesimum quintum attingebat, nequaquam fieri posset superstes. Quæ audiens Iacobus, quod eam de se concepisset opinionem & benevolentiam; ingentes ei gratias egit: seque daturum operam, ut in amore, omni que grati animi officio responderet. De oblato vero adoptionis iure, cum suis breui se acturum, ac deliberaturum respondit. Quibus conuocatis, quæ secum Rex communicasset aperuit, fuitque multus subinde, atque varius de proposita adoptione inter eos sermo. Nam etsi Iacobo valde expediebat adoptari se, ad stabiliendum ius olim à maioribus suis ad Regnum Nauarræ acquisitum, tamen adoptare ipse Regem nequaquam poterat, Alfonso filio vnico superstitite; atque salutato Principe à proceribus, Ciuitatibus, & oppidis totius Regni Aragonum; ac etiã ab Ilerdensibus. Esse præterea monstrisimile, octuagenariũ prope senem à iuvene adoptari, & periniquam, excluso legitimo hærede, alium vocari ad Regni successionem. Hæc cum inter se egressissent, & tanquam rationi minimè consentanea, dubia reliquissent; ea utcunque Sanctio retulerunt per Blacum, Athonem Focium, & Rodericum Licianam. Quæ intelligens Sanctius, atq. cum suis consiliarijs, & Nauarræ primatibus comunicas; tandem, cum non tam adoptari, quam iuari à Iacobo curaret, in ea semper sententia fuit, ut pacta fierent, tametsi per adoptionem nullum sibi ius esset ad successionem, nisi Iacobo & Alfonso sine liberis decedentibus. Ut primum igitur Nauarrensiũ decreta Iacobo fuere renuntiata, adeò sibi illa vtilia & honorifica esse inuenit, atque Aragoniæ Regno profutura, ut approbantibus proceribus, modò successione potiretur; & Regi subsidio ac defensionis futurum; & quæcunq. de his pacta & conditiones fierent, diligentissimè se præstiturum promiserit. Alter ergo alterum adoptauit: præsentibus vero vtriusque Regni proceres, & ciuitatum procuratores fuerunt: qui magno consensu, omnia sese firma, rata, ac perpetua habituros iureiurando affirmarunt. Quæ adoptio à Regibus stipulata, atque diplomate signo Regio munito consignata, non contemnenda qui-

da quidem fuit Regibus Aragonijs: propterea quòd per eam non minimum ius fuerit ipsis ad Nauarræ Regnum acquisitum. Quid enim sibi voluit adoptio, quid à Rege, eiusque Regni proceribus iuramento confirmata pactio, quam obeunti Regi Iacobum successorem relinquit? Quæ pactio Hispano conscripta sermone, de verbo ad verbum refertur à Hieronymo Surita lib. 3. de Annalibus Regum Aragoniæ. Ceterum adoptiuorum ob signatis tabulis, de bello ad propulsandum hostem est actum: de quo multa Reges, eorumque vtriusque proceres pertractarunt: ipse in primis Sanctius egregiè de his, quæ faciendæ essent diserebat; innitens tum optimo iuri suo, tum societati Iacobi, qua sperabat, se posse, iunctis vtriusque Regni viribus, non modò tueri sua, sed hostem Regem in amittendi sui Regni discrimen adducere. Quibus assentiens Iacobus, se præsto esse, ac certa die cum duobus equitum millibus venturum obtulit; modò Nauarrenses cum mille equitibus adessent. Id se illi facturos promptissimè sponderunt: tamen neque modum, neque ordinem; quo hæc fierent vllum adhibuerunt: propterea quòd Rex non tantum podagra, sed multa etiam in dando chiragra, quod a iunt; laboraret: fama que erat, magnam incommodorum bello acceptorum partem ex avaritia, illi fuisse natam. Vnde vel ob vtrumque morbum, vel potius quòd poenitisset iam ipsum, priuasse Regno Tibaldum, repente conuerso studio, non solum frigidè, languideque, sed cum stomacho, ad ea, quæ à Iacobo in rem bellicam agitabantur, respondebat. Nihilominus tamen Iacobus in his sapienter conuies pacto adhaesit, quò conuenerat, ut ipse ad proximum diem festum Paschæ Resurrectionis Dominicæ, cum equitibus leuis armaturæ mille; & ad diem festum sancti Michaelis mensis Septembris consequentis, cum alijs mille, in fines Nauarræ conueniret: si tamen Rex sub id temporis mille quoque equites paratos haberet. Denique cum placuisset iterum ipso die Paschæ conuenire Tudelæ; seque secundo videre, de discessione egit; atque dum hanc parat, à Rege petijt dari sibi mutuo victoriarum centum millia: quæ dedit Sanctius; oppositis ei nomini & pecuniæ, quasi hypothecis, à Iacobo quattuor Aragoniæ oppidis, quorum nomina sunt, Herrera, Pinnarotunda, Fer-

da, Ferrelio, & Faxina, in ipsis confinijs Aragoniæ sitis. Mutuò igitur accepta pecunia, Iacobus illico non in suam illam, sed in Sanctij vsu impendit. Nam conductas à se antea cohortes misit, ut præsidio essent oppidis Nauarræ, in quæ Lopezius irrumpebat. Itaque Iacobus rebus sic confectis, Tudela Cæsaraugustam venit. Quo tempore graues sparsi fuerant rumores de maximo belli apparatu Tunetani Regis, & expeditione ad expugnandas Baleares: argumento esse, naues quasdam Ligurum, atque Pisanorum ab eo in Hipponensi portu occupatas. cuius rei fama confirmata fuit litteris Santaugeniani maioris Insulæ præfecti, quibus actuariolo missis, Iacobum de ea re certiores faciebat. Quo nuntio, Iacobus protinus Tarraconem profectus est, ubi conuentus agi curauit, vocatis Aragonensibus simul & Catalanis, ijs præcipue, qui equestribus stipendijs potiebantur: potissimum qui in Insula prædijs atque oppidis donati fuerant, ut constituta die in portum Salonium conuenirent, è quo, exercitu congregato, ac Rege duce, ireret in Insulam subsidio. Ea quippe ipse præsentia, & manu, quibus Insulam expugnauerat, eripueratque ab impijs Sarracenis, contra eosdem tueri decreuerat. Dum hæc in portu aguntur, venit ad Regem, ab eoque fuit regiè, honorificentissimeque exceptus Petrus Portugalensis, quem Rex antea, ut diximus, cognationis gratia, oppidis aliquot in Tarraconensi campo donauerat. Necnò illius vxor Aurembaxis nuper sine liberis decedens vniuersorum hæredem, atque Vrgelitani Comitatus dominum pleno iure, testamento reliquerat. Hunc ergo Rex cupiens amplissimis, atque Regijs bonis cumulare; simulque Regiam Catalonia ditionem sibi posterisque suis amplificare, quæ commodissima vtrique essent, sapientissime commeditatus fuit. Nam ut eundem Vrgelitanum Comitatum omnium Cataloniae, & vbertate agri, & bellica gētis laude primū, Regno adiungeret, veniretque in eius possessionem antequam Pontius Cabrera, obeunte Petro, illum repeteret, Baleares Insulas Petro tradere decreuit. Cui rei annuit Petrus, ut Regi potius morem gereret, quam ut mediterraneam cum maritima stationem commutare vellet: atque ita conuenit inter eos, ut translato in Regem Comitatus iure omni, quod Petro ex testamento competeret, Regnum

gnum Balearicum Petrus, & Insularum adiunctarum dominatum, dum viueret, more Barcinonensium, acciperet: retenta tamen Almudeua arce vrbs, cum oppidis & arcibus Oloronis, & Pollentiae: utque in reliqua Insulæ munita loca Rex, cum opus esset, admitteretur; ac quos amicos haberet, eosdem Petrus agnosceret. Demum ut mortuo Petro, eius hæredes tertiam partem tantummodò Insularum, eodem beneficiario iure, à Rege, & successoribus acciperent. Quas sanè pactiones Petrus, præsentibus eodem Petro Perezio, & plerisque alijs vtriusque Regni proceribus, iureiurando se obseruaturum promisit. Id igitur iuris habuit Petrus Portugalensis ad Insulas Baleares; ut fictum, ac inane sit, quod à quodam antiquo historico refertur, Petrum scilicet, proprio Marte expugnasse illas; cum exul ipse, neque opibus, neque re valeret; ac nisi à Iacobo exceptus, & locupletatus fuisset, minime in eum rerum statum peruenisset. neque enim tam iners alioqui, atque ignauus homo, tam arduam expugnationem suscepisset vnquam. Nam à Rege sollicitatus, ut se illico navigationi ad defendendas suas Insulas accingeret, in eaque expeditione, classis præfectus fieret, vltimus procerum accessit; quattuor tantummodò comitantibus equitibus, cum iam Rex nauem conscendisset, in quam ille fuit exceptus: cognatione quidem Regi propinquus, sed magnanimitate impar, virtute longè inferior. Itaque in portum trecenti numero conuenere equites selectissimi, cum nouem cohortibus; commeatus verò, rei que frumentariæ, & armamentorum magna quoque fuit comparata copia. Quibus omnibus in naues impositis, dum idonea ad nauigandum tēpestas expectatur, Aspargus Tarraconēsis Pontifex, & Guillelmus Ceruera monachus Populetanus, Regem vehementer rogarunt, ne se tunc navigationi daret: non enim esse toties periclitandam fortunam, ac neque cum tam potenti Tunetano Rege, tam paucis copijs configendum: satius sanè fore, si Nūnium ducem bellicosissimum, atque omnium experientissimum, cum exercitu eò mitteret ad urbem defendendam, quoad ipse maioribus coactis copijs, subsidio iret in Insulam. Sed nihil profecerunt: quin potius, se illis, eorumque pijs sacrificijs valde commendans, vela dedit, atque secundo

cundo vento, triduo ad Insulam appellens, Sollarium portum tenuit, indeque celeriter urbem est ingressus: ad quam etiam post triduum reliqua classis appulsa fuit. Quo subito aduentu Regis Insulani vehementer excitati fuere, & ad defensionem Insulæ mire parati inuenti. sed vix quindecim exactis diebus, nuntius allatus est, Tunetanum Regem, neque armatum esse, neque eo anno expeditionem Balearicam suscepturum. Hæc enim per exploratores, quos Iacobus veniens in Insulam, Tunetum miserat, patefacta sunt. Vnde ab ea liberatus cura, bellum denuò redintegrauit contra tria Sarracenorum millia, qui expedito agmine, occupatis arcibus Pollentiæ, Santuerij, & Oloronis, sese viriliter defendebant. Cuius conspirationis caput erat strenuus quidam Sarracenus nomine Xuarpius, qui vt primùm Regem cum exercitu aduētare intellexit, noluit, qua soliti alij fuerant pertinacia, Regis iracundiam in se irritare; sed illico sub honestis conditionibus in potestatem Regis cum suis deuenit, ei que occupatas arces tradidit. Quibus recuperatis, atq. Xuarpij liberalitate Rex ductus, eidem, alijsque quattuor decurionibus eiusdem generis & cognationis, prædia, & honores in Insula diuisit. Præter hos, alia quoque duo millia conspiratorum fuere, qui se Regi dedere noluerunt, atque asperrima montium culmina occuparunt. Quos Rex interim neglexit; ne tam grauibus eum aliò vocantibus negotijs, tēpus in debellandis fugitiuis cōtereret: maximè verò tot iam Christianis Insulam incolentibus, qui facilè possent nouas res molientibus occurrere, atque proteruos compescere. Urgebat enim Regem constituta dies paschæ, qua Tudelæ Regem Nauarræ, se conuenturum promiserat: sed cum elapsa esset, ægrè subinde illum tarditatem laturum sciebat: ac, vt ingenium est Nauarrensiū, subitum, suspiciosum, suisque deditum Regibus, hac sola moræ occasione capta, à pactis eos discessuros credebat. Sunt enim Nauarrenses, & eorum propinqui Vizcaini (vtrosque Plinius Cantabros appellat, atque in angulo Hispaniæ septentriones versùs constituit) nō modo in communibus ac frequentibus prælijs; sed in singularibus concertationibus, valentes, industrij, ac perpugnaces; ab insitanti naturâ vi, non à Gothis Hispaniæ, vt quidam suspicantur,

enata

enata: cū & multis sæculis virtutis fama Cantabri illos antecesserint. Siquidem Augusti tempore, Horatius Poeta Cantabros bellicosos vocat: fateturque idem Augustus in Sueronio, nullum sibi fuisse bellum Cantabro periculosius, neq. difficilius. Quos etiā constare esse inter se coniunctissimos, & in tuenda patria constantissimos: quin & ingenio pares; adeoque vnis ferè semper moribus viuentes, vt ægrè externos inducant: & quorum lingua à primo ipsorum terræ cultu cœpisse creditur, ac neque à Gothis, neque à Romanis fluxisse. Nam & à sermone cæteris Hispanis familiaris ac vsitato, qui è Romano manauit, lōgissimè ea distat; & tam obscura, atque à communi eloquio remota est, vt neque Romano efferri ore, neque commodè, auctore Mela, conscribi possit. Suntque in colloquendo adeò verborum, præsertim propriorum, inopes, vt sæpe quidē, aut inepta vti periphrasi, aut in medio sermonis obmutescere cogantur. atq. hinc est, vt cum incidit eis sermo cum alienigenis, subito inopia vōcum iratiores fiant, præque iracundia, linguæ tarditatem, impetu corporis atq. celeritate manuum compensent: perinde vt faciunt præclari rerum scriptores, qui mentem ac sensa sua, quo minus celeriter explicare lingua possunt; eo feliciter per manus quidem orationis fluxum stillantes, literis illa grauisimè consignare solent. Ita quippe Nauarri continuis olim, tum Romanorum, tum Sarracenorum prælijs assueti, breuitateque ac inopia sermonis repressi, fortiores, atque in bellū propensiores semper fuerunt. Quò fit, vt fidelitate, cui proprium est silentium, ij valde præstēt; ideoque à loquacibus, tanquam fallacibus, caueāt summopere, neque quid ipsi comminiscantur, attendāt: ac quoniam eorum incorruptus est animus, tanta ipsis inest ingenuitatis ratio & opinio; vt mortē citius quam vt à suis degerent, cum vita commutēt. Sed quanquam eorum Regnum nō admodum latum est, plusq. robore, quam numero vincunt; adeò tamē res maximas, totq. præclara domi forisq. facinora ediderūt; deque deuictis toties hostibus amplissimè triumpharunt; vt non in postremis quidem illud collocandum sit, quòd proprias ipsi sedes, montanas saltem, tam strenuè tutati sunt, vt ab eis nunquam depulsi fuerint. Hæc igitur secū meditatus Iacobus, deq. Nauarro-

rum

rum facultatibus, & constantia Regis, nonnihil dubitans, profectio-
 nem suam ad eos maturabat. Quamobrem pacatis Insulæ re-
 bus, auctisque præsidijs, Petrum Massam nobilissimum eius alum-
 num, quem dominum sancti Gaireni fecerat, præfectum reliquit:
 ut enim domos in vrbe, atque prædia in suburbijis, militibus: sic &
 proceribus Rex in Insula ditiones, ac Principatus diuiserat. Quin-
 etiam Sentaugenianum strenuum virum Catalanum Petro præfe-
 cturæ consortem dedit; simulque vtrisque iniunxit, ut bellum in-
 minorem Insulam appararent, breui ad illud conficiendum redi-
 turus ipse. Tribus ergo triremibus ab Insula profectus, tertio die
 Tarraconem appulit, inde Cæsaraugustam peruenit: vbi nonnul-
 lis grauibus Regni negotijs expeditis, ut primùm intellexit San-
 ctium Tudelæ adhuc esse, ad eum venit. Cui occurrit in itinere
 Petrus Simenius Valterra nobilissimus Nauarrus, Iacobo antea
 notus, significans Sanctium esse grauitè affectum in eum; pro-
 ptereaquod ad constitutam diem Paschæ minimè cum equitatu ve-
 nisset. Quo magis Iacobus Regem alloqui cupiens, ad eum in-
 gressus, honestas moræ suæ causas, quantoque periculo Insulam
 præsentia sua eripuerit, exposuit; seque morâ, quam fecisset, bene
 compensaturû dixit, additis ducentis equitibus, præter eos, quos
 antea in subsidium belli promiserat: iamque se esse promptum ad
 exequenda pacta; modò equites mille, quos Rex fuerat pollicitus,
 præstò essent. Nam iunctis vtriusque copijs, statim se, cum exer-
 citu petiturum Castellam, eiusque Regem a vastatione Nauarren-
 sis agri cum prohibiturum, tum ad pugnam prouocaturum affir-
 mauit. Hæc dicens, ac Regem fatigari quodammodo agnoscens,
 paullulum secessit foras, vbi strenuum quendam militem mœstum,
 ac meditabundum, pro foribus agentem, interrogauit, quænam
 ipsum negotia aulica à bello distraxissent? aut quonam ab exerci-
 tu dimissus venisset? Venio, inquit miles, missus à duce cohortiû,
 quæ sunt in præsidio Regni, ut Regi significem, offerri occasio-
 nem ad confligendum cum Lopezio, & Castellanis, ac peruincen-
 dum; modò sibi submittantur ducenti leuis armaturæ equites: sed
 ecce quartus est dies ex quo veni, neque tamè permissum mihi fuit
 ad Regem intromitti. Tum Iacobus vehementer commotus, vna
 cum

cum milite ad Regem iterum intrauit, & cōquestus est, quòd tam
 idoneam ad profligandos hostes occasionem nactus amitteret. Ve-
 rùm, si quatuordecim tantùm dierum cibaria suggereret, se illuc
 protinus cum suo exercitu conuolaturum. At verò Sanctius, aut
 languore & morbo obtorpescès, aut Tibaldi, qui iam in eius gra-
 tiam redierat, causa motus, eam Iacobi orationem iniucundam
 sibi esse significauit, & grauem. Quare cum intellexisset Iacobus
 Sanctium neque suis rebus consulere, neque sibi vlli vñi futurum
 esse: paratû se ad omnia, quæ promiserit Sanctio præstanda osten-
 dit: indeque se ad reprimendos Valentini Regis impetus, atque
 continuas excursiones in Catalonia, & Aragoniæ fines, totû con-
 uertere decreuit. Quamobrem Tudela abiès, Thauftium venit,
 vbi intellexit sarracenos, qui conspirant in Insula, seque in mon-
 tana loca receperant, multis licèt lacesiti, atque fatigati prælijs es-
 sent à Præfectis; tamen asperitate montium, atque profunditate
 cauernarum cõsisos, sese adhuc pertinaciter cum magno Christiano-
 rum damno & iactura defendere: tametsi nouissimè quidem,
 vastatis agris, quos in ipsis montium cacuminibus cultissimos, &
 fructuosissimos habebant, è speluncis compulsos exisse, tantaque
 oppressos fuisse fame, ut more pecudum solo herbarû pastu se ip-
 si alerent. Idcirco de deditioe agentes, dixerunt, libenter se
 Regi tradituros, modò ille præsens, pacta & conditiones appro-
 baret. Qui rumor confirmatus fuit aduentu ipsorummet Præfe-
 ctorum, qui de Sarracenorû deliberatione facti certiores, trigin-
 ta dierum pactis cum ipsis inducijs, obsidibusque acceptis; nõ per
 legatos, neque per literas, sed ipsimet Regem ad Insulam se pelle-
 cturos sperâtes, duabus actuarijs nauibus Barcinonem appulerunt,
 indeque admisis equis, Thauftium peruenerunt. Quos admiratus
 Rex, ac neque sine magna aliqua causa venisse ambos, & Insulam
 reliquisse suspicatus; posteaquam benignè excepit eos; magnani-
 mitate quidem timorem superante, percontatus est, Nunquid de
 Insula actum iam est? num mari, aut tota summerla est; aut à Sar-
 racenis prorsus, vobis elapsis, occupata? Nauè gubernatores de-
 seruistis? capta illa est. Cui occurrens Petrus, atque profluentem
 eius ex suspitione orationem interpellans, sic respõdit. Noli qua-
 so, mi

fo, mi Rex, & te fallaci amplius suspitione torquere; & nos honorifica, qua semper apud te fuimus, opinione priuare. Quin potius opinare de Insula, nisi salua ea tibi, & incolumis mansisset, ac nisi tanquã nauis in portu, & anchoris tuta esset, gubernatores ab eius gubernaculo, & transtris nunquã discessuros fuisse. Cũ igitur in tuto sint omnia, rem tibi lætam, ac gloriosam, nobis autem honorificam, atque toti Insulæ commodissimam afferimus: quam tamen, ne uti ignotam negligas, utque minus te dignam respuas, & occasionem prætermittas; eandem per nos ipsos tibi persuasuri accessimus. Scito namque reliquias Sarracenorum, quos ab Insula nuper proficiscens in montanis repressos potius, quam victos reliqueras, eousque malorum adactos fuisse, ut iterũ uniuersam Insulam in summum discrimen adduxerint. Ex quo necesse fuit, iuētis copijs, bellum denuo illis inferre: quorum ad confligendum copiam, cum nullam, ipsis sese intra speluncas abdentibus, habere possemus, vastatis eorum agris, quos in summis montibus habebant cultissimos, atque pecoribus abactis, tandem eos ad agendum de deditioe compulimus: quam neque admisimus omnino, ne quid te nõ consulto statueremus; neque rursus detractandam putauimus, ne tanquã desperati illi, quos timere licet, in nos ruerent. Sese enim pertinacissimè iureiurando obstrinxerunt, aut nulli se præterquam tibi ipsi præsentis dedituros, aut sin minus, mortem cum gloria magno nostro malo appetituros. Proinde aut matura, atque hanc toties ad Insulæ incendium reuiuiscentem scintillam extingue penitus; aut si cuncteris, te Insula intra paucos annos priuari posse puta: quando hinc Tunetanus Rex; illinc minor Insula cum adiacentibus, hisce confidentes sarracenorum reliquijs, sese ad recuperandam maiorem magna contentione comparabunt. Hæc à Petro relata, & à Santaugeniano confirmata dicta, Regem ad proficiscendum tertio in Insulam vehementer inflammant. Ac protinus sumptis nonnullis cohortibus, quas ad expugnationem minoris Insulæ conscribi iusserat, Tarraconem venit, ut profectionem maturaret. Qui tamen futuris prudentissimè prospiciens, de que successione Regnorũ cogitans, Alfonso filium vnicum, quem eius mater Leonora in Castella alebat, secundo suum

do suum instituit hæredem, ac successorem ad Regna omnia tam Aragoniæ, quàm Balearium, post Petri Portugalensis obitum, ac etiam comitatus Barcinonensis, & Vrgelitani, quibus uniuersa fere Catalonia comprehenditur: nec non Principatus Monpelleriësis, aliarumque ditionũ, quas in posterũ debellari contingeret: præcipiens proceribus ac ciuitatibus & oppidis omnibus, ut eum legitimum uniuersorum hæredem haberent, atque ut verum dominum colerent & obseruarent, quo sine liberis decedente, Raimundum Berengarium patrualem suum, Prouinciæ comitẽ, eiusque filios successores constituerebat. quibus de medio sublatis, Ferdinandum patrum, ut eius regnandi cupiditatem expleret, dum vita superesset (erat enim ut dictum est monachus, quamuis se nondum solemnem religionis voto obstrinxerat) ad successionem vocauit. Post hunc verò eos hæredes instituit, qui essent regio sanguini coniunctiores. Ad hæc de ingenia Alfonso educatione, atque institutione sollicitus, postquam eum Apostolicæ Sedis commendauit, Aspargo Archiepiscopo Tarraconensi, & successoribus; quin & Magistris equitum Templario, & Hospitali in suis Regnis agentibus, ac demum Guillermo Ceruera monacho Populetano, educandum commisit. Ac insuper expressit, ut certo tempore maneret ille in oppido & arce Montionis, ubi Rex olim custoditus fuerat, ac prima rudimenta à Monredonio felicissimè acceperat. Tandẽ voluit, huiusmodi successionẽ validã fore, si Leonora, & Castellæ Rex, penes quos erat Alfonso, eundem tutorũ manibus liberẽ traderẽt: ac modo Alfonso pacificus, non vi, neque cum extèrorum armata manu in possessionem irrueret: cuius successionis tabulæ obsignatæ fuere Tarracone, in præsentia eiusdem Tarraconensis Antistitis, Abbatis Populetani, & fratris Petri Cendræ sapientissimi, ac per sancti viri, qui tum præerat cœnobio Dominicani ordinis Barcinone: quin & Guillermi Moncada, & aliorum vtriusque Regni procerum; magna quoque consecuta populorum acclamatione & applausu. Quibus ex Regis sententia per actis, protinus duabus triremibus, cum aliquot actuarijs ad exportandas cohortes in Insula mansuras, unã cum proceribus è portu soluens, secundo vento nauigauit; estque post triduum

K maiorem

maiores Insulam ingressus. Ac illico maximo in templo, quod exardificare iusserat, immensas Christo ac Virgini gratias pro tam felici terra marique successu rerum agens, conuocato consilio primariorum exercitus, Raimundi scilicet Serani Templarij, Petri Massę, Assalidij, Gudalij, & Sentaugeniani, de oppugnatione Minoris Insulę consiliū iniit. In primisque auditis sententijs placuit, vt relictis in vrbe tyronibus, veterani duabus triremibus impositi in eam pergerent: in quam celeriter comiteatu & armamentis muniti traicere. Est autē ea versus ortū Maiori opposita, distatque ab illa, Plinio, & Rege attestatibus, xxx. miliaribus; cuique ab occasu ē regione respondet portus paruę vrbis, quę Citadella appellatur, ac portui imminet, & amoenissima est, eiusque ager multis frequens suburbij, multisque oleribus & arboribus confitus: & quamuis Marsilio Cosmographo, alendis pecoribus tantummodo, non ad rem frumentariam commodus sit; Tito tamen Liuius & experientia, ad ea omnia, quę maior profert, inuētus est habilis & fecundus. Pręterea in media Insula excelsi sunt montes, humiliores tamē ac leniores ijs, qui in Maiori, neque perinde latebrosi. In horū igitur præcelso arx erat Sanctaguethę dicta, eminentissima cum latissimo prospectu in quacumque Insulę partē. Quę etiam Balearico Regi inuisenti Insulam ad summam erat delicias. Adhęc quattuor portibus vniuersa illa distinguitur, Citadella, vt diximus, Serinao, Fornelio, & Magone. quorum hic est omnium capacissimus, tutissimus, & munitissimus: a Magone fratre Annibalis Carthaginiesi Duce sic vocatus. Nam Insula ab ipsis Carthaginensibus, quibus est a Septētrione, culta & habitata fuit; extantque nunc vestigia nonnulla: nec desunt, qui scribāt, natum in ea fuisse Annibalem. Vnde Mago, & Citadella, tanquam tutiora insulę loca, in præsidio erant. Itaque veterani exercitus ad Insulam appellentes, portum Citadellę, nullo impediēte tenuerunt; ac protinus in terrā expositi, & Christianos se esse, & a Iacobo maioris insulę Rege missos profitentes, cum præfecto, fidelibus vsi interpretibus, egerūt; vt quoniam eorū Rex a Iacobo victus & subactus fuit, eiusque ciuitas maioris Insulę, ex eo quod liberē se dedere noluerat, capta & direpta, multaque

mala,

mala miserabiliter passa esset; ideo ipsi liberē in potestatē Regis benignissimi venirent, alioqui passuri longē acerbiora. At idem tempus sibi dari ad respondendum petentes, arcem ingrediūtur; ac dū de deditōne cōsultant, Rex, qui in maiori substiterat cū parte exercitus, in monte mari imminente, Caput Petre dicto, atque in prospectu Citadellę posito, tribus Aragonensibus proceribus comitatus, sub vespertinum crepusculū, hoc vsus est strategemate, quod ex voto etiam successit. Nam plures vno simul tempore faces toto sparsas monte accendi iussit: quę procul inspectatibus, permagni alicuius exercitus, siue splendentium castrorum speciem referebant. Ad quę ora simul & oculos Citadellani conuertentes; coniecerunt, non aliud portendere ostentum illud, quā Christianorum exercitum paratum ad ipsos aggrediendos, quum primū præsenferint oblatas conditiones pacis minime fuisse ab ipsis acceptas, sed recusatam Insulę deditōnem. Vnde fracti animo, atque debilitati metu, protinus se liberē Regi ac suis dedere statuerunt. Quare vocatis Regijs ducibus, se eis cum Insula tradiderunt: hoc vnum deprecantes, liceret omnibus in Insula manere: seque propterea perpetuam Regis seruitutem subituros. Quo reddito responso, simulque arce cum reliquis castellis a veteranis in potestatem redactis, atque a direptione protectis; frater germanus præfecti, alijque Insulę primates, actuariolo ad Regem perducti fuere; eique se, suo ritu, totius Insulę nomine, vt Regi ac domino subdiderunt. Hunc ergo in modum oppugnata Insula minor in potestatem Iacobi venit. Qua peruulgata deditōne, atque benignitate Regis in excipiendis deditijs intellecta, sarraceni maioris insulę, qui montana tenebant, non expectata Regis præsentia, ē cauernis exire, atque obuio cuique Christiano militi se dare, ac veniam obnixē petere cęperunt. Ex quibus per plures perpetuę seruituti mancipati sunt, ac in continentem transducti: alijs, Regis indulgentia, suburbia & pagi ad inhabitandum concessi: ad publicas verò operas, & onera Insulę, alij quoque multi in seruitutem dati. Itaque confecto montanorum bello, duobus adhuc mensibus Rex in Insula fuit; mandauitque illius præfectis, vt eorum alter cum vna cohorte militum in præsidio Citadellę esset; nempe

K 2

vt cum

vt cum breuior sit inde transitus in maiorem, sibi mutuò auxilia ferrent; atque nocturnis facibus belli pacisque signa darent. His peractis, in hoc vnum maximè Rex incubuit, vt maior Insula vndique munitetur; vtque in portibus præcipuè arces reficerentur; & vbi non essent, exædificarentur; in eisque præsidia collocarentur ad vniuersos tam Afros, quam Hispanos sarracenos, & quosuis alios piratas, portu & Insula prohibendos: inde quippe ipsa tot speculatorijs turribus circumsepta conspicitur. cuius rei proceres, quibus prædia atque oppida donarat, maximè admonuit, graues multas ijs, qui eam curam negligenter interminatus, in Petrum Portugalensem, cui Rex Insulas tradiderat, animum intendens. Sed is eousque ignauitæ, atque inertæ processerat, vt omnem publicæ gerendæ rei curam à se abijceret, minimeque manere in Insula, sed in continentem redire conaretur. Qua causa Rex, expugnato non multò post Valentino Regno, oppida quædam in eo, vt dicemus, Petro dedit; quæ is perlibenter accipiens, eaque compensatione contentus, de iure suo decessit, atque Balears liberè, sineque exceptione Regi restituit. Vt primùm igitur recuperatis illis, atque omnino in potestatem Regis reductis, earum maior à bello conqueuit, eiusque natiui agri fertilitati cultio addita est, & humana confitio, adeo magna ipsam consecuta est rerum omnium atque fructuum vbertas, vt frequentissimus subinde fuerit ex omni Europa in eam gentium concursus. Vnde tam mercium vndique conquiritarum, atque rerum, quibus egent, inuentione; quam Insularium, quibus abundant, exportatione, locupletissimo emporio nobilitata, cum omnium Europæ urbium euasit opulentissima, tum continuis Afrorum piratarum propulsationibus, bello quoque exercitissima.



BER:

BERNARDINI GOME

SII MIEDIS, ARCHIDIACONI

SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS

gestis IACOBI primi Regis Aragonum,
cogitamento expugnatoris.

LIBER IX.



T verò Iacobus; cui nullum in omni vita vacuum tempus fuit, neque otium non negotiosum concessum; sed ab vno præclaro facto, ad aliud logè præclarioris continuus transitus, atque firmus progressus: vix quidem Balearicū bellum cōfecerat; quod vnū satis illi fuisset ad perillustre nomen; & perpetuā famā condendā: cum statim ad Valentini multo difficilius suscipiendum accessit: arduū sanè illud, multisque nominibus dubium, ac periculosum: tot conuictis Sarracenorum Regibus, qui mediā ferè Hispaniā occupabāt, suppetias Valentino allatis: tot etiā Afris, præcipuè Tunetanis, subsidio eiō affuturis: proque Regno demulatisimo, totque circumfuso populis, atque armis præmunito: eoque magis, quod Iacobus solus cum suis, nullo aliorum Regum aduocato auxilio, coeptum persequi decreuisset. Nam cum ei pia illa mēs esset in Valentino; quæ in Balearico bello fuit, cum euellendi stirpitis Mahometanam sectam; tum veram Christi religionem inducēdi; nihil, diuino dūce numine; non animosè sibi aggrediendum, nihil non præclare conficiendum putabat. Verū; ne intermissis primis, ad vltima procedamus; narrare prius oportet, quana ex opportunitate, quibusve cōsilio & rationibus permotus ille, ad tantū, tamque præclarum suscipiendum facinus animam induxerit. Nam ex Rege, alijsque sui tēporis scriptoribus, rem ita se habuisse colligimus. Si quidē ex Balearibus in Cataloniā reuersus Rex, ad ostia Iberi è triremi exiens cum Nunio & alijs, Dertosanū preteruectus agrū, peruenit Alcanitium perinigne Aragonensium oppidum, in Cataloniæ ab ortu, in Valentie verò confinijs, à meridie situm. In monte

K 3

quippe

quippe leniter accliu, perpolitam mille domorum constructione, exadificatum est, atque muro vndique, & turribus lecto ex lapide munitum; quin & à superiore parte, arce, quæ oppido imminet, propè inexpugnabili protectum; inferiore autem, Gadalo fluuio profundo septum, adeoque copiosa riuorum deductione fecundandis agris apto, vt fructus inibi non vberes modo, peruarijque; sed luaves, ac perdelicati proferantur. Ibi demum ciues (e quibus historiae scriptor oriundus) tam pia & ingenua inter se concordia agunt, atque prudenti cum Reipub. administratione pietatem colunt, vt non immeritò diuinitus factum fuerit, vt Iacobus ad sacrum hoc commeditandum, atque deliberandum bellum, eò loci conuenerit. Cum igitur tranquillitate simul & amoenitate oppidi adductus ille, ibi dies aliquot, arcem tenens, consumpsisset; eò quoque venit Blascus Alago, qui biennio in Regno Valentino egerat, ab eò die, quo illud ingressus fuit vna cum Abuzethio Rege à Zaene pulso, vt diximus: quo tempore Blascus, toto ferè lustrato Regno, diligenter eius situm, arces, munita loca, & incolarum vires inspexit; & quæ ad eiusmodi oppugnationem facerent curiosè didicit; necnon amicos ex Sarracenis plures sibi parauit, quibus postea in commodum, & rem Regis est usus. Itaque Rege vna cum Blasco & Nunio, ac Follalcherio Promagistro Hospitalario: in præcellam arcis turrim ascenditibus; vt amoenissimo, atque pulcherrimo inde loci prospectu fruere: Follalcherius proceram, atque speciosam Regij corporis habitudinem, staturamque (quattuor enim cubitorum & dimidij fuisse compertum est) contemplatus, cum tanta oris venustate, atque maiestate coniunctam; simulque admiratus iuuenem annos vix natum XXVI. cum multis alijs, tum Balearica victoria, & triumpho decoratum; diuino actus impulsu, ipsum sic est allocutus. Enimvero Rex, quo magis te, tuaque ab incunte ætate, cœpta, & præclaras res gestas contemplor, easque felicissimo successu semper conclusas fuisse considero, ac neque sine diuino id nutu fieri posse animaduerto; dignum te profectò existimo, qui maiora tandem, multoque præclariora semper facta moliaris. Ac quoniam transmarinum bellum, tam arduum, tam difficile, atque

que periculosum, tam bellè, feliciterque, terra marique susceptum perfecisti; iam nunc Valentinum, quod & intimum ac domesticum est; & quamplurimis causis, tibi, tuisque vtile & honorificum, multo ardentius, vt suscipias, vehemèter exopto. Nempe, vt hoc ipsum, quod à maioribus tuis Regibus toties frustra ceptum bellum fuit, tu, qui potentia, & nouis Imperij accessionibus vniuersos superas, haud dubiè confecturus, persequaris. Quandoquidem Blasco ductore, qui nuper tenues Valentini vires & facultates explorauit, nihil non tentandum, immò diuino fauente numine, in hoc vnum bellum maxime tibi esse incumbendum existimo. Quibus Follalcherij dictis assentiens Blascus, vera omnino prædicasse illū affirmauit; atq. ad oppugnationem Regni commodissime exordiendam; Burriana oppidum in extremis Ilergaonum campis, ad meridiem vltra fluuiū Idubedam, propeque mare situm, multis nominibus aptissimum designauit. Hæc vtriusque dicta, cum Regi grata fuissent, atque ad sacrum huiusmodi bellum suscipiendum diuinitus agi sibi ipse videretur, omnibus neruis eidem intendendum statuit. Tametsi de causis iustis, atque honestis ad inferendum illud; prius differi, ad idque alios quoque proceres conuocari curauit. Quorum vtròque agitatis rationibus, in summa decretum fuit; Iuste Zaeno tyranno ac Regni occupatori bellum inferri; propterea quod Iacobum multis modis offenderit. Ac primū, quod Abuzethium verum Regem, indicta causa, Regno expulerit; ex eo quod ille ab excursionibus, & vastatione agrorum in Christianos, sibi temperasset, atque cum captiuis mitius agere cœpisset. Deinde quod Iacobo Balearico bello implicito; idem excursionibus multas fecisset Dertosam vsque, & Ampostā arcem Christianorum munitissimam; vastatisque agris, atq. cum ingenti præda regrediens; Vldiconā insigne Hospitalariū oppidum aggressus fuerit; tametsi ab oppidanis validissime repulsus. Adde quod Iacobo de his apud ipsum per legatos modestissime conquirente, neq. detrectate pacem, modo quinta partem Portoriorum Valentini, & Murcia, sibi quottannis pendi solitam, quæ superiore anno soluta non fuerat, numeraret; legatos, & oblatas pacis cōditiones spreuerit, ac de portorijs mediam par-

tem se in posterum singulis annis detracturum responderit: ijs auditis, omnium quidem suffragijs damnatus ille fuit; & de comouendo in eum bello terra mariq; deliberatum. Quare Montione conuocatis omnibus, tam Cataloniz, quam Aragoniz primoribus, atque Ciuitatum legatis, Valentinum bellum, pro vtriusque Regni commoditatibus, & incolumitate suscipiendum, ingentemque ac pernecessarium ad illud faciendum esse sumptum ostendit. Cui postquam assensu fuere omnes, Catalanis imperatum fuit Bouaticum, ab eisdemque libentissimè promissum, & quam breuissimè Regi adnumeratum. Similiter Aragonensibus imperata pecunia fuit, ijs maximè, qui remoti erant à confinijs Valentini Regni; quòd finitimi viritim bello interessent. Iamque Rex, & concribendis copijs, & com meatui, rei que frumentarię parandis, atque vniuerso bellico operi diligentius instabat: propterea quòd opportunissimam tunc occasionem suam putabat, seditiones & discordias, quę Sarracenos in Hispania Reges, non in mutua modo perniciem, sed etiam in Zaenem irritabant: verũ quę inter Abuzethium & Zaenem, summa Regni capita, intercesserant, longè commodiores fuere: quòd hæc Regnum in partes diuiderent, vsuque appareat, diuisa fieri debiliora coniunctis. De quibus omnibus antea consultus Gregorius IX. Pont. Max. Iacobum ad hoc ineundum bellum vehemèter incitauit: ad eumque sacrosanctum insigne crucis mittens, Pontificio quoque diplomate, cœlestis Ecclesię thesauro aperto omnibus cruciferis, sacro eiusmodi bello militantibus, criminum expiationem, & remissionem concessit. Quę Montione, dum conuentus agebantur, edita, per concionatores exponebantur: Vnde Rex diuinis muneribus sibi & exercitui concessis, proceres omnes, ac reliquam multitudinem, sanctissimo crucis signo insigniri fecit. Itaque dimisso conuentu, Rex Alcanitiũ reuersus, frequèter cum Blasco de inferèdo bello colloquebatur; ab eoque de locis Regni munitioribus curiosè, quę, quantaque illa essent inquirebat, & quanquam Burrianę oppugnatione alijs Blascus præferebat; tamen Iacobus à Morella, oppido Valentinorum munitissimo ac citeriore, bellum auspiciadum senserat. Ac putans fore commodum, si Blascus cum suis expeditionem

ditionem contra Sarracenos, maximè verò Morellanos susciperet, quod ab vtroque fuerat agitatum, decreuit tandem celeri pacto ne transigere. Vt enim magis Blascũ ad bellum in Sarracenos inflamaret, libenter se ei permissurum dixit, quęcumque ille oppida, & Castella, ab illis eriperet. Sicque dimisso Blasco Morellam, quę non longè ab Alcanicio sita est, atque ad eam capiendam iam tum ab eo tentę insidię fuerant, Rex inde profectus est Turolium; vt in oppidulum Exeam vltèrius situm, quod interluit Turia fluius, atque Albarrazino est propinquũ, concederet: vt venatione aprorum, quorum ibi magna est multitudo, animum à bellicis laboribus, curaque laxaret. Quem Petrus Assagra Albarrazini dominus hospitio excepit magnificentissimo, atque felici venatione recreauit. Cui dum Rex intendit, allatus est ei nuntius, cohorte impeditum Turolensium, qui in finibus Regni præsidio erant, oppidum Ares Valentinorum munitissimum intrasse, eoque potitam fuisse, atque ad retinendum illud præsidium petere. Quo nuntio mirè oblectatus Rex fuit. Est enim Ares oppidum in eminentissimo totius Regni monte, ab ortu, meridieque prærupto, situm tanquam specula ad remotissima, quęque Regni loca oculis collustranda, indeque cum præsidiarijs, non modò sarracenorũ eruptiones cohibendas, sed in eos quoque à nostris faciendas. Itaque Rex eò misit, qui militibus bono esse animo, atque oppidum viriliter defendere iuberent: ipsumque in eorum subsidium iam iam venturũ diceret. Vnde Turolenses, se sequi iussit, cum magna equitũ atque peditum manu, quos Ferdinãdus Diazus & Rodericus Ortizius duxere in Alfambram oppidum, quod etiam fluuiio Alfambra; qui paulo infra, prope Turolium influit in Turiam, alluitur. Inde enim Rex vnã cum illis erat iter ingressurus: ad quos sub vespertinum crepusculum venit, ibidemque pernoctauit. Verũ de secũda vigilia exurgens, citato cursũ, portũ Montisacuti sub aurorã tenuit, atque Poueanũ præteruectus agrum, Villaroia ordinis Hospitalium oppidum peruenit. Vbi Fullalcherij opera, cibo potuque reffectus, atque paululum somno recreatus, summo mane iter fuit persecutus: dumque summa montiũ tenet; ecce sagittarius eques deuijs ad eum itineribus præproperus veniebat, à Blasco missus, vt

Regi renunciaret captam fuisse Morellam à suis, atq. in potestate redactam. Quo nuntio, quantum voluptatis hilari fronte præ se tulit, tantum mœstitiæ animo sensit; proptereaquòd ex pacto & conuentione, Blasco Morella cederet; doleretque in ipso Valentini belli exordio, tam insignis oppidi expugnatione, non sibi, sed Blasco obtigisse. Vnde meditati ipsi, atque eò peruenienti, vbi erat flexus ad iter Morellam, Diazus occurrit, inquit, ne, quæso, Rex oppidum Ares nunc petas, posthabita Morella, quòd hac sit arcium totius Regni munitissima, & ad consternandos Sarracenorum animos aptissima: sed hanc pete ocyùs antequam eandem Blasco ingrediatur. Noui enim ingenium hominis superbi ac tenacis; putoque fore tibi difficilius Morellam ab illius, quam è Sarracenorù manibus extorquere. Tunc Rex, vocatis Assagra, & Atorella proceribus, ab eisque, vtrum itinerum consultius esset ingredi, querens; Diazus denuò sententiã suã constantissimè defendit; adiiciens in celeritate positum esse felicem rei exitum, ideoque Turolensibus præcipiendum, vt depositis sarcinis, atque impedimentis signa sequerentur. Quo facto, citatis equis, fluuio Calderano traiecto; tandem per auia, perque nimis aspera & deserta loca iter faciens, ad flumen quod alluit radices montis, in quo sita est Morella, peruenit, in eumque festinanter conscendit, & in vertice castra posuit; qui postea vocatus est tumulus Regis, oppido adeò propinquus, vt ingressu egressuque oppidani facile inde prohiberi possent. Vnde militibus in eum ascendentibus locum præcepit Rex, vt in statione essent; ac neminem, iniussu suo, oppidum ingredi, aut egredi sinerent: hunc locum ideo tam pertinaciter retinuit, à Morella nusquam oculos deiciens; ne qui tenebant arcem mitterent, qui aduentum ipsius Blasco nuntiarent; sic vt ingruente nocte passus fuerit grauissima, ob multam niuem, & intolerabiles frigoris morsus: accessit etiã fames & vigilia, quibus acerbè vexatus exercitus fuit, proptereaquòd ob loci asperitatẽ, iumenta comætu & cibarijs onusta montem superare nequiverint: comperitque fuit, Regem ad tertium propè diem, ex quo apud Villarroiam cœnauit, integram famem sustinuisse; quæ in causa esse non potuit, ut locus ab ipso desereretur. Verum sequenti die, So-

le illu-

le illucescente, Blasco cum nonnullis equitibus eò peruenit; atque ignorato Regis præsidio, Morellam intrare volens, à Ferdinando Perezio Pina, qui præsidij dux erat, comprehensus est, & ad Regem delatus: quem ille benignè excipiens, rogauit, ut oppidum vna cum arce sibi tradere vellet; promittens, se id beneficium compensaturum; at verò Blasco meditari secum, quasi que reuere cepit. Sed Rege rursum, & proceribus instantibus, iamiamque manum in eum conijcientibus, tandem de iure suo decedens ille, oppidum cum arce Regi liberalissimè tradidit; ipseque primus, fide præstita, Morellam cum Rege eodie est ingressus, suisque ab arce detractis præsidiarijs militibus, Regios eorum loco posuit: oppidanique cum paganis, se illico Regi submisere. Iamque ex proceribus vno ibi relicto præfecto cum vna cohorte, Rex inde abiens, duodecimo ferè milliaro confecto, Ares oppidum peruenit; inde, vt fama est, dictum, quod præ celsitate loci, ab antiquis Arabibus constituta fuerint Dijs ad litandum. Quod Rex ingressus, colaudatis Turolensibus peditibus, qui oppugnarant illud, collocato ibi præsidio, gratias immortalis Christo ac Virgini ad sacrosanctam aram egit; atque munitissima duo illa parta oppida sine effusione sanguinis, tanquam Valentiniæ expeditionis primitias illis obtulit. deinde Turolim vna cum Abuzethio reuertitur, qui & expugnationi Morellæ interfuerat; & denuò se Iacobo subdidit; præstita fide, astitutum se ei perpetuò in eo bello, atque omni ope, ac re adiuturum. Demum abiens Turolio, confinia Castellæ loca lustrauit. Sed cum Calataubij esset, ac memoria retineret commemorandum illud, ac liberalissimum Blasco factum, quo ille Morellam, eiusque arcem magnifica sibi donatione concesserat; compensatione cum eo usus est iusta, atque honorifica. Nam Sastagum insigne Aragoniæ oppidum, cum arce, suburbijs, & agro latissimo, Ibero amni propinquus; quæ Petrus Rex Aragoni Blasco parèti oppigneratus fuerat, Blasco perpetuò donauit, vna & oppidum cum arce Mariz, non longè ab illo sitis. A quo tempore Alagonia gens, quæ ætate Iacobi, & Regio stemate, & antiquitate, & rerum magnitudine floruit, accessione Sastagensis Comitatus, facta est Aragonensium; post Regiam, nulli secunda.

Fuit

Fuit igitur eiusmodi donatio, seu cōpensatio Blasco facta de consilio procerum, admodum grata Aragonensibus, qui præsentes erant, atque cum maximo consensu & applausu omnium à Rege sancita. Cæterum Morella, & Ares oppidis captis, atque præsijs utrobique positis: ut tuta essent omnia à tergo relicta loca, tutiorque fieret in ulteriora progressus, ac designata à Blasco Burriana obsideretur, conuentus denuò Turolij Rex agere curauit: quod est oppidum celebre, ut diximus, atque Valentinis propinquum, ut inde commodius susciperetur in illos expeditio. Quò conuenire promagistri equitum Hispaniæ, Templarius, & Hospitalis; quin & Vclensis, & Calatrauensis: harum quippe duarum equestrium societatum, tametsi apud Castellam essent primariæ sedes, multiq. conuentus & præfecturæ, nonnullæ tamen eiusmodi in Aragonia erant à Regibus etiam ad quoduis contra Sarracenos bellum inferendum institutæ: quarum Calatrauensis summa Alcanitij sita erat; Vclensis verò, Montalbano in oppido clarissimo, de quo mox dicemus, non longè ab Alcanitio versus ortum posito. Fuere quoque præstò Regi Bernardus Montecutus Pontifex Cæsaraugustanus, Petrus Fernandus Assagra, & Simenius Tarazona, qui postea donatus fuit ditioe, seu Baronia Arenosia nuncupata; cum plerisque alijs Aragoniæ proceribus, qui tunc, cum inita expeditio fuit, centum & viginti leuis armaturæ equitum, milleque peditum numerum non excederant: præter eos, quos Turolensis Ciuitas conscripserat, ac etiam Calataiubienses & Darocenses populi miserant; quibuscum exercitus ad numerum ducetorum quinquaginta equitum pertinerat; peditum verò mille octingentorum. His ergo copijs bellum Rex fuit exorsus, fretus quidem Catalanorum, atque Prouincialium, quas breui adfuturas sperabat: ac quoniam animus ei erat, quacumque pergeret, ut terrorem hostibus incuteret, de populari agros, & cuncta vastare; com meatu vndiq., rem vero frumentariâ, ex Poucano & Visiedano Turolensem campis comportare imperauit. Itaq. Turolio egressus, ac per Populetanum, & Sarrionensem agrum prætereunte exercitu, ouium atque bouum, quibus idem ager abundat, quantum fuit opus inde iussum est alportari: ac protinus Iaquesiam extremum Aragoniæ pagum,

gum, aridumque præteruecti torrentem, quo Aragonia terminatur, Valentinum ingressi Regnum, excursions in pagos quosdam fecerunt, mitius tamen, quoniã maiori ex parte colebatur à Christianis. Fuit itaq. descensus per Lacouanum montem, vnde prospiciebatur Exerica, nobile Aedetanorum oppidum, situ & natura munitum. erat enim illud septum muro & arce cum primis inexpugnabili, in altissima, saxeaque rupe, quæ à posteriore parte prærupta est posita, atq. præterlabente fluuio obuallata: ab anteriore verò, oppido decliui, perpetuoque muro, & gente bellicosa protecto; qualis esse, exerceri que in armis sæpe solet, quæ finitimos populos, quòd alterius dominationis sint, tanquam hostes habet. Miserat etiam Zaen Rex quattuor expeditorum militum cohortes Exericam, ut in præsidio essent; veritus ne simili casu, quo Morella, ob non missum opportunè subsidium, caperetur. Ex quibus octingenti pedites protinus obuia venere, ut nostros à cultorum agrorum, hortorumque vastatione impedirent. At verò Rex suos ab illa prohibuit, atque distulit in diem crastinum, ne lassif ex itinere manus confererent. Sed in descensu montis ad tertium lapidem, oppidulum est, dictum Viuarium, à quo non longè versus Exericam, interluente fluuio Pallantia, qui decurrit in Saguntinos, castra locari iussit. Sequenti verò die cœpta est depopulatio agrorum, qui oppidum inter & Viuarium erant: triginta equitibus, cum peditibus mille à tergo depopulantium in subsidium positis. Quæ depopulatio agris illata est, nullo impediante cominus, metu equitum, à quibus Sarraceni strenuè hastis configebantur; tametsi eminens, & ab occulto loco nostri à sagittarijs fauciarentur. Sed ijs sequenti die sic est occursum: equitibus scilicet partim in monte, partim in agris consistentibus, quorum scuta pedites primi agminis deferentes, ijsque protecti, se à Sarracenorum sagittis defendebant, ac primum sustinentes impetum, incedebant: deinde sequebantur sagittarij: postremi depopulatores, qui agros liberè atq. impunè vastabant. Dum hæc in Exericanos fiunt, promagistri equitum Templarius, & Hospitalarius, ac magni Calatrauensis, & Vclensis magistri, cum magna manu equitum, & septingentis peditibus prætergressi Exericam, & Segorbiu, secundo flumine, ad intima Re-

ma Regni penetrarunt, quoad in prospectū Sagunti venerunt, ad duodecimum vsque milliare ab vrbe Valentia, vbi a lœua flexus est ad iter in vallem Segoniam, olim Saguntinam, quam multis pagis, fructuosissimisque agris cultam, ingressi sunt, ac depopulati. Quibus vltra ingredientibus occurrerunt innumerabiles Sarraçeni, ex oppidanis & rusticis & collectitijs Saguntinorū, vt à progressu nostros prohiberent. Quod vbi intellexit Rex, eò profectus est cum reliquo exercitu, vt subsidio suis esset; atque in itinere obuium habuit oppidulum Turristorresium, cuius agrū quoque vastari iussit, ab expugnatione oppiduli abstinens, ne Burrianensem differret, in quam suos integros perducere decreuerat. Itaque progressus per eam Vallem cum vniuerso exercitu, in planitiē deductus est, vbi se latissimus prospectuque amœnissimus, atque fructuosissimus aperiebat campus: hinc montibus ab Almenara oppido mari proximo, vsq. ad promontoriū Oropesæ, ad semicirculi speciem eum ambientibus; atque fontes, aurasque salubres, in vniuersam planitiem deriuantibus; illinc mari, quasi basi, girū obtendente, piscatu atque mercimonio multos in ea populos locupletante: cum & cultura, & fertilitate agri reliquo Regni agro minime sit inferior; & præter frumenti, vini, & olei ingentem vim, qua præstat, proferre etiam solita fuerit, orizam, & saccharum; & ad bombicum alendum, & perficiendum opus, mire nunc quoque consentanea existat. In qua item planitie cum conuallibus, quæ à propinquis & ambientibus montibus in eam decurrūt pagi, & oppida fere triginta sita sunt, quorum Burriana cæteris excellebat; & fertiliore agro, & mari propinquiore, quod etiā magno suo ambitu, atque murorum altitudine propugnaculum, & quasi acropolis erat totius eius regionis; abundabatque omni comœtatu rerum, & milite bellicoso: eoque magis, quod Zaen, vt primū aduentum Iacobi rescivit, lætissimos mille quingentos milites ad eam custodiendam miserat; plures indies missurus, adeò ab eius defensione vniuersam Regni salutem pèdere sibi persuaserat. Itaque Iacobus eò cum exercitu veniēs, castra circum oppidum metatus est, & per exploratores certior factus, de magnitudine & munitione oppidi, deque oppidanorū, & eorum, qui præsidio venerant,

nerant, numero & virtute; tum de munitionibus ac etiam debilibus mœniorum locis, & in quam partem tormenta, & machinæ melius intenderentur. At verò intus, neque oppidani quidem otio tempus conterebant, nec deerant illis sui exploratores, per quos consilia, & machinationes Regis intelligerent. Iamque vt suarum virium, atque munitionum specimen aliquod ederent, ac bello initium darent, singulis propè diebus, antequam nostri vallo castra munerēt, quadringenti ex eis, in eam partem castrorum, quæ videbatur desertior, irruere solebant, ac aliquid nostris semper inferre damni. Quo animaduerso Rex, tribus locis in castris stationes centum quinquaginta militum locauit, qui signum alijs darēt, vt saltim audito tubæ clangore, omnes in armis essent; atque altera pars militum in statione maneret, altera in locū pugnæ curreret, huncque in modum alijs præstò, atque subsidio essent. Eorum autem prælorū semen erat, ouium, atque armentorū à nostris, inter castra & oppidum pastio: in hæc quippe suis illi repentinis excursionibus irruerant, prædasque sæpe faciebant: sæpe quoque nostri easdem è manibus eripiebant; atque in hunc modum confertis manibus, cruentas vicissim victorias reportabant. Quo tempore multorū procerum, atque ciuitatū, & oppidorū Cataloniæ, & Aragoniæ turme equitum, atque plurimorū cohortes peditum, ad Regem cõfluxere, peruenitque peditatus ad viginti quinque hominum millia; equitatus verò ad duomillia. Quamobrem oppugnatio deinceps acrior multo fuit. Nam mari aduectis è Balearibus, & è Catalonia machinis, tormentisq. magnis, cū ijs, quæ in naualibus dissoluta interim iacuerāt, cõstrui ea denuò, ac oppugnationi aptari curauit: atque inter alia, turrim mobilem ex eadē materia erexit, quamplurimum tabularum contextu, & cõtignatione compositam; ac non labore modò, sed magno quoque studio, atque contetione militum hinc inde compullam, mœnibus admoit. Quæ tametsi humiliora oppidi mœnia adæquabat, facileque pila, sagittas, lapides aliaque misilia in oppidanos emittebat; ac nec ex mœnibus prohibebatur, quo minus multis detrimētis propugnatores afficeret: tamen tanta erat, tum oppidanorum, tum maxime selectorum militum, quos Zaen miserat, virtus, alacrisq. ad re-

ad resistendum multitudo, ut & machinatores reprimere, & machinas deicere, & studia, ardentisque vincendi conatus Regios infringere & retardare possent: expertusque Rex fuit, Valentinus Sarracenos longè esse Balearicis robore, & pugnandi arte praestantiores. Tanta enim in turrim mobilem sagittarum, lapidumque multitudo iacta est; ut neque Rex pedes & scutatus sua praesentia cunctos vrgens; neque alij similiter circum turrim scutis sagittas excipientes, atque magna animi contentione eos, qui in turri erant adhortantes, efficere potuerint, quin turris, aliisque machinaz defererentur, atque nocte pugna dirimeretur: Rege quidem quatuor in pugna confixo sagittis, leuiter tamen, diuino opitulante numine, lauciato. Itaque relictis, qui noctu machinas custodirent, statim sub auroram nauata est opera reducendae turri; adeò quippe diruta illa, perfossaque erat lapidum iectibus, ut nostris impedimento magis, quam hostibus damno esse posset. Quare conuocato concilio, alia via oppugnationem tentandam esse statuerunt: nempe aggeribus, valloque perducto; eoque paulatim muro admoto; simulque machinis & tormentis maioribus, eam partem muri, quò tendebat vallum, quatentibus: quandoquidem cuniculos agere non dabatur, terra vda, vlginosaque admodum, atque ob maris viciniam, passim scaturiente aquis. Interea nostris omnem circum regionem diripientibus, com meatu, & re frumentaria castra abundabant: sed tot indies confluentibus ex omnibus Christianorum Regnis militibus, augete exercitu, fames esse coepit; atque inopia potissimum rei frumentaria tanta fuit, ut de relinquenda obsidione ageretur. Quae res cum sollicitum, nimisque anxium Regem haberet; atque se defenderet ab eorum importunitate, qui discessionem insitebant, nuntiatum est in castris, duas in conspectum Burrianæ biremes appulisse: alteram Bernardi Senaugeniani, alteram Petri Martelli, quae tum è Balearibus, tum è Tarracacenensi & Dertusano agro exercitui, frumenti, & com meatu magnam copiam afferebant. Propter quas, tanquam è caelo missas, Rex gratias Deo agens, recipi omnia iussit, proque eis victoriarum sexaginta millia annumerari. Quanquam cum inopia rei frumentaria tanta erat ararij consumptio consecuta, ut neque haberet

haberet unde soluere; neque qui pro eo sponderet, praeter Templarium, & Hospitalem promagistros: sed neque ij sponderent, nisi ex oppidis, quae Rex caperet, aliqua suis cessura societatibus sperassent. Demum biremes ibi consistere, atque in anchoris esse praecipit, ut tuta esset ora maritima, ac com meatu & cibaria tute vndique conueherentur: quod tam feliciter cessit, ut protinus ex vniuersis hinc inde locis abundè cibaria, aliaque necessaria, nauigiolis in castra perferrentur. Caeterum ad expugnandum oppidum maiores indies oriebantur difficultates. Ex quo Ferdinandus Regis patruus, alijque, qui consilio Regio praerant, Blasus Alago, Simon Vrra, Liciana, Massa, & Tarassona, inter se consentientes, fortassis id melius esse putantes, Regem à prosequenda oppidi expugnatione omnino conati sunt auertere. Cum enim audiissent, Regem ob labefactatas machinas, & laceratam turrim, valde mortuum euasisse; conquestumque fuisse, se maioribus suis fortuna longè inferiorem; ut quibus in bello pro voto omnia cessissent; sibi verò in vnus quidem oppiduli oppugnatione, praeter opinionem; capta occasione, Regem conuenerunt; quem Ferdinandus omnium nomine, sic est allocutus: Quae tibi Rex in bello secundae res semper acciderunt, faciunt, ut his nunc perinde ut nimis aduersis frangaris; ac vel ex eo quod omnibus ante te Imperatoribus felicitior non sis, te putes infelicem: quod longè aliter, ac te decet, facis, qui res bellicas non vtraque fortuna, sed felici tantum committendas existimas: indeque est, ut indignissimè conqueraris maiores tuos rerum gestarum gloria fuisse te clariores; cum & habuerint illorum quidem tempora incommoda sua; sicut & haec nostra suis non caruerunt. Nam & victorias illi suas, non cum ancipiti modo fortuna, & cruore mistas; sed procrastinatas diutius, sed retardatas, atque cum summo labore & patientia partas reportarunt: & quas, ne reportassent quidem, nisi tempori seruire; ac rerum vicissitudini obtemperare didicissent. Eiusmodi ergo, quae cordati, atque sapientis sunt Imperatoris munia; tu quoque in praesenti obire debes, qui bellum arduum magis, difficiliusque ac periculosius quam rebamur, suscepisti, quod te; tuosque indies in tantas angustias deducit, ut timere inde possis longè grauiora mala, nisi

L

& tem-

& temporum, & rerum conditioni cedas; ac, quod sapientis est, mutato consilio, rebus, ut sese offerunt, ita te accommodes. Nam & tempori cedere, & necessitati parere, sapientis semper est habitum. Expertus quippe es hostium sese validissimè defendentium, præsertim recentium, vires & fortitudinem: inuenisti oppidū adeo munitū, ut illius contra te erecta munimenta & propugnacula, non modò nulla deieceris; verū tuas inde machinas ab illis malè multatas retraxeris. ex quo tantū hostibus creuit animi; quantum nostris profectò indies imminutum est; qui nobis summissio murmure obijciunt, ac exprobrant, te nequaquā salutaribus consilijs inniti, qui tot huius belli laboribus fractus, ac depressus, nihil tamē de intermittēdo illo, aut in aliud tēpus differendo agas; quiq. cum in intimū hostilis soli te cōieceris, nihil iā præterquā ab hostibus circūferi expectas. Accedit rei nummarie difficultas, ac neq. duratura diutiùs, quæ nūc est, frumētarię copia. Urget præterea tēporis, acrisq. incōmoditas, tum solo ob sitū terrę calidissimo, tum cœlo caniculę ortu feruētissimo, magisq. ad inducēdos morbos, quā ad pugnandū parato. Ut illud interim omittā, subsidia ciuitatū quotidie vehementer inelamantia, messes adultas iam esse, ac maturefcere, ideo ad demetendas illas exercitū dimitti oportere. Quibus de causis, ac vel eo maximè, à bello cessandū est, quòd Zaë prius quàm armis, pecunia te oppugnare cupit; scimusq. ingētē promississe, modò ab expugnatione discedas; neq. nō illā à tam barbaro & iniquo hoste capere cōsulimus, ut ea ipsa pecunia, cum maiores cōtra ipsū copias cōparare, tum opportuno expectato anni tēpore, cum florētissimo exercitu, nō Burrianā modò; sed ipsam urbē Valentia gloriōsissimè expugnare possis. Quibus auditis, Rex se ei respōsurum dixit: atque vterat excelsio ac diuino animo, multa fuit secum meditatus; considerans inprimis de honore suo detrahi sibi multū, si à Burrianensi prima obsidione, quæ vnum, aut alterum vix mensem durauerat, discederet; cum à Balearica, remotiore, ardua- que magis, in qua annum & eo plus insumperat, neque à suis retrahi potuerit; neque iustioribus de causis à cōcepto deterreri. Quin & perturpe esse, discessu suo animum hostibus addere; multoque turpius, in hostilem pecuniam triumphum commutare; ac vel

ac vel eò magis, quòd vereretur Ferdinandi (cuius animus semper fuerat à Rege auersus) & aliorum consilium venale quoq. esse, ut quos Zaenes, ut probabile erat, pecunia corrupisset. Quamobrè dimissis illis voluit de re tam graui alios consulere; inprimis Tarraconēsem, Cæsaraugustanum, & alios Antistites, necnon promagistros ordinum, & reliquos proceres, belliq. duces, & præfectos: qui de deferenda obsidione sententiam dicere rogati; fideliter tamen expositis, quæcūq. Ferdinandus contra obsidionem obiecerat; omnes, vnum, atq. idem sentientes, responderunt. Non solum regij honoris, sed Ducum, atq. vniuersi exercitus, qui iustus ac potens erat, interesse in obsidione persistere. Quæ sententia ad Ferdinandum, & socios delata, responsioni fuit: statimq. Guillelmus Aquitanus Regis auunculus, qui fuerat huius sententię autor, perducēdi valli, & machinarū ad portā vsq. oppidi, earumq. defendēdi curā suscepit, eo animo, ut locū nequaquā desereret, quoad repleta fossa esset, earū ope cohortiū, quas secū ex Aquitania duxerat; simulq. Rex suis fidissimis cohortis prætorie militibus, quos Arabica voce Almuguaros vocabant, de quib. postea dicē. præcepit, ut auxilio Guillelmo essent; si fortè ex oppidō in eū irruerent. Igitur Guillelmi, & Simonis Perezij Tarazonę, suorumq. opera ad motis machinis, quæ tantū modò pro scuto erant ijs, qui oppidē fossę, & perterebrādo muro operā dabant; res feliciter præcedere, atq. oppidanos vrere visū est, & ad demoliēdas machinas incitare. Nā noctu, de secunda vigilia, cum primū ab oppugnatione discessere machinatores, ducenti oppidani, accēsis facibus, magnoq. impetu foras eruperūt, ad succēdēdas machinas; dispositis sagittarijs per murū, qui impediētes cōfigerent. Id tanto cū silentio fieri nō potuit, quin Guillelmus, qui intentis oculis, & auribus hostiū motus obseruabat, præsenferit: atq. cum suis cunctos, magna cum strage in oppidum compulerit. Quo in conflictu, Guillelmus sagitta infixā cruri grauius vulneratus fuit; quod intelligens Rex, Guillelmum in tabernaculum Regium deduci iussit: ibique ipse, sua manu, infixum ferrum è vulnere euulsit, ac vulnus lauit, & obligauit. Exquò prōtinus Guillelmus sanitatem sibi restitutam sentiens; à Rege contineri non potuit, quin noctu in statione maneret. Interim oppidani sin-

gulis noctibus ad succendendas machinas excursiones faciebant. Quibus nostri ad eorum infringendos, & deludendos conatus occurrebant. Sed cum Rex interim noctu lustrans castra, minimè eos, quibus commissa custodia erat, pro machinis excubias agere inuenisset; cum equitibus nouem excubare decreuit; ac Regium scutū, tanquam decurio, qui præest excubantibus, machinis appendi iussit. Id ab explorantibus scientes oppidani, protinus centum septuaginta cum facibus prodire foras: quorū quadrāginta tantum scutati, ac faces præferētes: reliqui sagittarij erant: iam iamq; ignem admoturi, à duobus Regis scutiferis, ex facibus cogniti fuere; statimq; conclamantibus illis ad arma, Rex cū suis ab statione exiens, animosè oppidanos aggreditur; tantoq; fuit ijs terrori, vt illico terga verterint: quos Rex insequens adeo conferto agmine tenebris processit, vt portam oppidi hasta cōfixerit; sed cum hostium sagittis obrueretur, repulsus est, & coactus scuto post terga reiecto, atq; seruato ordine pedem referre. Neque prætereundum est profecto facinus præclarissimū, quod in eo bello Rex edidit, ab omnibusq; historicis de eo refertur, quo planè non alios modò Reges, sed seipsum superauit; & tanquam tertius in orbe Decius in medios sese hostes pro salute exercitus iniecit. Aiunt enim ipsum tanto fuisse more, atque pudore affectū, si forte contingeret obsidionem, re infecta, ac sine honesta aliqua causa, soluere; vt modo honori suo, atq; exercitus incolumitati cōsuleret, desperata expugnatione oppidi, multa in seipsum fuerit acerba patratu. Nā in prælijs, quādoq; discincto thorace, apertoq; pectore, ac diloricata tunica, nullū vitæ periculū recusans, sagittarū ictibus occurrere visus est: ne ab obsidione; nisi cum manifesto vitæ discrimine decedere cogeretur; eiusq; exercitus abiens, honesta de causa, Regis salutem oppugnationi prætulisse videri posset: sed diuina ope seruatū fuit corpus, cuius animus ad pericula promptus, abundè cōfixus est, seque pro salute exercitus morti deuouere non dubitauit. Cæterū nocte, dieq; machinatorum opera instāte, admotisq; muro, summa vi, tormentis omnibus, turris quædā diruta est, & equata solo, perquā nostris ad irrūpēdū patuit aditus: qui subinde multo facti animosiores, sequenti die oppleta fossa, nō solum per dirutam turrim, sed admotis scalis, per

varias

varias muri partes irruperunt. Verū oppidanorū virtus tāta fuit, vt quamuis tot conflictati incommodis, tamen nostros ab ingressu prohibuerint. Qui tamen paulò post videntes regiam potētiam augeri indies, suamq; imminui, atque posteriores oppugnationes longè esse acriores prioribus; cum Rege de deditioe egerunt: si cuncti cum vxoribus, & domestica suppellectili, in propinquum oppidum Nulesium incolumes abire possent. Quod vt placuit vniuerso concilio Procerum, sic à Rege quoq; fuit oppidanis, tanquam strenuis patriæ defensoribus liberalissimè concessum. Itaq; pridie eius diei, qui sancto Iacobo Apostolo dicatus est, & eius memoria more maiorum colitur; duobus exactis in obsidione mēsis, celebri Burrianensi oppido potitus Rex fuit, illudq; cedentibus oppidanis cū magno triumpho ingressus. Vbi insequens dies cum maxima Regis, atq; exercitus alacritate, Deo, Virginiq; matri, & Apostolo solēnis & celeberrimus extitit; ac etiam de more Regis, aliquibus liberalissimus, & magnificentissimus. Nam Templarijs, qui sese in expugnatione alijs prætulerant, certam partem oppidi, ac prædiorum perpetuò donauit. Demum intermisso bello, vt necesse erat, multis Regem vrgentibus, atq; aliò auocantibus Regnorū negotijs, Blasium Alagonem, & Simonem Vream in præsidio oppidi ad duos duntaxat menses reliquit, quoad Petrus Cornelius, quem oppido præfecerat, eò veniret. Nec verò oppidum deserere Rex voluit; quamuis id ei persuadere rationibus Antistes Ilerdensis, & Guillelmus Ceruera conarētur, Petro Sanctio, atq; Bernardo Rabassa, qui erat illi à secretis, præsentibus. Quibus Rex pluribus verbis satisfaciens, conclusit tandem, se eodem animo, & viribus, quibus Burrianam ceperat, seruaturum; neq. tantam loci opportunitatē ad cōmotum persequendum bellum neglecturum. Itaq; profectus inde venit Dertosam; post verò Turonium; vbi collaudatis Turonēsis, pro strenua nauata sibi opera in ea expeditione; dum cōponendis Regni rebus animū intendit; nuntius è Burriana ab S. Vrea venit, significans, se Peninsulanos ad deditioem inuitasse; quod si facere recusarent, cruentum bellum illis indixisse, atque vt exemplo alijs essent, non modò agrorum depopulationem, sed truculentam oppidanorum interneccionem tandem minatum fuisse; eos autē illico

L 3

respon-

respondisse, si Rex adesset imperata facturos. Quæ Rex intelligens, protinus equitibus septem, atque domesticis suis comitatus, illud idem profecutus est iter, quo antea ductus fuerat Aræ & Morellæ; ijsque ad læuam relictis, Peninsulam ad quartum diem obeunte lole peruenit; atque exploratis oppidanorum animis, ne tamen obscurus, clandestinusve esset ipsius in oppidum ingressus, tentoria in campo figere, ibique sub dio pernoctare voluit; cibarijs, & stragulis Regi statim ab oppidanis officiosè delatis. Sequenti verò die magistratus oppidi, præfectus arcis, & vniuersa plebs prodeutes, oblatis Regi clauibus, ipsum cum pompa exceperunt, & tanquam domino arcem & oppidum tradiderunt. Quod Rex ingressus, atque cum admiratione cõtemplatus incredibilem loci situm, qualem libro quarto descripsimus; ac præficiens ei vnum ex suis equitibus cū paruo præsidio, cum locus natura munitus esset, Burrianam redijt. Dum hæc Peninsulæ geruntur, Templarius & Hospitalis promagistri cum suis Dertola profecti, Chiuertum, & Cerueram, eiusdem Ilergaonum regionis oppida Sarracenorum munitissima oppugnare cœperunt: quod hæc ipsis, eorumque societatibus dono data fuerint à Iacobi maioribus, nimirum Alfonso & Petro Regibus. Verum oppidani oppugnationem timentes, se cum oppidis, & eorum arcibus dediderunt; fuereque oppida perpetuo ijs societatibus addicta. Interim Rex Burrianam abiens, Polpetanos in itinere cepit, ibique ipsum consecutus est exercitus veniens Turolio, ex alijsque propinquis oppidis; cui Simonem Vreæ ducem præfecit, ijsque vniuersa regionis oppida aut vi, aut honestis conditionibus in potestatem reduxit: qualia fuerunt Castulo Burrianensis, quod oppidum nunc est totius planitiei celeberrimum, tum Burriolum, Cryptæ Vinromanenses, Cuevas vocant, & Vilafamesiū, quæ omnia tunc erant munitissima, atque bellicosa gente & armis protecta; præsertim oppidū, & arx Alcalana; cuius præfectura Rex Vreæ, posterorūque suos perpetuo donauit. Quo tempore Rex Burrianā venit, duobus nondum elapsis mensibus, ex quo promiserat Alagoni, & Vreæ venturum. P. Corneliū vt oppido præficeretur, mansitque ibi quoad veniret ille; atque interim cum Petro Assagra animi recreandi gratia, venationi aprorū & aucupio

gruum

gruum intentus; dum earum ordinem in volando perturbat, vilus est ab eisdem admoneri, hostili in terra Regem, non gruum, sed hostium ordines perturbare debere. Idcirco regionem, quam interluit Sucro fluuius, vltra Valentiam urbem perlustrare Rex cupiens; atque omnem circa ipsam agrum vastare, exercitū congregari iussit, qui in vicinos hinc inde pagos erat distriburus: è quo delectis ceterum triginta equitibus nobilibus; ac centum quinquaginta Almugauaris, necnon septingentis peditibus expeditissimis, de secunda vigilia iter ingreditur: dumque Almenaram oppidum (Alcimene nonnulli vocant) præteruehitur, ab oppidanis deprehensum est, hostilem gentem in fines suos excurrere, continuoque in eminentissima arce oppidi, accensis facibus, signum datum est propinquis Sargentinis, aduentare hostes, ac per dispositas speculas Pulolium, Valentiamque, ad ipsos vsque Sucronenses; fama de illorum aduentu intra horam peruenit. Quod sentiens Iacobus, eò animosius sarcinas & impedimenta, citatis iumentis, præire iussit. Iamque Paterna, & Maniza oppidulis à tergo relictis, tantum fuit itineris emensus, vt non ante dies illuxerit, quam Turiā, quā transitur vado, exercitum traduxerit. Inde verò per Spiochensem turrim, Regi versus Alcocerium oppidum, quod Sucrone alluitur, agmen dirigenti, Mazala uesum in itinere occurrit, amœnum quidem, soli que fertilitate præstans quoque oppidum: quod postea à Rege fuit dono datum, cuiusdam pernobilis Milano dicto, à quo per illustres Milanorū familia propagata fuit. Situm quidem illud secus citeriorem ripam fluuij oculorum, sic nūcupati, propterea quod passim terra dehiscat multis quasi effectis oculis, è quibus erumpentes aque, & in vnū decurrentes alueum, flumen illud efficiant, quod paulò infra Algeziram influit in Sucronem. Cum igitur totū illud Algezire territorium, quod citra Sucronem est, Rex inde esset contemplatus, ac non modo planū apertumque, sed præpingue natura esse, ac fertilissimum animaduertisset: quodque cultura & irrigatione adiutum, multarum segetum, ac cuiusuis generis fructuum fieret feracissimum: magnum subinde opus in gratiam Algeziranorum nauare decreuit, illudque paulò post, Algezira capta, suis ipse sumptibus perfecit. Nempe permagnam à Sucrone fossam; siue alueum aque,

L 4

secus

secundum Antellam oppidum, ad tertium supra Algezira lapide perducens, Regiam inde dictam; quae in modum semicirculi, totum ferè ab ea parte Algeziranum territorium complectitur, quoad in flumen ea reuertitur: per quam scilicet decurrens aqua, tametsi aliquibus in locis permeandi difficultate impediretur; tamen architectorum ingenio, & difficultati occursum fuit; & aquae peruia fossa facta. Nam cum decurrenti sese opponeret fluuius profundus, siue torrens satis amplus Algemezini oppidi, insignis nunc quidem, ac praediuitis; atque repugnantibus tum fossae profunditate, tum pondere aquae, minimè posset ea per tubos, seu aqueductus supra torrentem transmitti; consiliū fuit, excauata terra subtus, per concameratū quidem opus, vno ferè stadio aquam deducere, tam firma, ac solida machinatione, vt à quadringentis propè annis hucusque, neque obruta vnquam fossa fuerit, neque decurrentis supra impetu torrentis deleta: quin potius suo quasi felici decursu, perpetuum triginta propè pagorum simul & oppidorum agrum irrigandum suscipit: partim per se, partim per inciles fossas à maiore ad vniuscuiusque oppidi agrum deriuatas. Ex quo ceterius Algezira territorium, ab eo maximè tēpore cultum, ac irriguum, eo fertilitatis peruenit, vt cum alijs omnifariam fructibus; tum oriza, & moris ad sericum bombicum opus perficiendum, reliqua regni superet. Estque admirabile in tam exiguo, angustoque terrae spatio, hac vna, archithecto Rege, perducta aquae fossa, tot pagos, atque oppida constructa fuisse; ac non modò ali ipsa; sed eorūdem fructuum exportato mercimonio, totius Regni ditissima, ac locupletissima fieri. Cum igitur Rex, oculorum flumen traiecisset, ducenti pedites, qui sarcinas & impedimenta comitabantur, in primum, quod sese offerebat Alcoceriū oppidum irruerunt, eoque direpto, ac praeda facta, ad sarcinas redierunt, quo tempore equites reuertebantur vastata vniuersa regione, quam interluit Sucro, ab Algezira ad vsque Cullarim. Rex verò ad laeuam deflectens, continuit se apud oppidulum Albalatum citra Sucronem, donec in praedas dispersos milites colligeret: captisque in itinere sexaginta Sarracenis, domum regredi statuit. Quare traiecto Turia, nullo impediēte, per pontem Quarti oppiduli, tertio ab vrbe

vrbe milliaro, nullo impediēte, passu tardiore quam venerat iter profectus est, ac Burrianā reuertens, vbi diem natalem domini solenniter celebravit: quo die Petrus Cornelius cum centenaria turma equitum intrauit Burrianam; huiusque, ac vniuersae finitimae regionis praefectura ei delata est; ac praeter equitatum, sexcenti quoque pedites additi; quibus saepe ex improviso irruerat in vicina oppida, Ondam, Nulesium, Vxonitanam Vallem, & Almenaram; omnesque agros depopulabatur, atque ingentem ex ijs praedam reportabat. Per id tēporis, quidam Petri Cornelij scutifer Michael Perezus, cui consuetudo erat cum quibusdam Sarracenis oppidi Almazora tribus à Burriana distantis milliaribus; eos ad oppidi deditiōem est adhortatus, antequam ab exercitu obfessi, & vi capti ad vnum iugularentur: qua periculi denuntiatione territi, promissere, se in certā noctem, militibus numero paucis à praefecto missis tutum ingressum in oppidum duros, qua parte muri lucerna praeluceret, atque in tres tures eos diuisuros. Quibus annuens Perezus, atque ipsis multa promittens, Praefecto rem ordine exposuit: qui protinus, annuente Rege, collocata propè oppidum in insidijs magna manu militum, numero quingentorum; alios delectos viginti, beneque armatos misit, qui noctu, duce Perezio, sese in oppidum immitterent; vbi conspecto signo, ad motisque scalis, ascendentibus occurrerunt noti oppidani, eosque in quandam domum clam deduxerunt, vbi sigillatim à multis comprehensi, ligatis manibus, in carcerem retrudebantur: quorum tres vltimi proditiōe intellecta, sese eripientes, in turrim quandam receperunt, atque summotis scalis, se in insidias praecipitatos esse magna cum vociferatione clamantes, protinus auditi sunt ab ijs, qui substiterant: qui subito in oppidum conuolarunt, atque scalis in ea parte positis, in quam ingressi confugerant, ascensio muro, deturbatisque defensoribus, in vicos sese demiserunt; à quibus oppidum antequam illucesceret, captum atque direptum fuit; occisis, aut fuga elapsis oppidanis omnibus, sicque in potestatem redactū. Quod Rex ingrediens, collocatis ibi praesidijs, atque illud praefecturae Cornelij adiciens, Burrianā reuertitur; inde circumiens vniuersos eius subactae regionis populos, duos alios in ea lustratione mē-

les egit, vt præfectum, & præfidiarios magis sua præfentia confirmaret. Tandem in Aragoniam profectus est, mense Maio, assumptis Alagone, & Vrrea tecum; atque vt in æstiuis paululum sese recrearet, Montalbanum nobile, & antiquum oppidum, vbi summa sancti Iacobi præfectura in Aragoniæ Regno sita est, venit, sic dictum, ex eo quòd ad radices albi montis positum est in medio latifimæ conuallis, quæ Martino fluuio abluta, altissimis, & albertibus circumdatur montibus. Albescit enim eorum superficies, cum tamen in imis eorum visceribus obscurissimus, valdeque niger lapis ille Gagates gignatur, ex quo vix credibile est, quàm pulchra, quamque varia rerum simulachra oppidani artifices conficiat: quæ in omnes mundi partes, vt quæstiuolas merces transmittunt. Tametsi fuere nonnulli, qui ab densitate & multitudine vinetorum, oppidum, non Montalbanum, sed Monte muineum nuncupandum dixerunt: ij siquidem montes, tametsi alijs frugibus parum apti, valdeque accliuës sint, vsque adeò tamen viniferi existunt, atque pampinis circumquaque frondent: vt Serta quædam Bacchi esse videatur. Vt ut est, certè vinum ibi, & multum, & suauissimum, atque ita natura temperatum est, vt licet largè sumptum, potorem quidem exhilaret, non tamen temulentum reddat. In caussa sunt specus mirè profundæ, ex rupe molli sub vnaquaque domo excauate, ac manu facte, adeoque frigescentes, ob calorem frigus ad intima retrudente, vt per foramina, quæ ab specubus in vicis, admittendæ lucis caussa patent, frigidissimam etiam, in ipso Solis feruore, auram emittant. Nam perinde, vt qui subito in profluentem delabuntur, horrescere solent: sic improviso frigidi illius aeris afflatu, prætereuntes cohorrent. Idque tribus potissimum æstiuissimis anni mensibus: nam reliquo tempore, repetunt specus, atque languescit vinum. Quo fit, vt potulenta in hisce vernarijs cellis, sauiete æstu, reposita, ipsius niuis frigus exequare videatur, eaque epota ebrietatè, cõpressis in vetriculo vaporibus, impediatur; neque potoris mès quidè immoderato potu obtupefiat. Ex quo humana ibi corpora estate, cum ambiète aere refrigerata: tū intus positionibus attèperata, ostèdunt, nulla vsquæ æstiuæ esse, quàm Montalbani suauiora, atque commodiora. Ibi ergo memoria Rex tenens commemorada Blasci Alagonis facta: ac quod proprio ipsius Mar-

te par-

te partam ille Morellam petenti sibi liberalissimè tradidisset; quòdque proximo Barrianiensi bello, & re, & armis maximè iuuisset; eidem Morellam, dum viueret, tenendam & possidendam concessit; re seruata sibi tantum suprema arcis turri Geloquia dicta; quam aut Ferdinandus Diazus, aut Simon Tarassona cum præsidio teneret. Quod munus Blasus libenter accipiens, magnique habens, singularibus verbis Regi pro eo gratias & habuit, & egit immortales; & vna cum Artalo filio, qui iam exilio solutus erat, fide data de restitutione Morellæ, vita functo Blasco, publicè promisit: Rexque denuò Saltagi antea factam donationem eidem, posterisque suis in perpetuum confirmauit. Cæterum cum per otium de varijs bello gestis rebus vna cum Vrrea esset inter eos sermo, de Balearibus est actum. Quarum quidem expugnationem, tametsi admodum cruenta; ex eo tamen sibi placuisse demonstrauit Rex, quod earum accessione, suis Regnis, non minima consecuta fuerit utilitas, & amplificatio. Vtpotè cum ex illis non solum comæatus, atque omnium generis mercimonij in Catalonia, & Valentiam copiosa futura esset inuectio; verum toti etiam oræ ad coercendas Afrorum excursions, multum quoque præsidij, ac defensionis accessurum: quòdque, nisi occupatis illis, prorsus fuisset inanis Valentini belli susceptio: eoque maior de illarum custodia sibi impenderet cura & studium. Ad quod Vrrea, qui Balearico bello præfuerat; quantique Insulae momenti essent compertum haberet; interrupto sermone Regio, Enimvero, inquit, mi Rex, quanquam tu consilio non eges, vel abundas potius, consilium tamen à me, si minus prudentiæ, at fidelitatis plenum accipies. Existimo equidem, te dignum esse, qui Insulas amittas: quandoquidem quantum in oppugnandis illis studij ac diligentia impendisti; tantumdem in conseruandis, defendendisque, ignauia, atque inertia ostendis, vt qui illarum habenas, & præsidium, omnium ignauissimo homini (quod eius pace dicam) Petro Portugalensi commiseris. Quæ audiens Rex Vrream filere iussit, visurum enim breui, quantam errati sui emendationem subierit: cum iam à Petro in continentem translato, quibusdam traditis oppidis compensatas Baleares recepisset. Quibus peractis, Montalbano Casaraugustam, indeque Oscam abierunt.

B E R.

BERNARDINI GOME
SII MIEDIS, ARCHIDIACONI

SAGVNTINI, DE VITA ET REBUS

gestis IACOBI primi Regis Aragonum,
cognomento expugnatoris.

LIBER. X.



T verò Iacobus, per id tempus, tanta celebritate famæ gentibus, vel exteris notus erat; eiusq. admiranda facta per vniuersum orbem, communi sermonè, adeoque magna cum amplitudine & gloria diffeminabantur, vt ea remotissimos quosque Principes commouerint, ad amicitias cum ipso, affinitate, quæ maxima est illarum conciliatrix, coniungendas. Nam cum neque in Castella, neque in Gallia, & Anglia, vllæ essent maturæ viro Regiæ virgines, quibus cum Aragonij Reges matrimonio iungi solebant; & si quæ essent, fama tamen de Leonore repudio, illarum mentem à Iacobo prorsus alienasset; occasione planè fuere hæc Duci Austriæ prædiuiti, vt ab vltimis Germaniæ finibus Legatos ad Iacobum mitteret, qui amplissima oblata dote, ad contrahendum cum filia matrimonium, inuitarent. De qua re Iacobus secum, diu multumque cogitans, ac neq. cum maiestate Regiæ pecuniam adæquare, Regale esse ducēs; Legatos donis auctos, sed re infecta, dimisit. Quod grauitè tulere omnes Regis domestici, & qui cum eo tum erant Regnorum proceres; existimantes illum, non tam indignitate nuptiarum, vel quòd impar esset ei virgo proposita, quàm quòd aut occultà aliqua promissione teneretur alteri, aut quòd reuera nullo se amplius matrimonio astringi vellet, recusasse oblatum. Quamobrè cœlibem in Rege vitâ, quæ non virtuti, sed vitio potius ei danda esset, vehementer exprobrarunt: proterea quod ea contra communem vtilitatem Regni tenderet: neq. honestum esset tantorum successionem Regnorum in vnico Alfonso filio periclitari: quinimmo oportere ipsum plures ex se Iacobos
procrea-

procreare: cum magnorum exemplo Regum, nihil pulchrius esse possit, quàm multos Regno dignos progignere. Illud Priami Troianorum Regis obijciētēs, quem dilaudat historia, propterea quod quinquaginta filios, ex ijsq. decem & septem, iusta vxore natos habuerit: quòd totidem Regiarum, propeq. diuinarum virtutum quasi propagines orbi retulisset. Ex quò videri per absurdum, ipsum annos iam natum viginti septem, atque septennio ab eo tempore exacto, quo Leonoram repudiarat, nullis interim auctum fuisse filijs, qui Alfonso, si quid humanitùs accideret, succederent. Quos Rex audiens benignè, ac volens mentis suæ facere participes, Nolite, inquit, me præposteris vestris exemplis ab honesto proposito deducere: quandoquidem neque huius recusatione matrimonij, à matrimonio auocor: neque quòd toto fuerim cœlebs septennio, æquum est, vt potius mihi vitio, quàm virtuti detis: cum apertè videatis me Regias, atq. Imperatorias virtutes omnes, neq. melius vnquã, quàm cœlibem exercuisse: neque maiōres de hostibus triumphos, quàm cum ab vxoris curâ fui vacuus, egisse. Tametsi, vt exemplis quoque vobiscum agam: non desunt etiam, maximorum Imperatorum, magnificè scilicet Alexandri, atque Cæsaris exempla, quæ me in hanc mentem impellant: quorum alter, quantum à matrimonio abstinuit, tantum in suscepto bello totus incubuit, atq. magnâ partem orbis sibi subiecit: alter verò post repudiatam vxorem, virtute bellandi vsque adeò præstitit: vt Romani Imperij metam, quàm sibi constituit, vno prope cursu tenuerit. Namque vxoris, ac filiorum, amor, eosque augendi, & cohonestandi cura, tametsi vehementer parentem augunt; & ad præclarissima obeunda facta generose impellunt: sæpe tamen ipsum aut nimia erga eos indulgentia eneruat: aut ipsi quoque filij abutentes illa, heroicis progenitorum conatus retardare, sæpe etiam turpi labè inficere solent. Damus enim Priamum Regem optimum, ac præcellentem quinquaginta natos habuisse (quod opus illi commune cum natura fuit) verum ex tot, tantisq. vnus, cui pater fuerat quàm ceteris indulgentior, nōne fuit is, cuius luxuria, atq. libidine, non modò Regni opes euersæ funditùs, vrbsque totius Asiæ florentissima, direpta & succensa fuere: sed omnes quoque fratres, parentes etiam cum ipso simul perierunt? Præstare enim Regem orbem

orbū esse, quā profusos ad perdendū Regnum liberos procreare, nemo sane mentis est, qui inficietur. Cæterū oblatum ab Austriaco matrimonium filiæ cum magna dote, me iustè recusasse puto. Iustum enim sit, nuptias non Regias, Regijs anteferre; atque additamento pecuniæ, cum Regia dignitate pares illas facere, vos ipsi iudicate. Nam si puer cum essem, neque maiore, quā qua à patre fui fortuna locupletatus Regias nuptias coniūxi: quæ causa est, cur nunc, ætate, potentia, atque Regnis auctus, inferiores appetam? Equidem non faciam: sed ab ijs tã ero semper alienus, quā ad Regias, vbi sese obtulerint, coniungendas paratus. Hæc cum dixisset Rex, approbata fuit ab omnibus eius instituti ratio, ac constans sententia, mireq. ipsius animi magnitudo commendata. Quomāgis fuit creditum euenisse diuinitus, quod in eo ipso temporis articulo, industria, & auctoritate Gregorij IX. Pont. Max. matrimonium Iolantis filiæ Andreæ Regis Vngariæ, ac Petri Altissiodorensis Imperatoris Græci neptis, cum Iacobo fuerit contractum; de quæ eo paucis ante diebus secretò per literas inter Pontificem & Iacobum tractatum; ad id quæ nuntiatum est, venisse Barcinonem Bartholomeum Episcopum Quinqueclesiensem, & Beraldum præstantissimum Vngariæ comitem: qui dotis nomine obtulerunt librarum argenti duodecem millia; cum alijs decem millibus ex materna dote Iolanti accessuris; ac etiam cum alijs ducentis auri libris à Duce Austriæ debitis: nec non certam Nemuracensis Comitatus partem in Flandria; cum nonnullis oppidis, tam in Gallia, quā in Vngaria, & in Burgundia, etiam eidem à matre relictis; præter alias lōgè maiores cum corporis, tum animi dotes, quibus Iolans vniuersas sui tēporis fœminas superabat, vt tanto dignam viro fœminam decebat. Itaque spōsionibus, ac repromissionibus nuptiarum Barcinone factis octauo Kalendas Martij, anno Christianæ salutis M. cc. xxxiiij. Iacobi autem xxvij. antequam tamen Iolans ad Regem deduceretur, necesse fuit controuersias cum Leonora ortas de suppeditandis vitæ alimentis componere: id quæ fuit, præsentē Ferdinando Castellæ Rege Leonoræ fratre. Quare conuenere ambo vnà cum ipsa apud cœnobium Hortæ ordinis Cisterciensis, in confinij Aragoniæ & Castellæ situm: itaque conuenit inter ipsos, vt Fariza oppido

oppido cum arce, & agro Leonora viua, nulloq. iuncta viro potiretur: ac neq. propterea quidquam eorū, quæ antea assignata fuerunt, nomine dotis, & alimentorum, ab ea detraheretur. Præterea, vt Alfonso filius cum ea esset, neque contra eius mentem, ante tempus cuiquam matrimonio cōiungeretur: nec nō vt Leonoræ vt Reginæ honos haberetur. Ijs ergo pactis, & conditionibus acceptis, Fariza fuit tradita Leonoræ: quæ cum in gratiam Regis omnem redeundi spem à se abiecisset, cœnobium Premostratensis ordinis in oppido Almasano, in confinij Aragoniæ exadificauit, ibique perpetuam, atque piam cum religione vitam coluit. Concluso Leonoræ diuortio, antequam matrimonio Iolantis daretur locus, Teresa Vidauria Egidij filia, fœmina, de qua antea diximus, pernobilis, venustissimaque, ac prudentissima, cum qua Regi aliquot annos contubernij necessitudo intercesserat, duabus ex ea susceptis filijs: Iolanti se se opponere, suoque matrimonio, alterius impedire decreuit: propterea quod concia sibi, diceret, se non contubernij modò; sed stabilis ac certi matrimonij iure esse Regi coniunctam: ideoque nuptialibus facibus illud cohonestare velle. Quod planè iam non occultè, sed palam moliebatur, ac neque blãdis Regis verbis à cœpto discedere; neque minis rursus, ac indignatione deterreri poterat, quominus procaciter in Regem debaccharetur, constanterque ipsum perfidiæ argueret: quoad venit Iolans, præsentique huius matrimonio, Teresiæ futurum fuit explosum; ac nihilominus ipsa in maximum Iolantis odium incurrit. Quare huius timens infidias, sese ac filiolos, ab eius præsentia & consuetudine subduxit: interim tamen ad summum Ponti. Romam, aut abiit, aut misit illa, qui ipsius nomine, Regem in ius vocarent, totumq. matrimonij iudiciū ad Pontificem deferrent: promittens, se quidem non ante causæ cessuram, quā mors alterutrum causa cedere coegisset. Itaq. contestata lite, diutius res in controuersia fuit, quoad Teresa grauissimo pro se dato testimonio, nō modò rem, sed Regē ipsum in summū atque extremū penè discrimen, vt dicemus, adduxit. Itaq. Rex ab oppido Hortæ, Leonoram dimittens, in Aquitaniam Mompellerium profectus est, ibiq. diem festum omnium sanctorum celebrans, illius potentatus controuersijs compositis, protinus in Catalonia

loniam reuersus, Ilerdam venit. Sed paulò antequam hæc fierent, cum Balearicum bellum, Rege in Valentinum incumbente, nondum cōfectum fuisset: minimeq. Pytiusæ Insulæ, Ebusus scilicet, cum adiacente frumentaria ad Balearicum Regnum spectantes debellatæ fuissent, Guillermus Mongrius pernobilis Catalanus, Sacrista & Canonicus Gerundensis Ecclesiæ, iam tum electus Archiepiscopus Tarraconensis, vnà cum Bernardo Santaugeniano Balearium maioris antea præfecto, à Rege petierunt, vt eas Insulas debellandi prouincia Guillermo demandaretur, atq. expugnata, Archiepiscopo, Ecclesiæq. Tarraconensi, beneficiario iure, contribuerentur: vt ea occasione, frequentiores in eis essent, diuini verbi cōciones, atq. facilior Mahometanæ sectæ extirpatio. Quibus Rex annuit liberrimè, atque Ebusi oppidum cum eius arce, se Ecclesiæ donaturum respondit: modò intra decem menses susciperetur in eas expeditio; alioqui eandem suscepturum se, Valentino bello cōfecto. Fuere autem hæ Insulæ dictæ Pytiusæ, Græcis, quòd multis sponte natis pinetis abundet: quarum maior Ebusus notissima est toti Mediterraneæ oræ maris, non modò ob eius portum tutissimum, amplissimumq. oppido, & arce naturà, & manu munitis: verum ob salis commercium, quo vniuersa prope Italiæ ora alitur: & cuius tanta est copia, quanta in nostris de Sale Commētarijs, descriptione illius salinarum lib. 2. esse ostenditur. Et quæ licet frumento parum, pecude tamen & ferina, alijsq. rebus multum exuberat: quin & Iberici maris quasi clauicula est, & tanquã specula è Regione Dianij, siue Ferrariæ promontorij constituta, ad recensendas, & quasi hospitio excipiendas naues, quæ ab Occidentali Hispania ortum versus, aut contrà nauigant. Altera quidem minor, vulgò Frumentaria, paruo maris tractu ab Ebuso distat, inculta & deserta est, quamuis frumenti sit feracissima, indeque dicta Frumentaria, estque feris animalibus præsertim onagris referta: hi enim gregatim incedunt, atq. proceriores sunt, longeque speciosiores cicuribus: ac licet nullis noxijs: tamè adeò agrestes, & feri, vt nullo vnquam tempore auescere ad homines, neque arte mansue fieri soleant. Quinimmo vsque adeò atrabiliosior laborat, vt extrahi ab Insula, atq. à suo grege separari tam egrè ferant, vt enecari se potius fame, quam quicquam comedere, aduri, quam

quam loco dimoueri, aut oneris quicquam sibi imponi patiantur. Quæ tandem Insula, cum portibus, & fontibus, & nemoribus constat, & natura apta sit ad quasuis maiores fruges ferendas, tamen ob continuos piratarum vndique in eam appulsus, & excursions, inculta omnino, atque deserta manet. Estque mirabile de vtraque Insula, quòd earum terra serpentes fuget, neque venenatum quippiam admittat: sed illud multò mirabilius, quòd non longè ab eis versus ostia Sucronis, parua sit Insula Colubraria dicta, ex eo quòd innumerabiles colubros pariat, infestos nauigantibus, Græci vocant Ophiusam: in quam, attestantibus Plinio, & experientia, illata terra Ebuso colubros aut fuget, aut enecet: si verò ij asportentur Ebusum, protinus odore terræ commoriantur. In has igitur fuit Electo Tarraconensi concessa expeditio, cū classe, vt putatur, Regia, eaque omni re munita; & cui præfuit Nūnius Sanctius, qui quauis annis iam grauis, atq. ætate affecta esset, tamen, vt belli omnium sui temporis experientissimus, electo deesse noluit. Hi, vt primùm Ebusi maiorem portum tenuerunt, ac fama emanauit, Iacobum Regem, qui Baleares expugnauerat, venire Ebusum, tam consternato subinde animo fuere oppidani, vt vno tantum milite Ilerdensi murum ascendente, atque inde victoriam conclamante, subito oppidum cum arce Electo dederint; indeque vniuersa Insula capta fuerit. Itaque adificato ibi templo, & Christi religione inducta; oppidum, paucis dimissis in Insula Sarracenis, à Christianis habitari cœpit, illudq. ac tota Insula cum adiacenti, patrimonio Regis fuit addicta: tametsi decumę Salis, alijsque redditus, Archiepiscopo cesserint: ideoque religionis, & animarum cura eidem perpetuò commissa fuit. Postremo exercitus in Frumentariam transiens, eam nullo negotio cepit, & tanquam desertam, & incultam dereliquit. Dum hæc apud Ebusum gerebantur, Iacobus in subigendo Valentino Regno nullum tempus intermittebat. Nam superiore in Sucrones excursionem, tentatis Zaenis, & Sarracenorum animis, neq. cum exercitu ad sese defendendum prodeuntibus, similem in eos excursionem iterum facere decreuit. Vnde conuocatis Fernando patruo, Blasco Alagone, P. Cornelio, Simone Vrtea, atque promagistris ordinum, se denuo

in Valentinus excurrere velle indicavit. Cumque assentirentur omnes, iam non in pagos, sed in precipuas Sucronensis agri arces, Algeziram, & Cullarim, bellum commouere decreuerunt; ad easque expugnandas, dux machinæ, siue tormēta maxima, mari ad ostia Sucronis deferri iussa fuere. Itaque Rex iusto cum exercitu, præmisso commeatu, Burriana proficiscens, secundum mare, non longè ab vrbe præteruectus, Cullarim bidui itinere confecto peruenit, cuius oppugnationi machinas, & alia adducta instrumēta præparauit. Sed cum lapidibus & magnis saxis opus esset librandis machinis, ac neque ager ille cum sabulosus sit, vllos sponte ferat lapides, neque ad excindendos è rupibus instrumēta suppeterent, ostēsum est à machinatoribus impediri oppugnationem, atque aliò esse intendendum: præualuitque nonnullorū obstinatio sententia, in dissuadenda tam leuē ob causam, expugnatione. Profectus Rex inde ad Cilliam oppidum venit, sexto ab vrbe milliario, ac Valentini paludi proximum. Cumque iratus quodammodo ibi Rex esset, propterea quòd cum tanto exercitu nihil strenuum, neque dignum confecisset, id quod versabat animo, secretò cum promagistro Templario, P. Cornelio, & Simone Vrea communicauit; se scilicet, oppugnare velle vnam ex turribus, quæ sunt in agro vrbis, vno, aut altero ab illa milliario; & munitæ vsque adeò, vt vrbis oculi dicerentur, eiq. quasi pro muro essent, ad hostium primos quosque impetus sustinendos. Quarum præcipua, longèque munitior tunc erat Moncadæ: ideoque hanc esse aggrediendam censuerunt. Id, vt primùm à Ferdinando rescitum est, quòd is Regem à quouis strenuo facinore semper solitus esset dehortari; nequam illam oppugnandam affirmavit: propterea quòd commeatus, & alia necessaria deficerent, ad alendum exercitum, essetque longè munitior Turris, quàm vt breui posset expugnari, neque prudentis esset hostem adeò propinquum irritare. Tum & Templarius, non Moncadam, sed Torrestorresium oppidum tutius oppugnari posse clamabat. Vnde controuersia orta, alijs varia sententibus; tandem deliberatione Regis conclusum est, vt Mōcada peterent. Erat autem eius Turris permagna, tum omni armamento, & commeatu, tum vrbanò milite, vt putabatur, munita:

atque

atque frequenti pago circumdata, qui sua etiam macerie cingebatur; quem ingressi nostri, paganos omnes in turrim, quæ capaeissima erat, sese recipi compulerunt. Sed ea post quintum diem, quo coepit oppugnari, Regi tradita fuit, amplissima ibi facta præda: sarracēnorum enim plus mille in ea fuere, prædaque omnis ad besantiūm centum millia, quæ summam efficiunt aurēorum viginti millium, peruenisse fertur. At verò turris à Rege funditus eueri iussa fuit: ne deinde ipsam muniret Zaenes; inde ad turrim proximam Museriorū, quæ similiter equali ab vrbe spatio distat, & pago eoque circumscripta est, abiit exercitus: vbi pagani tecti: cespitibus ex palma & spartho contextis, terraque oppletis, à machinarum iectibus sese defendebant. Quibus illico à nostris fuit occursum; nempe balistarum spiculis stupa & pice oblitis. Quæ vt primùm igne succensa in cespites missa fuere, ardere illi, atque conuersò in paganos; & in turrim fumo, protinus aperta illa, atque ingruentibus nostris, capta fuit, cū sexaginta sarracēnis, quos omnes Rex dono dedit Guiliamo Saggardiz, vni ex ducibus exercitus, quibus Guilielmum Aguilonem lororis filium redimeret; Valentini tunc captiuum fuisse statim redemptus ille magno Sarracēnorum malo, vt paulo post dicemus. Quæ parta victoria, atque præda facta, Rex, integrò cum exercitu Turolij viam est ingressus; veniensque Aluentolam, quæ primum est Aragoniz oppidum, tanta illum nummatis rebus præstitit inopia, vt centum Sarracēnos, quibus redimendis mercatores impense instabant, bisantiōrū xvij. millibus redimi permiserit. Inde Cæsar Augustam, post verò Oscā progressus est. Eodē tempore Sanctius Rex Nauarræ mortuus est Tudelæ, statimque Regni proceres immemores adoptionis, & successionis Iacobi, fideique publicæ, ac iurisiurandi ab eisdem præstitis; Tibaldum Campaniæ comitem, sororis Sanctij filium, Regem elegerunt. Quæ interim placuit Iacobo tantis præpedito negotijs bellicis, dissimulare, atque in posterum differret cuius obtinendi gratia Regni, magna inter Iacobum, eiusque successores Aragoniz Reges cum Nauarris, & Castellanis consecuta sunt bella & contentiones. Hoc ipso anno, qui fuit Christianæ salutis M. ccxxxiiij. Gregorius Pont. IX. Pontificatus sui anno octauo Dominicum Hispanum totius ordinis, siue sacræ societatis Do-

minicanz, ac Prædicatorum dictz, Patriarcham & conditorem clarum miraculis in numerū sanctorum retulit; à Iacobo & Hispanis in magna semper veneratione habitum, nec multò post idem Gregorius Franciscum Italum, totius quoque ordinis ac sodalitat^s Franciscanorum, vt vocant minoritarum, miraculis quoque insignem, similiter sanctorum numero ascripsit. Quæ dux per sanctz sodalitates, Iacobi tempore, vt lib. 2. retulimus, obortz; atque ab earū exordio, tâta cum veneratione ac pietate ab illo suis in Regnis admittz, suoque fauore, & ope aucte, & amplificatz, clarè ostendunt, Iacobum de vtraque valde bene meritum fuisse: eoque magis apud eorum auctores, quos ille suo quoque tempore inter diuos adnumerari vidit, in magna etiam gratia extitisse: habuisseque eosdem inter cœlites, propositos sui patronos, atque tutelares: vt quibus exorantibus felicissimum rerum suarum exitum ab omnipotenti Christo obtinuerit. Cæterum eo tempore magnæ Regi erant cum Nunnio Sanctio controuersie & dissensiones, super Comitibus Cretanz & Confluentis, ac iure etiam ad alia Cataloniz & Aquitaniz oppida, ad quæ vocabatur Sanctius, tam substitutione testamentaria Raimundi Comitis Barcinonensis, quàm donatione facta ab Alfonso Regis auo, Sanctiz Nunnij matri & eius filijs ex Sæctio Comite suscipiendis. A quo rursus Rex oppida quædam Portui Veneris, & Comitatu Ruscinonensi coniuncta, quæ Nunnius vsurpauerat, repetebat. Verùm vt erat natura benignus ac beneficus, atque tantorum Nunnij promeritorum, rerumque ab eo bello gestarum memor; voluit conuenire cum eo; & eas controuersias, & contentiones, arbitris componēdas committere: Nunnio, Lopeziū Pharensem Vizcaiz dominum; Rege verò, Guillelmum Ceruerā monachum, arbitrum statuente: illis autem dissidentibus, neque sententiam ferentibus, Vgo Monlauretanus Templariorum Hispaniz Magister, tertius accederet. Re igitur ab vtroque perspecta arbitro, non expectata tamen sententiæ pronuntiatione, placuit Regi relinquere Nunnio ditiones illas Ruscinonensi propinquas, ei que pecunia resarcire damna, quòd Nunnio eiusque vxore iam senibus, amissaque filiorum spe, decedentibus, Regno accessura omnia essent. Is autem fuit ille Nunnius, qui apud Balearium

maio-

maio-rem, cuius expugnationi præerat, urbano in agrò, optimo, amœnissimoque totius Insulæ loco, cœnobium grande, amplissimo cum templo exædificauit, illudque prædijs & magnis censibus ornauit; atque beatissimæ virgini dicatum, ordini Cirtestercensium addixit. Quod Regiam, (vulgò la Real) nuncupauit, nec immerito. Nā cum Regia stirpe Nunnus esset ortus, suisque præclarissimis, ac commemorandis factis, Regio quoque dignus esset diademate, quamcunque ipse ædem, extrueret; quid ni Regiam, siue Basilicam nuncupare poterat? Hoc tempore Iolans ab Vngaria, matrimonio cum Iacobo iungenda, Barcinonem venit: eodem Antistite quinqueclesiensi, atque nobilissimo illius Regni Comite Dionysio, & familia multa comitata. fuitque à Barcinonensibus, totoque Principatu honorificentissimè excepta, Virgo pulcherrima, annos viginti nata, & quæ sub tanta suauitate, & honestate oris, maiestatem, admittamque cum grauitate humanitatem præferebat. Vnde grata omnibus, satisque officiosa & prudens, non minus solatio Iacobo fuit, ad bene feliciterque ducendam vitam, quàm consilio, subsidioque etiam ad regendam rem publicam. De cuius aduentu factus certior Iacobus, statim Osca Barcinonem perrexit, nuptiasque cum ea dignitatis, arque lætitiæ plenas coniunxit. Nam Rex Iolantis pulchritudinem cum tanta animi magnitudine coniunctam contemplan, laborum sociam, sibi que ad regnandum consentaneam sperans, mirè dilexit, vicissimque amatus fuit. Quorum mutuam charitatem tanta consecuta est concordia, vt suo quoque exemplo populi cum tranquillitate vixerint; atque vt est fructus concordiz, Regiæ res, Regnæque ipsa indies aucta accreuerint. Per id tempus Pontius Cabrera, qui olim Comitatu Vrgelitano pulsus fuerat, conquestus est apud Regem, quod cum ipse ex pacto, Regio diplomate confirmato, Aurembaxidi Comiti sine liberis decedenti succederet, & ad comitatum vocaretur, iniquas tamè quasdam in sui fraudem donationes, tam quæ Petro ab Aurembaxide vxore contra priorem conuentionem facta fuit, quàm quæ postea à Petro in fauorem Regis consecuta est, admiserit. Quæ omnia cū Regi nota essent cū Pötio transegit, vt reseruata sibi ciuitate Vrgelitana, omniq. iure ad ciuitates Ilerde,

M 3 & Ba,

& Balaguerij ad Pontium vñdecunque pertinenti, Regi concessio, reliqua quæcunque oppida, & prædia ad comitatum spectantia, Pontio, eiusque filijs & iuccessoribus in perpetuum beneficiario iure concederentur. Indeque factum est, vt & Rex, & Pontius, per se quisque Vrgelitanus Comes nuncuparetur. Post hæc Rex, coniunctis nuptijs, occasione oblata, Sarinienam Aragoniæ oppidum antiquum venit: vbi cum esset ei in animo iniuriam, *Valentinum* *Regnum* conficere, in ipsumque totus incumberet, conuocatis Antistitibus, cum nonnullis vtriusque Regni proceribus, ac etiam belliducibus, qui eum sequebantur, consilia & mentem suam eisdem communicauit. Nempè habere se in animo, foeliciter coeptum *Valentinum* bellum persequi, quoad vniuerso Regno potiretur. Iamque occupata Burriana præcipua Regni arce, alteram ad inuadendam urbem, eiusque agros impunè depopulandos, longè commodiorem occurrere; eam esse arcem dictam à sarracenis Eneffam, siue Cepollam, quæ media ferè est inter Saguntum, & Valentiam, ab eaque sexto miliario distat: quæque mari proxima, in monte quodam, alijs circumdato, vnde prospectus est in urbem, sita. Facileque erat mari comitatum, terra verò præsidia Burriana secus oram maritimam ad eam mittere. Nam eiusmodi expugnata arce, tutò poterat ibi contineri exercitus, atque continuas excursions in Valentinis facere, eorumque cultissimos agros vastare; ac tandem urbem ita opprimere, vt Zaenè Regem, aut ad deditio- nem, aut ad pugnam, quam ille metu Abuzethiæ partis omnino detrectabat, compelleret. Quæ cum à Rege proposita placuissent omnibus, ad eaque exequenda illum singuli adhortarentur, decretum fuit, incunte vere, eò proficisci, exercitumque ad id parare. Quo peracto Turolium Rex abiit, vbi Pascha Resurrectionis Domini celebrauit, exercitumque nonnullis cohortibus suppleri fecit: ac protinus Calataiubium concessit, vbi Petrus Portugalensis, cui Baleares Insulæ dū viueret donatæ fuerant, tametsi breui eas esset dimissurus, nihilominus, denuò publicè fide data iuravit, se Iolanti Regi, & filijs, quos ex ea Rex susciperet obeunte Rege, eandem, quam Regi fidem, præstiturum. Fuitq. hæc ipsa data fides in præsentia multorum vtriusq. regni procerum, ac etiã Antistitum, vt ratum perpetuo id

tuo id haberetur. Insuper Turolium reuersus Rex, donationem Riclæ, & Magalioni oppidorum Aragoniæ, olim Abuzethio, dum viueret factam confirmauit: præstita sibi etiam, ac Iolanti, & liberis, eorumque natis, fide publica, nulla tamen de Alfonso mentione facta; quod iam tum discordiæ subortæ Regi essent cum Alfonso. Demum Abuzethius, qui multò antea Christo nomen dederat, idque secretò, ne sarraceni suæ factionis à fide deficerent; vt qui multum in eo bello Iacobo prodesse; quia dissolutè admodum viuebat; multa minimè à Mahometano ritu aliena committens; ac neque à multitudine vxorum abstinens, quæ animos Christianorum offendebant; opera Sanctij Ahonestij Antistitis Casaraugustani, ad meliorem vitæ frugem reuocatus est: atque illius industria honorificè cum honestissima Casaraugustana foemina matrimonium cōtraxit: ex qua filiã suscepit Aldam nomine, quæ postea Blasco Simoni Aragonensi viro strenuo nupsit, domino Baronis Arenosiæ dictæ: quique in oppidis Regni, quæ fuerant Abuzethij successit. Iacobus igitur multis vtriusque Regni proceribus comitantibus, alijsque, qui honorarijs stipendijs equestribus obstricti Regem sequebantur; dum vnà cum cohortibus, quas ciuitates Turolium & Daroca miserunt protectionem parat, nuncium accepit; Zaenem suspicatum Iacobi mentem, venisse cum magna manu militum in arcem veterem Eneffæ, siue Cepollæ, illamque à fundamentis fuisse demolitum, ne Christianis subsidio esse posset contra urbem. Qua causa Rex, cuius animus totus erat in illa denuò exadificanda, iussit instrumenta ad parietes ducendos, è Turolio iumentis conuehi, atque in Regnum profectus est: iamque Exericam secundò vastato eius agro præteruectus, Segorbium urbem intactam reliquit; quòd ea Abuzethij partes contra Zaenem agens, liberum dedisset Regi ingressum. Inde ad Torrestorresium venit, similiq. ibi depeculatione facta, Saguntum secundum arcem præterijt, sic abeuntibus ordinibus. Primū enim agmen ducebat Simon Vrrea vir egregiè fortis, & sapiēs dux belli, atq. Aragoniæ procerum præstatis- simus: In medio cōsistebat peditatus: nouissimū agmē Rex cū equitatu clauderat. Sed antequam in montē Eneffam peruenissent, rumor sparsus est, atque ab exploratoribus cōprobatas, Zaenē cū magno

exercitu venisse Pufolium, quod oppidulum ab Enessa vno distat milliario. Vnde equite sese ad pugnam expediente; pedite vero cum impedimentis in vicinum collem recipiente, intellectum est, non Zaenis, sed Hospitalis Promagistri, & praefectorum Alcanitij, & Castellotij esse agmen; centum videlicet equitum, atque bis mille pedum, cum alijs triginta equitibus in Burrianæ praesidio constitutis, qui intellecta deliberatione Iacobi, eo venerant. Quare arce diruta inuenta, protinus Rex eo ipso in loco aliam multo munitiorem exaedificare curauit. Itaque figura triangulari data, tanta fuit contentio & studium procerum, atque militum praesertim à ciuitatibus misforum, in erigendo opere, pro distributa cuique sua aedificij parte, vt intra duos menses arx fuerit condita, atque inexpugnabilis effecta. In quam commeatu, & cibarijs quattuor mensium illatis, fuere etiam collocata ibi armamenta omnia, atque defensionis arx praeparata, è qua prodeuntes milites continuas in Valentinos agros excursiones faciebant; tanto cum emolumento, & opima praeda militum, vt ea spe lucri contineri non possent, quin vel magno cum periculo, frequenter in sarracenos irruerent. Dum igitur opportunitas, magisque idoneum tempus ad aggrediendam urbem expectatur, Rexque in Cataloniam esset abiturus; anxie perquirebat, quisnam ex proceribus praesidio praeficeretur ad defendendam arcem; cum preclare comperit haberet, se abente, illico Zaenem magno cum exercitu ad demoliendam illam venturum. Sed in ea cura & cogitatione defixus, vnus occurrit Bernardus Guillelmus Entensa, sic dictus, ab oppido Entensa in Catalonia, quod Regis beneficio obtinebat. Erat autem is Regis auunculus, quem cum in omni re militari, tum ad custodiam arcis consilio, & fidelitate praestare multum Rex sciebat. In ipsa quippe expugnatione Burrianæ, vt ostendimus, in qua saucius ille fuit, magnum roboris atque fortitudinis specimen ediderat: cumque abesset ipse; tribus mensibus donec veniret, continuit se ibi Rex vallada, atque praefulciendae arci, omnique commeatu, & armamentis muniendae intentus: quoad Guillelmus, adductis secum centum lectissimis leuis armaturae equitibus, venit. Cui Rex magno cum equitatu obuiam exijt, ipsum praeter ceteris valde honorans, & quod tanta se propinquitate sanguinis attingeret; & cui tam arduum praefecturae nego-

negotium esset commissurus. Itaque seorsum cum eo collocutus est, ac postquam exprobrauit ei cunctationem, vt refert Regis Historia, & quod adducta secum manu illa equitum, commeatum & cibaria minime conuexisset ad eos sustentandos, propterea quod annona ibi tum cara esset; exaedificatam à se arcem, eiusque munitiorem, & armamenta ad eius defensionem demonstrauit: & quanquam in monte sicco constructam, tamen cisternam in ea quinquaginta mille cadis aquae oppletam ostendit; seque velle dixit ibi erigere propugnaculum in oculis urbis, ad defendenda omnia, quae in eam usque die Regni oppida expugnauerat: atque ad excursiones tam à suis in urbanos agros tutius faciendas, quam ad hostiles promptius reprimendas. Idque tantisper dum exercitum magnum ipse compararet ad urbem oppugnandam. Adhaec praesidia, quae ibi relicturus erat exposuit. Sed de arcis, ac praesidiorum praefecto, secreto quid haberet in animo indicauit: significans, se, cognationis causa, quae tanta sibi cum eo erat, atque eius tum probata fide, tum bellica virtute fretum, deliberasse, ipsum arci, & exercitui praeficere. Neque enim habere se quemquam alium ex proceribus, cui tutius mandare illam posset, neque honorem, qui ex praefectura reportandus esset, alteri, quam ei tribuere. Quod si perdifficilis videretur, & quae iuste tanquam periculosissima timeri posset propugnatio, quod eam cruentis admodum, atque continuis necesse esset praesidijs, atque conflictibus sustentare; eò quidem videri sibi animosius eandem subeundam ab ipso esse, propterea quod nulla quidem ex parte posset ipsa, sua quoque victoria, atque triumpho carere. Nam illa ad Christi nomen propugnandum; impiosque eius hostes debellandos suscepta; non aliud ex conflictibus, quam aut superstitibus, gloriam & aeternum nomen, aut occubentibus, caelestem ac gloriosum cum martyrio triumphum esset allatura. Quae audiens Guillelmus, vt erat pio, excelso, & generoso animo, pro ostentandae virtutis occasione sibi oblata, immensas Regi gratias egit: libentissimeque defendendae arci onus suscepit; vna cum Berengario Entensa cognato, necnon Guillelmo Aguilone, nobilissimo Catalano: quod is nuper Regia liberalitate à sarracenis redemptus, atque eorum ignauiam expertus, magno sibi foret consilio & auxilio ad optime feliciterque dimicandum. Quae Guillelmi

liberalissima responsio adeò Regi grata fuit, vt in eius amplexum irruerit, ipsumque pro tantis meritis, alterum sibi fore Regni confortem promisit. Itaque arce cum præsidarijs, & exercitu Guillermo traditis, illud prætereundum non est, quod exigua in re licet, magnam tamen Regis benignitatem, ac fidem tum maximè portè didit, vt eius historia continet. Siquidem profecturo Rege, iam motis castris, dum tabernacula & vasa colliguntur, inuenta est hirundo in tabernaculi Regij fastigio (scutellam vocant) nidum construxisse. Id autem per iocum famulis Regi annūciantibus; prohibuit ille, ne tabernaculum inde dimoueretur, neq; abijceretur nidus; Dimitte, inquit, illam; victoriæ quippe nuncia est auicula: & quia fudit vmbra nostræ, eadem quoque protegetur, quoad exclusos pullos educauerit: mansitque ibi tabernaculum vnà cum custodiente illud, donec auicula cum pullis euolauit. Ceterum reuersus Rex Burrianam, inde Dertosam, & in Salonium portum inuectus: nauiculas commeatu, & re frumentaria onustas in Balearium maiorem abire paratas inueniens, emptis mercimonijs, ad Guillerum ire iussit Enessam. Ijs expeditis, venit Oream, ac deinde Montionem, quò generales conuentus indixerat: fuereque omnium frequentissimi; proptereaquod tam egregijs, tamque vtilibus religionis, Regniq; rebus propagandis intentus Rex esse videbatur; vt nihil quod nō vtrique esset vtile proponeret. Iccirco neque Antistitum, neque procerum quispiam, non oppidi vllius, nō ciuitatis Legatus defuit, quin eò conueniret; atque omnibus, quæ à Rege petita sunt, libenter annueret. Cùm neque alia eis proponeret, quàm se, bellum in Valentinos sarracenos commotum, tantoque cum labore, sumptu, & sui periculo, pro communi bono susceptum, velle conficere: quandoquidem eousque peruentum esset, vt quicquid à Morella ad ipsas ferè vsque vrbis Valentis portas interesset, amplius scilicet dimidia Regni parte, aut vi iam cœpisset, aut depopulatus fuisset; iustumq; exercitum ad urbem reliquisset. Quamobrem necesse esse urbem vndique obsidere, atque diuino, vt sperabat, annuente numine, capere. Nam expugnata illa, non dubitabat, se facile vniuerso Regno breui potiturum, simulq; cum ipso omnes, & amœniore, & fructuosiore, quàm vsquam sit, agro fruituros. Quare omnibus

& idem

vnū & idem cum Rege sentientibus, atque re, gente, & armis, se omnino adiuturos offerentibus; deliberatum est, vt cum Aragonensibus montanis, alioqui inter se diuisis, induciæ fierent, vt in sarracenos communes hostes, suam illi bilem & arma conuerterent. Vtq; Rex æstimationem, ac iustum monetæ Iaccensis pondus, toto Aragonensi Regno, & ciuitatibus Ilerde, & Dertosa, & earum territorijs perpetuaret: vtque omnes ab ætatis anno 14. illam omnino valituram iurarent: proptereaquod tanta cum esset illius copia, reprobari non poterat, nisi cum maxima omnium, grauique iactura. Hinc factum est, atque in eisdem conuentibus perpetuo iure decretum, vt à quaq; domo, & inquilino populorum totius Regni, cuius census esset, ad centum dragmas monetæ Iaccensis, septimo quoque anno morabatinus vnus Regi penderetur. Posthæc omnes, qui ob honoraria stipendia equestria, Regi belli tempore præstò esse tenebantur, nisi amittere illa mallent, adessent. Dum hæc aguntur Montioni, Zaenes audito Iacobi discessu ab Enessa, ingentes comparauit copias, atque lustrato exercitu, à Setabi vrbe vsque Ondam, quod est insigne oppidum, nō longè à Burriana situm versus montana loca, adnumerata sunt, peditū quadraginta millia; equites verò sexcenti numero: quibus cōgregatis, Enessam adire, eiusq; recentem erectam arcem demoliri decreuit. Itaq; certo die, iūctis Valentis copijs, noctu, sic eò properauit, vt diluculo arci propinquus esse cœperit. Vnde per exploratores certior de illius aduētū factus Guillermus, conuocatis primoribus exercitus, expofitoq; imminenti periculo, visum est, præstare exire obuiam hostibus, atque in campo viriliter dimicare, quàm intra infirmos, ac recentes arcis parietes à tanta innumerabilitate hostium concludi, angustoq; loco contineri. Quare diuino Christi, eiusque matris sanctissimæ confisi numine, quo facile est à paucis permultos deuinci, sese omnes magno animo ad pugnam extra arcem incundam prepararunt. Quod facinus tanquam monstri simile, atque incredibile, parum fidei profectò, minusq; gloriæ obtinisset futuris sæculis, nisi ipsa Regis historia, atque Asclotij, aliorumq; illius temporis Scriptorum, qui prælio interfuerunt, monumenta, illud disertè scripserunt, & quàm concordissimè probassent. Itaq; sacris peractis, atq; sanctissimo Christi

corpo-

corpore singulis communicato militibus, qui, perinde ac mari solent tempestate iactati instante naufragio, se toto pectore ac mente Deo commendabant; protinus sumpto cibo acie instruxit Guillelmus. Ac cum à summo iugo montis contemplaretur tantam, tamque sparsam tota planitie hostium multitudinem; suorumque animos quodammodo perturbari, ad eos sic verba fecit. Etsi scio, viri fortissimi, humanum esse, pericula & mortem ipsam quemque pertimescere; ac neque à ratione alienum sit, paucos hostium multitudinem reformidare; hanc tamen à paucis, ordine, consilioque & viribus, sepius superatam fuisse, atque superari nunc quoque posse, permultis antiquorum, nostrorumque ostendere est exemplis. Quid enim aliud Xerxem cum millibus nongentorum millium hominum in Europam transeuntem, amissis prelio omnibus, solum ipsum scapha elapsum in Asiam remeare; nisi vnus Themistoclis Graeci Ducis cum decem tantum millibus occurrentis, consilium in propugnando conpulit? Quid Darium decies centena millia quoque ducentem, ut Alexander non amplius quam quadraginta stipatus millibus vinceret, effecit; nisi bene ordinata paucitas, quavis consula multitudo, viribus & arte longè superior? Ad nostra veniamus. Nonne vniuersam Afrorum simul, & Hispaniae Maurorum, haud superioribus inferiorem multitudinem, nostri, tum nuper Idubedensi prelio superarunt; tum & alias saepe perquam pauci vicerunt, & ad interuentionem usque deleuerunt? Consimilis, atque par est illis, non numero, sed confusione, quae vobis sese nunc offert ad dimicandum multitudo; cuius timidissimus Dux est vecors ille Zaenes tyrannus, qui nuper Regi nostro, cum admodum paucis, bis Valentinum agrum ante eius oculos depopulanti, ne cum tanto quidem exercitu exire obuiam est ausus; quin immo turres, atque oppida Moncadae, & Muferiorum, quae hinc perspicitis, amittere potius, ne confligeret, atque sibi eripi est passus. Vnde cum vilem eius, ac collectitium exercitum, cum strenua, exercitatisimamque vestra pugnandi arte, ac victrice manu confero; profecto deierare ausim, neminem esse vestrum, qui aperto in campo, cum decem ex illis depugnare non audeat, neque plures etiam detrectet. Accedit causa belli iustissima, sanctissimaque, quam ad impium tyrannum propulsandum, proque illo Regem nostrum

strum pius, optimumque inducendum suscepistis; cumque pro Christi nomine ad impiam Mahometanorum sectam extirpandam penitus pugnetis; quid ni victores vos inde fore, atque ipsas caelium acies, vestrorum non modo spectatrices factorum, sed in pugnam etiam adiutrices speratis? Adeste igitur Christiani commilitones, animisque ac viribus in hoc sacrum praelium, cuius nullus esse potest infelix exitus, incumbite. Namque hodie aut vincetes, nobilissimum Valentinum Regnum pro mercede reportabitis; aut occumbentes; aeternum atque coeleste Imperium, inuicta cum fama & gloria, in praeium accipietis. His dictis, ad hortari se inuicem omnes, atque ad pugnam animose fortiterque componere coeperunt. Iamque ut superiores essent hostibus, neque arcem deserere viderentur, in ipsa accliuitate montis illos expectarunt: quorum Exerici, Saguntini, Liriani, & Ondenses, tanquam bellicarum rerum peritiores, primum agmen ducebant. Qui congressu primo; tum à fronte pedite, tum à tergo equite, nostros ad orientes, profligare eos, atque in summum montem compellere incipiebant. Quod animaduertens Guillelmus, cum ala equitum, magno quoque impetu, ab iugo montis, sese in ascendentes sarracenos immisit; adeoque prostratis multis, terrori fuit omnibus, ut ea parte redintegrari praelium atque victoriae spes nostris aperiri visa fuerit. Verum à sinistro cornu, sarraceni conferti, tanta vi, atque vociferatione, nostrorum postremum agmen inuaserunt; ut necesse fuerit ipsos iterum in celsiorem montem secundum arcem sese colligere; cum subito elata vox quaedam è summa arce à dispersis vndique Christianis audita est, personans, Sarracenos fugere. Qua causa sese in vnum recipientes nostri, ac gloriosum sanctae Mariae nomen inuocantes, in locum pugnae, in quo paulò post fuit Virgini templum exedificatum, intenderunt oculos, videruntque à sarracenis nouissimi agminis initium fugae Valentiam versus fieri. Quam perspecta fuga Guillelmus adiuncto sibi equitatu, in obuios quosque magna vi delatus est; perque eos iter ad perrumpendam hostium aciem apertum, donec in tumultum, vbi coepta est fuga, peruenisset fugientibus insistens. Quod animaduertentes sarraceni toto fusi campo, cum & fugientes suos, & nostros insequentes vidissent; simili se precipitatione

omnes

omnes in fugam coniecerunt. Quos nostri secuti vsque ad Torrem, milliaris ab vrbe peruenere: innumerabilibus Sarracenorum desideratis, qui partim gladio iugulati, partim à suis in fuga compresi, conculcati que ceciderunt: ex nostris verò tametsi sauciati permulti, tamen perquam pauci interfecti fuere. Quod planè non humanis viribus, sed diuinitus fuisse factum à multis fuit assertum. Nam multorum tunc temporis fide dignorum testimonio comprobatum, ac etiam literis consignatum inuenitur, beatum Georgium in eo praelio Christianis simul & Sarracenis armatum apparuisse, iisque ademisse animum ad pugnandum, nostris vero ad vincendum addidisse. Nec dubitum, quin tanta, tamq. continuata in vniuersa Aragonensium Regnum in eundem martyrem pietas & religio, à diuino aliquo illius aut munere, aut aspectabili auxilio & ope promanarint. tametsi mirū sit, nullam in historia Regis de hoc tam contestato martyris apud Enefam auxilio lato, mentionem factā fuisse: cum de primo illo apud Balearium maiorem, maximam fecerit: fortè quoniam illi interfuerit: ab hoc verò abfuerit: sed vnus silentium, multorum attestacionibus fidè derogare non debet. Ac neque insuper prætermittendum est, quod Asclotius, vetus ac peculiaris huius historiae scriptor, de hoc ipso praelio & victoria retulit: quam planè, vno excepto summo Duce Guillermo, magna ex parte attribuit nobilissimo illi Catalano equiti Guillermo Aguiloni, quem paulo ante à Sarracenis redemptum fuisse diximus. Vt qui cum sua turma equitum, in eam partem vbi praelium truculentius committebatur irruerit, atque dirempto illo, totoq. armorū impetu in ipsum cōuerso, sic à nostris sumptis viribus, pugna redintegrata fuit, atq. animosè sustentata, vt hostium consecuta illic fuga fuerit. Quin etiam affirmat idē, inuenta fuisse decem millia Sarracenorum interempta, quorum cadauera nullo apparebant sauciata fuisse, neq. perfossa vulnere. Ac insuper asserit, Christianorū exercitum nō amplius centum cataphractis, cum alijs centum leuis armaturæ equitibus, atque peditibus bis mille constitisse: Sarracenorum verò, quadraginta millium, cum sexcentis leuis armaturæ equitibus fuisse. Cæterum fama de tam insigni Christianorum victoria quaquauersum peruagata, Turolenses

lenes primi cum centum leuis armaturæ equitibus, magnis itineribus in Enefam conuolarunt, Rexque, qui tum erat Olca, audito nuncio lætissimo, maximas Christo, eiusque virgini & matri gratias egit; totoque Regno datis ad Antistites, atq. oppidorum magistratus literis, supplicationes fieri iniunxit. Deinde conuocatis Regni proceribus, Darocam profectus est, vnde Enefianos comteatu, milite, & armis, omniq. ope reficere curauit: venitq. Turolium, vbi nobilis quidam eques cum literis à Guillermo Duce missus Regem conuenit; deque praelio, eiusque felicissimo successu, & victoria, fufissimè omnia ordine retulit: quæ magna cum voluptate Rex audiuit: ac denuò comteatum, remque frumentariam, per miliones Turolij, & Darocæ eodem comportari imperauit: ipseque centum iunctis equitibus leuis armaturæ Regnum ingressus, ad Cupulas oppidulum Segorbio propinquum, vintiquinque ab vrbe distans milliaribus, venit. Quo allatus est nuntius, Zaenem cum magno copiarum supplemento venisse Liriam, celebre nunc oppidum, quod in latissima planitie, copiosissimo aquarum ibi nato fonte irrigata, inter Valentiam & Cupulas situm est. Ibi ergo Zaenes magno exercitu cum Iacobo pugnaturus cōstiterat. Verum Iacobus neque regredi propterea, neq. non progredi decreuit: imò præmissis sarcinis, atque impedimentis, relicta à dextra Liria, ipsoque Zaene prospectante, infestis signis, rectà Enefam petijt: eoque perueniens, à Guillermo Duce, & Berengario Entensa, atque Guillermo Aguilone, alijsque nobilissimis equitibus, qui ad viam publicam, quā flexus est ad iter Enefam, obuiam exierant, more bellico, regioque exceptus fuit, atque obortis præ gaudio lachrymis, amantissimè amplexatus est Guillelmum, aliosque Duces, atque ab vniuerso exercitu adiri, sermones secū conferri, à seque munera & dona peti, permisit quā humanissimè. Ac protinus locum pugne, militum stationes, Sarracenorum irruptiones, praelijque redintegrationes, & à quo tandē loco illorū inita fuga fuerat, ostēdi, atq. enarrari sibi omnia voluit. Vnde collaudatis omnibus, ad supplendum equitatū, octuaginta sex equos lectissimos, Ducibus, & equitibus, se diuisurum promisit, eisque quintam totius prædæ partem ad se pertinentem condonauit: ac statim

statim literas *Cæsaraugustam* ad *Simonem Perezium Tarasonam* dedit, præcipiens coëmi, mittique ad se equos lectissimos quadraginta: quos protinus emit, atque remisit. ac ubi intellexit Rex eos venisse *Turolium*, profectus est *Segorbium*, quæ ciuitas *peramœna*, latissima in conualle posita est, adeoque aquis irrigua, vt permultis subinde, ac omnis generis melsibus, ac frutetis abundet, queq; *Abuzetij* partes contra *Zaenē* sequebatur. Hanc igitur intranti *Regi* agasones præstò fuere, suum vnusquisque equum loris pertrahens: quibus cōspectis, mire delectatus Rex fuit: atq; ad alios quoque equos, quos ab *Aragonia* quidam, qui sese aggregauerant *Regijs* agasionibus, venales adduxerant, oculos iniecit; eisque iniūxit, vt honesto illos pretio sibi venderēt: placuit dominis, atq; accepto, quod inter eos conuenerat, equos tradiderunt quadraginta sex: quos cum alijs quadraginta coniungens, secumque adducēs, quatuordecim dūtaxat sumptis equitibus, *Eneſam* reuertebatur. Cūq; *Sagūto* oppido, quod *Zaenis* partes agebat, eiusq; tenebatur præsidio, appropinquaret, dubitatū fuit, à locijs num rectā secundum arcem transirent: an ad læuam, per vallem *Segoniam* deflectentes, iter potius maritimum ingrederentur. hærentibus illis, occurrit vnus ex equitibus, sic inquiring; Satius erit secundum arcem pertransire, quandoquidem antequam conspiciamur ab speculatoribus, in tuto erimus, si modò, quod occurrit stratagema comprobare velitis. Vt ergo turmam equitum integram præferre videamur, iubete singulis seruis, qui equos vehunt, singulas prælongas arundines, ex arundineto, quod sese nunc offert, sumere; atque vni tanquam hastæ linteum ex his, quibus equi cooperiuntur, vt pro vexillo ducant, affigere; ac etiam vnicuique suum equum ascendere: ita quippe fiet, vt equestris apparens è longinquo acies, decepto hoste, pertranscat. Placuit *Regi*, ac omnibus equitis solertia, quæ ei prorsus ex sententia succelsit. Nam quinque tantummodo ex oppido exeuntes equites, cum mille ferè peditibus, eminus aspectarunt *Regios*, eosque cum sibilis & vociferatione irrisere; aggredi verò, aut insequi, minimè ausi fuerūt. Vnde *Rex Eneſam* perueniens, octuaginta sex equos ijs, qui sacro prælio interfuerant, equitibus diuisit; ac protinus in eo ipso tumultu, vnde *Sarraceno-*

norum fuga inita est, atque à nostris victoriæ nomē ingeminatum, celeberrimum ab eo templum exadificatum; simulque conobium constructum; vbi ordinem, siue societatem beatæ Mariæ *Mercedis*, cuius, vt diximus, autor extiterat, collocari mādauit: vt pro immortalitate eius prælij, atque victoriæ memoria, perpetuæ apud ipsum, atq; immortales gratiarum actiones Christo, eiusque matri *Mariæ* redderentur. Tametsi aliam quoque in loco exadificandi causam adduxerunt quidam satis graues huius historiæ scriptores; fuisse scilicet, ex arce ab ijs, qui noctu excubias agebant, conspecta multa lumina accensorum instar cereorum, quæ cœlitus in eam partem, quæ fuerat ad templum erigendum designata, descendebant; ac sese in terram magno cum splendore immittebant. Quibus *Duci*, & alijs custodibus patefactis; dum opera excauandis templi fundamentis nauatur, sonitus valdè tinniens auditus est; atque eousque defossum, quoad contactis parietibus, templum, vt apparebat, magnum, sed terra obrutum fuit inuentum. In quo dum profundius excauatur, ligone æs ictum personuit. Vnde rastris purgato loco, magnum quoddam tintinnabulum reiectum est; quo elato, reperta quoque subtus marmorea quædam tabula altitudine duorum cubitorum, latitudine verò sesquialtero; in qua insculpta erat imago sacræ *Virginis Dei* matris, vnus filiolum gestantis. Quæ tabula & tintinnabulo, alijsque annotatis vestigijs, procomperto est habitum; fuisse olim *Gothorum* tempore, constructum ibi templum in honorem *Virginis*, eiusque diuinum cultum frequentatum à religiosis *Benedictinis*, qui eo tempore floruerunt. Postea verò *Sarraceno-*rum in vniuersam *Hispaniam* irruptione, templum dirutum, atque à religiosis imaginem cum tintinnabulo in profundo templi relictam, delituisse quingentis & decem annis, vsque ad *Iacobi* tempora, qui imaginem in nouo supra vetus erecto templo, ad altare maius reponi curauit. Vbi & miraculis claret, & magna vrbs, totiusque *Valentini Regni* ab omnibus veneratione colitur. Cæterum, compositis *Eneſæ* rebus, distributisque præsidijs, dum *Rex Burrianam* ire parat, *Ferdinandus* patruus, qui aut egregius cunctator, aut ferus adiutor semper accedebat, *Eneſam* venit, cum *Petro Cornelio*, nonnullis equitibus comitantibus: quos *Rex* excepit

benignissimè; relictisque ibidem illis ipsis Ducibus, cum parte copiarum, ac etiam commeatu, & omni apparatu bellico munita arce, cum Ferdinando, & Cornelio Burrianam profectus est. quam vix erat ingressus, cum Aguilo mari scapha venit ad eum nunciàs, Zaenem, ubi rescivit ipsum Enefa discessisse, statim vniuersum equitatum, quem in Castallia, & Cocentania oppidis continebat, collegisse, venireque iterum arcem demoliturum. Quare Guillelmum petere subsidium, seque ad illud implorandum misisse; sufficereque ad id, si P. Cornelius cum ala equitum mitteretur. Quo audito, Rex non alio, quam se duce, subsidia Guillelmo mitti permisit. Itaque nocte de secunda vigilia, cum proceribus, atque Turolensibus equitibus, iter ingressus est; iamque Almenaram præteruectus, tam parato ad confligendum animo properabat, ut occurrenti cuidam Aragonensi equiti, Lopezio nomine, & ab eo querenti, ecquid de nobis fiet hodie? respondisse feratur; Enimvero Lopezio, hodie à furfure farinam fecerni videbis. Innuens fore, ut ea pugna quantum ignauo præstet strenuus patefieret. Cumque ponè Saguntum esset, misit equitem, qui exploraret, num Zaenes venisset, & arcem obsidisset: qui illico reuersus nunciauit, Zaenem neque venisse Enefam; neque Valentiam exercitum eduxisse; esseque tuta omnia, nec Enefanos villo egere subsidio. Id audiens Rex; gratias Deo agens, Burrianam reuertitur, decem & septem tantum equitibus comitatus: nam reliquos Enefam transire iussit, ut adderent Enefanis animum, in eorumque salutem Regem semper esse intentum, ostenderent. Itaque transducto Palantia Sagunti fluuio, non longè ab itinere, sarracenos equites numero centum & triginta conspexit. ad quos Artalus Alago, Blasci filius, Regno Aragonio tum exulans, se receperat. In eos igitur Garceus Aragonensis, qui paucis cum equitibus Regem ante cedebat, temerè, nec consulto Rege impetum faciens, protinus fuit ab illis septus, atque cum socijs captus, quem secutus fuisset Cornelius, nisi in eius equi habenas Rex manum iniecisset, ac coegisset subsistere. Ex quo, cum paucis relictus, in maiori, quam vnquam, fuit vitæ periculo. Vt pote quæ si sarraceni tunc inuasissent, haud dubiè cepissent. Id conspicatus Cornelius, vnum equitem citato cursu ad Guillelmum misit, ut quam citissimè Regem adiuturum veniret. Sed in

terim

terim in tantâ atroci periculo Regij se versari videtes, persuadere Regi rentarunt, ut dum pugnantes ipsi hostes distinent, sese cum paucis Enefam reciperet, subsidiaque pugnantibus mitteret. Sed quo magis id fuit conatus Perezus Pina, eo maiori cum stomacho ille respondit; Frustra profectò niteris, Perezi, dum me abire suades: constitui enim (diuinæ licet voluntati me totum permitto) nulla ratione hinc pedem referre; sed belli fortunam periclitari etiam cum discrimine vite. hæc siquidem nunc, morte potius, quam fuga redimenda est. Tunc equites, conglobato agmine, Regem in medio constituentes, animoseque illius latera claudentes, sarracenos expectarunt. Verum illi, tametsi bis se ad inuadendum Regios composuerunt: tamen, aut quod insidias nostrorum timuerunt; aut quod agnito Rege Artalus eos auerterit; seu potius quod Berengarium Entensam appropinquare iam cum equitatu crediderint, prælio abstinerunt: paulatimque inde digressi, per vallem Segoniã, se Almenarã contulerunt. Itaque Berengario aduentante, eoque comite, Rex Burrianam ingressus est; indeque proxima nocte, traiecto Idubeda fluuio, qui Castellonem in signe eius Burrianensis planitici oppidum alluit, secus mare Oropesam ire perrexit: neque tamen deterreri ab itinere potuit, tametsi intellexerit, Regulum quendam sarracenum nomine Auenlopezium, paucis ante horis, cœpisse vi præfectum Oropesæ in eius pineto mari proximo, & captiuum abduxisse. Sed nihilominus collectis in vnum se sequentibus, pinetum ingressus est, atque Oropesæ, quæ ordinis Hospitalium tunc erat, ea nocte conuiescens; sequenti die, Vldeconam, inde Dertosam venit, ubi paucis diebus fuit.

✂

N 2 BER.

**BERNARDINI GOME
SII MIEDIS, ARCHIDIACONI
SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS
gestis IACOBI primi Regis Aragonum,
cognomento expugna
toris.**

LIBER. XI.



INTE RE A Iacobus de Enesiana arce, quam vrbi proximam, atque infestam reliquerat, vehementer sollicitus, curas omnes, & cogitationes in defendendam illam, eiusque terra, marique augendum praesidium conferebat. Sciebat enim, post memorabilem illam Guillermi victoriam, Zaenem fuisse tantopere irritatum, tamque vehementi prouocati ira ad ipsam denuo euertendam, vt maiores indies ad id copias pararet, atque subsidium etiam transmarinum breui, vt ferebatur, affuturum expectaret. & subuerendum etiam erat, ne reliqui sarraceni Hispaniae Reges, gratia communis tuendae libertatis, contra Christianos, Zaeni tandem subsidio venirent. Quibus de causis maturandam esse expeditionem considerans, conuentus Caesaraugustae agi curauit, vt aperte diligenterque cum Regni primoribus, & Ciuitatibus de acceleranda expeditione tractaret. Interim vniuersos proceres, & quos Barones dicunt, qui oppida, praediaque beneficiario iure a Regibus acceperant, quique honorarijs stipendijs equestribus, ac etiam oppidis, & vrbibus donati erant, iussit, proximo Resurrectionis Dominicae Paschate, ad Valentinum prosequendum bellum, cum armis praesto sibi ad Enesam esse. Itaque Caesaraugustam ingredienti, continuo Ferdinandus, & qui Regij consilij erant, Blascus Alago, Simon Vrrea, Rodericus Lizana, Petrus Cornelius, qui Burriana venerat, Garsias Romæuus, & Ferdinadus Assagra, alijque Regni Barones, ac legati Ciuitatum, magno cum

cum comitatu adfuere; existimantes conuentus agi debere dies multos. Veruntamen vix octo elapsis, nuntius Enesa venit, quo Rex factus est certior de obitu Guillermi Ducis, auunculi, qui tot, tantisque in defendenda arce excubijs, vigilijsque, ac belli laboribus fractus, tandem febre correptus interierat. Quo nuntio vehementer, ac supra quam dici potest, tristis & conturbatus Rex fuit; conquerens, se, vno die, & auunculum sui amantissimum, & ducem totius exercitus praestantissimum, tam commemoranda, propeque caelesti de Zaene reportata victoria decoratum, amisisse. eoque magis, quod nullus ei par armis, ac fidelitate, neque ad defendendam arcem, neque ad vrbis obsidionem prosequendam sibi relinqueretur. Quod intelligentes consiliarij, Regem consolandi gratia adierunt: idque tanto aequiore animo, quanto certius iam erat, eorum in Guillelmum inuidiam, morte illius extinctam fuisse penitus, ex eaque, vt fieri solet, sequutum dolorem. Cumque plurimum ab omnibus, commendato Guillelmo, Regiaque ei funeris iusta deberi sentientibus, de sufficiendo duce, deque prosequendo bello ageretur; Ferdinandus cum primis Regionum incaptorum importunus semper interpellator, in ea cum reliquis consiliarijs sententia fuit; vt multis de causis Enesae arx defereretur, ab eaque exercitus deduceretur; ne is, amisso Guillelmo Duce fortissimo, adeoque in profligandis Sarracenis hostibus exercitato, ab ipsis maiori cum multitudine reuenientibus, contrucidaretur. Ac insuper ad vitandos tot, tamque immodicos sumptus, qui in eam sustentandam fiebant; praecipue vero ad tollendam de medio occasionem, qua toties persona Regia incaute periclitari solebat; cum in tantum vitae discrimen venisset cum sarracenis; vt saepe quidem cum paucis, ac vel ex iniquo loco, illorum multitudinem aggredi non perhorresceret; timendumque esset, ne in illorum insidias aliquando incideret, indeque omnia illius Regna turbarentur. Quam Ferdinandi sententiam cum approbarent omnes, ac Regi ne ab ea dissentiret, quasi obstrepere velle viderentur; iratus ille vniuersos circumspiciens, ac praecleara magnanimitatis suae signa tunc edens, respondit: se, inceptum praeclearum, a quo non antea destitisset, nunc minime

intermissurum; ac neque deserturum vnquam arcem, cum à se exadificatam, tum suorum sanguine hæctenus gloriosissimè defensam; eoque minus, quòd custodiæ assurgentis iam ibi templi sacrae Virginis, cognomento Mercedis, eiusque fratrum societati, fuerit dicata. Adduci præterea loci, non opportunitate solùm, sed existimatione, & opinione: cum in eo ingentes Valentinorum vires sui perhonorifice perfregerint; atque opinione hominum suas longè maiores in debellandis illis ostenderint: ac etiam quòd ad premendam indies urbem, eiusque consitum agrum depopulandum; talesque, ac tantas ex eo prædas capiendas, quibus exercitus affatim ali possit, nullum in toto Regno, eo ipso loco opportuniorè inuenerit. Proinde Regij honoris esse, arcem, & comætu, & armis sustentare; & iustum in ea exercitum collocare: oportereque demum, non solùm tueri parta, sed vltèrius quoque progredi. Quæ cum dixisset, ardentibusque consiliarios inspectasset oculis; nemo amplius ausus est ei obistere, neque repugnare. Apparuit nihilominus eo die, Valentinam expeditionem in magnum fuisse discrimen adductam; paruique honorem, & incepta Regis à consiliarijs habita; quorum ignauia, & timiditas, nisi constantia & magnanimitate Regis victa fuisset, bellum, haud dubiè, non modo magna cum ignominia cessasset; verùm ex illorum quoque sententia, Rex partis iam oppidis, atque toto Regno excelsisset. Quò maior est profectò Regum labes, in consultationibus, de sua sententia nihil, de aliena, omnia peragere; sibi que persuadere, Regias res, qualicumque occasione oblata, melius alieno, quam suo posse consilio administrari; cum videantur quidem Reges diuinum quid cum sceptro hausisse; atque, quòd Reges sint, prælagire posse, ac præuidere multa. Neque enim à sapiente frustra prædictum fuit, Regium cor diuina in manu versari: quòd scilicet, regendi, moderandi que Regis potestatem, quasi habenas quædam teneat diuina manus, eiusque ope fiat, ut suum cuique Regno adsit numen, ut auditis hinc inde sententijs, quid factò opus sit Rex ipse, vel contra aliorum mentem, deliberet. Cuiusmodi deliberandi vestigia, mirè impressit Iacobus, cuius multas expeditiones bellicas, tametsi à consiliarijs improbatas, damnatasque

natasque, sæpe quoque derisas, suo tamen consilio susceptas, atque diuino promotas, feliciter celsisse viderimus. Itaque solis ex vniuerso consilio Ferdinando Perezio Pina Aragonensi, & Bernardo Vitali Belalucho, Catalano, viris strenuis, atque usu belli exercitatis, Regis sententiam approbantibus, Rex protinus cum ijs, atque vno ex proceribus Simone Vrrera, necnon quinquaginta equitibus domesticis profectus, Enesam peruenit, ingressusque Aedem Virginis, locum vbi Guillermi cadauer erat repositum visit, ei que acerbissimè illachrimatus fuit; ac illud honorificentiori loco recondi iussit, quoad deferretur in cœnobium Scarpense ordinis Cisterciensis, quod in Catalonia, non longè ab Ilerda, Sicori fluuio alluitur; vbi se ille sepeliri testamento iusserat. Postero die Bernardum Entensam Guillermi filium, annos natum vndecim, quem secum Rex habebat, atque amore, quo illius patrem prosequabatur, de more, militaris auctoramenti splendore, atque dignitate decorauit; ipsumque in omne territorium, & prædia, quibus pater fuerat potitus, succedere voluit. Deinde Berengario Entensæ Guillermi cognato, armis exercitatisissimo, atque commemorandi illius Enesani prælij socio, arcis, totiusque exercitus præfectum, & Ducem constituit, ei que socium adiunxit Guiller mum Aguilonem, eiusdem quoque victoriæ consortem, cum cohortibus promagistrorum Templi & Hospitalis, ac etiam præfectorum Vclensis, & Calatrauæ ordinum, qui in præsidio antea ibi esse consueuerant: re frumentaria, comætu, & armamentis necessarijs exercitui in ver vsque proximum relictis; quo tempore Rex magno cum exercitu venturus erat, urbem expugnaturus. Verùm enim, ut primùm rumor sparsus est Regem abiturum inde, neque tam citò rediturum, protinus bona præsidiorum pars commurmurans de discessione cogitare cepit. Nam ex equitibus, quadraginta numero conspirauerant, ac religioso cuidam Ilerdensi, dominicani instituti, Petro nomine, qui sacra facturum, sequebatur exercitum, significarant se, abeunte Rege & proceribus, quæ primùm euoluros, & arcem deserturos. Id autem intelligens Petrus illico detulit ad Regem, qui quàm grauissimè tulit; iamque secum animo versans, derelicta Enesa, actum omnino esse de tota

expeditione : statimque Sarracenos Burrianæ, & reliquæ à se debellatæ Regni gêtes, Dertosam vsque, arma, donec amissa recuperarent, illaturos; seque tantorum laborum & impensarum, magna cum ignominia iacturam facturum: ac quod intelligeret, quæ militum tolet esse contumacia & insolentia, superuacaneum esse verbis, seu minis eos coercere, velle; conuocari iussit omnem militum vtriusque armaturæ multitudinem in Aedem Virginis, vbi palam aram tenens sacramento contendit; se non derelicturum eos fines, ac neque Aragoniam versus, Turolium vsque peruenturum; neque in Cataloniam Uldeconæ fluuium traiecturum, donec prorsus vrbe Valentia esset potitus. Quod ne fictè agi putarent, quàmprimùm Reginam cum sua recenter nata Iolante filiola, quæ postea Regi Castellæ nupsit, ad se perducere curauit. Quo Regis iureiurando confirmatus exercitus in præsidio mansit; ac sese deinde ei facilem, & fidelem exhibuit. Itaque paucis post diebus venit Peninsulam, vt munitissimam eam Regni arcem reuideret; indeque Ferdinandum patrum Dertosam militem, vt Reginam cum filiola ad se deduceret. Quæ veniens Peninsulam, admirabili arcis situ valde delectata est, ac protinus Burrianam deducta, vbi eam Rex amœnitate, ac munitione loci confusus, manere voluit. Sed Regina Ferdinandi verbis persuasa, summa ope nitebatur Regem à Valentina expeditione deducere; difficultates permagnas, vt fuerat edocta, obijciens: sed neque profecit hilum, neque Regem à proposito dimouere potuit; eaque Burrianæ relicta, ipse petijt Enesam. Interea Zaenes memor Enesiani prælij, quo ipse cum quadraginta millibus hominum à tam paruo Christianorum numero, vel absente Iacobo, fuit superatus; vidensque indies copijs, ipsaque Regis præsentia, augeri contra se exercitum, adeoque Iacobum huic bello dare operam, vt modò illud conficeret, Nauarrense Regnum, quod ei hæreditate debebatur, videretur contemnere; timere cœpit: atque idcirco cū eo agere decreuit: ac modò se, & urbem à tam impendenti malo eriperet; qualibet etiam minus tolerabili conditione transigere tentauit. Quamobrem Sarracenum quendam, Aliabatanum dictum, misit Enesam, qui secretò cum Ferdinando Diazio nobili Turolensi, Regis alumno, & Zaeni noto, de eiusmodi pacis conditionibus

nibus ageret; traditurum scilicet se Regia omnia Castella cum oppidis, quæ sita sunt inter Dertolanum, & Turolensem agrum, quæ versus mare fluit Turia; quin & suis impensis exadificaturum Iacobo arcem in Saidia amœnissimo Valentis suburbano, Regio Iacobi firmandam præsidio; necnon Besantiū X. M. tributum nomine quotannis persolaturum; modò præsidia, quibus urbem obsidebat, deduceret. Quibus conditionibus cum intelligeret Iacobus, nihil aliud quàm diem ex die duci à Zaene, simulatione quadam, vt interim & auxilia, quæ expectabatur venirent; Valentiniq; ab obsidione, quam pertinaciter perferre decreuerant, liberarentur; eas omnino reiecit. Quæ res proceribus, quos hæc latebant, maximæ admirationi fuit, obijciens, Reges eius maiores similes conditiones pacis nunquam respuisse. Dum hæc Enesæ geruntur, Sarracenus quidam, Almenaræ præfectus, vnà cum magnæ potètiæ oppidano, qui Zaenem oderat, & Abuzetij partes sequebatur, occultè cum Rege agebat de deditioe oppidi, eiusque arcis, quæ in eminentissimo mote sita erat; cumque ij duo oppidanos aliquot, qui Zaenem quoque oderant, in suam sententiam pertraxissent; Regem Burrianæ cōuenerunt: quò is sæpe veniebat Reginam inuisurus, eique ad certam diem se oppidum dedituros promiserunt. Regijs igitur eò, præstituta die, venientibus, illico traditum fuit oppidum: indeque, cū arcem vnà cum oppidanis peterent, immania in eisdem saxa deuolui capta fuere. Verum animaduertentes qui in arce erant, oppidanos permistos Christianis, ac Regem in oppugnatione esse; illico se, cum arce Regi, seruatim pactis, deditere. Simili quoque pacto, & conditionibus tradita fuere Castella Vallis Vxonis, & Nulesium oppidum, Castellumque Alfandechi. Quæ cum propinqua essent Burrianæ, facile vno præsidio defendi poterant. Vnde Iacobus redijt Enesam; atque post festum diem Resurrectionis dominicæ excurrentibus militibus in agrum Valentinum, similibus quoque pactis arces Paternæ, Beteræ, & Bullæ; vrbi ad tertium vsque sitæ lapidem, sese tradidere. Itaque omnibus propè Urbem turribus, atque Castellis captis, nō amplius oppida, castellaue, sed ipsam urbem Rex obsidere, atque omnes eius aditus occludere urbanis, sibi que aperire instituit. In quo egregium illud magnanimi-

mitatis opus Regis contemplari licet, qui Valentiam urbem Regiã, per amplò mœniorũ ambitu, atque viribus munitã; ac non solum ciuium, sed totius Regni infinita propè multitudine. & copia rerum abundantem, cum tam exiguo exercitu, & apparatu bellico, obfidere cœperit, vt vix vni expugnandæ arci pares esse viderentur. Nam exercitus, qui ad Enesam egregiè vicerat: tam tenuis fuit, vt non excederet summam trecentorum sexaginta trium equitum: connumeratis Vgone Fulcalcherio Hospitalium magistro, ac vno Templariorum, qui xx. equites sui ordinis ducebat: & quodam alio Alcanitij; præfecto, & alio ordinis Calatrauensis, & præterea Roderico Lizana cum xxx. equitibus; Guilielmo Aguilone cum equitibus xv. Simone Perezio Tarafona præfecto equitum Regiorum cxxxx. & militibus Regiæ cohortis, quos Almugauares tum vocabant; in quibus tum erat robur exercitus, qui erant cētum quinquaginta. Sed de ijs, quoniam in historia Regis sæpè fit mentio, habebanturque omnium fidiſſimi, fortisſimique, de eorum origine, ac bellandi arte, vsuque viuendi, nonnulla dicamus, quæ partim ex Mōtanerio & alijs, partim coniectura accepimus. Dicebantur enim Almogauares, ex ipsa vi nominis à sarracenis impositi, scilicet à puluere, quasi quòd à rastris, & à gleba terræ ad militiã translati, pulueru- lēti essent; aut ab eo potius, quòd virtute & viribus præstātes, hostes protererent, atque, vt phras̄is est Arabica, in puluerem redigerent. Sed neque veterani fuere, vt quidam existimarunt, cum tyrones etiam inter eos essent; quin potius pedites quidam erant robustisſimi, punacisſimique, ex montana & agresti, neruosaque & lacer- tosa iuuentute delecti; qui ruri nati, ac educati, agrique laboribus ab infantia assueti, in bello etiam, sub dio humi cubabant, frigo- risque, perinde ac caloris, inedia potisſimum, patiētisſimi fiebant; qui que vt rudes & imperiti, vtq. & moribus, & ingenio feri, ac im- manes, cum sermone parci erant, tum minime sele alijs, præterquã sui ordinis adiungebant; ideoque ad pugnam alacres & erecti pro- dibant. Quos vnus simplex, æstate, hyemeque, vestitus supra ami- culum tegebat; sparteo sæpe fune, ad renes restrictus: isque ex tho- race constans, & fœmoralibus, ocreisque & pera, ac etiam pileo ex animalium corio confectis; vnà cum lacculo, qui vix vnus diei via- ticum

ticum capiebat. Et qui non alijs, quàm quibus offenderēt, armis pro- tecti erant, hasta videlicet, gladio, & pugione, quibuscum in arenã descendentes, non pedestres modo acies, sed equestres impetus iu- stinere auderent: extrema siquidē hastæ parte humi defixa, & pede dextro firmata, culpide vero in aduersum incurrētis equi pectus in- clinata, equitis impetū iustinere, ac parua quadam declinatione cor- poris effugere didicerant. Is enim eorū in prælijs vsus erat, & in hoc tota cura incumbebant; vt sele equestri pugnæ immiscerent, atque hostiles equos suffoderent, ac protinus deturbatos equites iugula- rent; primi que omnium expoliarent; indeq. diuites, ac emeriti, ad suos redirent: vereque fuit aliquando à cataphractis Gallis, tempo- re Petri Regis, Iacobi filij auditum; sele cataphractus Hispanos nihi- li pendere; pedites verò Almugauares supramodum timere. Illud quoque verum est, Almugauares non modò pedestres acies, sed e- tiam equestres per se constituisse; atque in exercitu Regis vtroque sub ordine militasse: strenuo quoque pedite ex ipsis in equitem le- uis armaturæ transeunte; ac neque minora, quàm antea, roboris, bel- licæque virtutis monumenta edente. Itaq. equitatus omnis ad 360. peditatus verò ad mille dumtaxat milites peruenerat. Cum tã pau- cis igitur ausus est Iacobus obsidionem instituere, diuina in primis fretus Christi, eiusque Virginis matris ope, ac noua quoq. copiarū accessione, tam eorum qui ab vtroque Regno aduentabant, quàm multorum etiam auxiliariorū ex Aquitania, Anglia, & Italia, quos expectabat, atque, vt dicemus, obsidioni interfuere. Itaque lustrato exercitu, eo que armato satis, beneque ad pugandum expedito, ac incitato, inuento, placuit iam tum in agrum inter mare & urbem excurrere; sicque diluculo, militibus corpora curare iussis, Enes- sa profectus, secundum littus, ad oppidulū venit, quod in ipso litto- re situm ab vrbe distat bis mille passibus, Graumid nunc appellat, vbi apertum est mare, & statio male fida carinis: dictum quidem à gradu, propter latentes, & inæquales quosdam arenæ gradus, & qua- si descensus in profundum; ideoque, concitato mari, ac tempestate exorta, naues nisi se inde in alios portus recipiant, in illos impinge- re, allidiq. soleant: fiunt autem eiusmodi gradus siue tumuli, conge- stu arenæ, quæ Turiz propinqui fluminis inundationibus collecta acer-

aceruatim subfidet, tantaque est, ut id ipsum oppidulum, quod tunc alluebatur mari, nunc ad sagittæ iactum ab eo disterneretur. Itaque Rex transducto omnem uniuerso exercitu, ad casulas quasdam, vix vno milliari ab vrbe sitas, castra poni iussit, atque figi tentoria, ibi ut esset, donec supplementum copiarum ex Catalonia, & Aragonia accederet. Quo die magna sarracenorum turma equitum, exisse vrbe visa est, velleque nostros ad pugnam excire: sed prohibuit Rex, ne quispiam ab statione sua, nisi dato signo, decederet; ac neque manus cum hoste confereret, priusquam regio cognita ac explorata esset. Verum postera die Almugauares in iussu Rege, summo mane, statione relicta, Russapham suburbanum amœnissimum, vix quingentis passibus ab vrbe distans, petierunt, capere ipsum volentes. Quod Rex intelligens, reliquum exercitum in armis esse, eoque properare iussit; veritus ne è muro, viso Almugauare, multitudo urbanorum irrueret, & illum opprimeret; & certè in eo discrimine fuerunt Almugauares, ut, nisi Regis consilio, ijs subuentum opportunè esset, suæ temeritatis pœnas daturi fuissent. Nam Zaenes illico, cum magna suorum parte, cum equitibus scilicet quadringentis, & peditum decem millibus aciem contra eos direxit. Ex quibus quadraginta pedites, sese in agros fabas proferentes, aliquanto ab exercitu auulsi immiserunt; forte ut occasione essent, ad conferendas manus, illas decerpentes. Quibus conspectis, Raimundus Auelanus Hospitalarius præfectus Aliagæ oppidi in montanis locis, non longè à Turolio siti, quod etiam munitissima, ac perampla arce in monte locata nobilitatur; necnon Lopezius Luenianus, impetum in eos quadraginta faciendum esse, & capiendos consulebant; vt ex ijs perdiscerent Zaenis mentem, eiusque militum numerum ad pugnandum: quibus assentiri Rex noluit; propterea quod exercitus nullum sibi adhuc vallum tulerat, neque propugnaculum cōfecerat, quò se reciperet, si hostis superior euaderet; ac etiã vereretur, agros à sarracenis consultò rigatos fuisse; esseque periculosum, in lubrico solo, paucos contra multos inire pugnam, & recessum ab ea difficilem, tot interpositis riuis, qui peditibus simul, & equitibus, magno impedimento essent. Quo toto die vterque exercitus, ad sagittæ iactum in conspectu fuit: neutro tamè neque signum, neque occasionem pugnae

pugnae alteri dante: Quinimmo Zaenes sub ipso noctis crepusculo receptui canere iubens, in urbem cum suis regressus est. Iacobus verò sese cum exercitu in suburbanum recepit; quod peramplum erat, valloque circunduci Rex fecerat, atque in extremis vicis, lignis, stragulisque obduci: destinauitque ex equitibus quinquaginta fidesimos, qui excubias ea nocte agerent. Verùm de comœatu, & cibarijs exercitui comparandis non magna cura erat; sarracenis ipsis, ex suburbijs, vndique necessaria abundè in castra comportatibus; præter ea, quæ mari quotidie Enesa, & Burriana, tam ad frumentariam rem, quàm ad armamenta, & construendas machinas asportabantur. At verò Zaenes, neque postero die, neque alijs quinque sequentibus, se dedit in conspectum: neque vllum pugnandi locum fecit: demiratiq; fuere illum permulti, quod cum esset strenuus, ac bello exercitatus; tantisque copijs Christianos superaret, à pugna tamen cœdè abstineret. Sed rescitum fuit, id non tam ignauia, quàm metu suorum, quibus se non facillè credebat, fecisse. Nam cum esset tyrannus, vique expulso Abuzethio, urbem cum Regno occupasset, multorum Valentiorum animos, maximè verò eorum, qui Abuzethij partes sequebantur, à se alienatos habebat; neque fidebat ipsis: quinimmo timebat, ne cōmisso prælio, inter confertos iam hostes, ipse trucidaretur à suis, aut Iacobo viuus traderetur. Qua de causa sese à pugna, quoad poterat continebat, ideoque pacto urbem Iacobo, vt diximus, dedere tentauerat. Interea omnes ferè vtriusque Regni Antistites Ecclesiarum, vtpote Cæsaraugustanus, Turialonenfis, Oscensis, tum & Tarraconensis, Ilerdentis, Dertofanus, & Barcinonensis; quanto quisque poterat cum apparatu bellico, Regi adfuere. Magni quoque proceres, & Barones; singuli cum equitatu, aut peditatu fuere subsidio; necnon ex Castella plerique ex militaribus Vclensis, & Calatrauensis ordinibus præfecti, cum primoribus eorundem ordinum, Montalbanensi, & Alcanitiensi in Aragonia, cum bona equitum manu, in castra venerunt. Ad hæc ciuitates Turolium, Daroca, Turiaso, Calataiubium, Cæsaraugusta, Osca, Ilerda, Dertosa, & Barcino, singula, a mulatione quadam, quanto maiori apparatu poterant, ad hoc sacrum bellum accedebant. Quin & Antistes Narbonensis, Petrus Aimillus nobilissimus Aquitanus, cum equitibus quadra-

quadraginta, & sexcentis peditibus cō venit, gratissimusque Regi fuit. Is enim singula quorumque Aragoniæ, atque Cataloniæ procerum subsidia superauit. Affuere quoque alij ex Gallia, Anglia, & Italia magnates, qui fama Regis, huiusque sacri belli opinione commoti venerunt. Nam ex historijs Anglorum deprehenditur, illorū Regem Henricum tertium, magnam militum manum in hoc bellum misisse; idemque comprobatur de Francis. Vnde augescens indies exercitu, iam non in suburbano consistere: sed appropinquare vrbi, eandemque cominus Regij cœperunt obsidere. Ex quo irruptiones, quæ in nostros antea fieri solebant, & leuia prælia, quæ magno sarracenorum malo comittebantur; decrecentibus quotidie illorum viribus, nostris autem accrescentibus, cessarunt, seque illi ad miserabiles obsidionis ærumnas tolerandas in urbem compulerunt. Itaq. ex omnibus vtriusque Regni ciuitatibus aduentia auxilia, quò tardius accesserant, eò versus urbem, ordine propinquius collocabantur. Siquidem Barcinonenses, qui mari cum maximo armorum apparatu, & machinis vltimi venerant, in statione vrbi propinquiore locati fuere. Quibus ita urbem obsidentibus, magna fuit disceptatio inter proceres, atque militaris discipline peritiores, de commodiore loco exercitus ad urbem oppugnandam: quòd ea, præcius ambitu, minimè posset ab exercitu, qui tunc erat, tota obsideri. Erat quippe vrbs in plano posita, ferèque rotunda, milliario paulò plus ambitu circumducta, atque præter alias, quatuor maioribus portis patebat. Prima Boatellana, dicta inter meridiem & occasum posita; altera Baldina à læua in dextram, ad septentriones obiecta. Tertia ortum Solis, sub magna & præclara turri, respiciebat, quæ Templi nunc quoque dicitur, ob palatium, & paruam Virginis ædem, ibidem à Templarijs exædificatam. Quarta versus meridiem Xareana; inter quam & Boatellanam, in medio fiebat muri angulus ad meridiem exporrectus, qui turri magna (vbi nunc est percelebris Academia) compingitur, ac versus mare prominet, in eam partem, vbi posita erant castra: atque ob magnam inter vtramque portam, distantiam, nullis interpositis turribus, desertior erat illa pars muri, neque defensionis commoda. Itaq. variè de oppugnationis loco contendentibus: in primis Narbonensis Antistes, oppugnationem & machinas, in

nas, in portam Boatellanam intendendas esse dicebat; propterea quòd oppugnandis facilius esset ligneas portas, quam saxeam murum quater, ac demoliri; atque eruptiones hostium, in ipso statim egressu præoccupare, quam alibi insperatò ab eisdem castra oppugnari. In quam sententiam cum ferè omnes inclinarèt, contra Rex rationibus validioribus vniuersos in suam pertraxit; ostendens commodius oppugnari posse eam partem muri angularem, quam Boatellanam portam: tum quòd pars illa desertior esset, atque à portis vtrinque remotior; ex quo nullæ fieri poterant subitæ, atque insperatæ ex vrbe in machinas & cuniculos eruptiones, quin multò ante ab exploratoribus detegerentur, & præcauerentur: tum quòd nullis ea ipsa muri pars muniretur turribus; ex quibus, non in rectum modò, sed obliquè, sagittæ etiam, aliæque machinæ in nostros contorquerentur; cum ab exporrecto angulo diuidi ipsos à sese propugnatores necesse esset, atque impediri, ne plures vtrinque essent, neve distracti in suam quisque partem, alterna sibi inuicem subsidia afferre possent. Insuper cum exercitus esset ea parte mari propinquior, fore subinde, vt commeatus, & necessaria, quæ ab eo adducebatur in castra, tutius defendi possent, ne ab erupentibus interciperentur. Demum inde etiam melius impediri posse, ne transmarina subsidia, quæ ab urbanis expectabantur, cum eis coniungerentur. Quibus de causis omnium consensu conclusum fuit, vt ea parte vrbs, quæ visa Regi fuerat, oppugnatio inciperetur. Cui rei protinus ab omnibus diligentissime nauata est opera; atque fundibulares machine admotæ, præeuntibus testudinibus; quarum vsus in obsidione vrbs maioris Balearium feliciter cesserat; ad protegendas illas à frequentissimis ballistarum, aliorumque tormentorum è muro ictibus; quoad paulatim ducto vallo, ad fossam vsque vrbs perductæ fuere. Vnde fossa illico lignis, sarmentis, lapidibus; atque omni congesta materia opplata, & æquata solo est, atque virtute & industria Ilerdensium quorundam militum, admotæ quoque testudines muro fuere, isque vectibus, malleisque ferreis tribus locis per terrebratus, quoad vni, aut alteri militi fuit aditus patefactus. Idque cum tanta animi contentione, diligentia, & æmulatione Ilerdensium confectum, vt modo præsentì Regi placerent, pericula, & hostes nihil pendere vide-

viderentur. Dum hæc in vr̄bis obsidione fiunt, Petrus Fernandus Assagra, & Simon Vrrera, cum equitatu suo, & quattuor peditum cohortibus, duabus etiam sumptis machinis, Cilliam oppidum petierunt, quinto ab vr̄be milliario distans contra portam Boatellanam: quod etiam stagno magno adiacet ab Arabibus Albufera, de quo dicemus, nuncupato. Vbi positis machinis ad lapidum emissionem, magna vi vndique oppugnari illud cœpit. Quod sanè ab oppidanis, diebus octo, vr̄bani spe auxilij, validissimè fuit defensum, quibus exactis, suaque spe deiecti oppidani, ijs conditionibus, ne diriperentur, neque oppido pellerentur, per solutis obfessionis impensis, atque sponte oblato tributo, Regi, eiusque Ducibus se dediderunt: de que eo statim nuntius allatus est Regi latus. Interim accurrentibus vr̄banis in eam partem muri, que fuerat perforata, aggere, & tabulatis paries restructus est, atque varia constipatus materia: tota quippe vr̄banorum multitudo in eam partem protegendam incubuit; eoque valentius vtrinque pugnatum est. Sed quam vr̄banorum magna erat vis, mireque intenta ad demolendas machinas; non tamen moueri hæ loco, neque repelli potuere. Interea Afri Tunetani cum classe duodecim longarum nauium, & aliarum sex actuarium, quas vulgò Zabras appellant, ab eorū Rege missi, ad Valentiam orā appulerunt, atque è regione Gradus oppiduli in anchoris substiterunt; vt Zaeni, & obfessis animos adderent, nostrisque imminerent. De quo ab speculatoribus maritimis, qui ad Gradum excubabant, media nocte certior Rex factus, protinus cum quinquaginta equitibus, & peditibus ducentis, mare versus prope- rauit, atque peditatu in insidijs inter arbuta mari proxima posito, cum equitatu procul speculabatur; si fortè ex classe illi in terram descenderent, vt eos ex improviso adoriretur. simulque Tarracoenem, & Dertosam nuncios misit, qui classis aduentum significarēt, essentque in promptu cum classe Regia, ad loca maritima defendenda. Itaque noctu classis ignibus, & ingenti sonitu tympanorum, & clangore tubarum, aduentus sui notitiam fecit Valentinis: qui protinus sonitum, atque ignes percipientes, ac Tunetanos illos esse cum colligentes; tū se eo subsidio posse ab obsidione liberari confidentes, magno perfusi gaudio, vt nostris terrori quoque essent, similibus

igni-

ignitis facibus, atque tympanorum & tubarum sonis, Tunetanis responderunt; obediētē signa Tunetano Regi, tanquam vero domino, atque patriæ liberatori se in eo dare significantes. Quæ omnia contēplatus Iacobus, similia in castris fieri, totaque nocte, ignes, & lumina præferri, ac circumduci iussit; vt etiam vr̄banis innotesceret, obfesso res ignaros non esse trāsmarini auxilij, ac neque eius aduentu terreri. Ferunt ea nocte, in castris parua quædam tormenta ignea, in modum æneorum, dipalmi longitudine, inuenta fuisse, ex quadruplicibus papyraceis, siue membranaceis chartis, oreque angusto confecta. Quæ sulfureo puluere plena, iuncisque alligata, vt primum successa proieciabantur, usque adeo radiantis, atque cum stridore erumpentis virginis, efferebatur in altum, vt quæ irent, halonū, caprarumvè, seu crinitorum potius Cometarū instar phænomenū, viam inflammarent: quæque eousque coruscarent, donec ruptis eodem impetu chartis, in horrida tonitrua desinerent. Quibus ignitis prope monstris (vulgò cohetes, seu verius cometes appellabatur) in vr̄be supra muros iniectis, vr̄banos mirè cōterritos fuisse, atque malè sibi ominatis auspicij loco illa habuisse, fama tulit. Indeque fuit vr̄be capta, hucusque seruatū, vt pridie dici festi beati Dionysij Arcopagite, vesperi, huius noctis, qua Tunetana auxilia propulsata fuerunt, memoria eiusmodi ignitis facibus, & cometis, cum magno tintinnabulorum, ac tympanorum sonitu, clangoreque tubarum, celebraretur. Itaque vr̄banorum spes subsidij, quæ Tunetanorum ostentatione tantopere erecta fuerat, solertia Regis, ne sese cum vr̄banis cōiungeret, quam primū abiecta fuit; atque illorum subito discessu euauit. Quippe qui post biduum, ex quo appulerat, littora relegentes, Peninsulam venerunt, in ipsamque è nauibus descendentes, vt primum adoriri incipiunt, ab oppidanis illico, Ferdinando Perezio Pina, & Fernando Ahonesio ducibus, & arcis præfectis, reiecti fuerunt; atque in naues regredi cōpuli. Post verò à Dertosanis, & Tarracoenensibus, qui mandato Regis fuerant cum classe præstò, terramarique repulsi sunt, & decem & septem ex eis occisi. Vnde Tunetani mutata velificatione, in altum prouecti, non amplius visi sunt. Quibus peractis, libero mari nauigantes Dertosani; re frumentaria, atque omni comœtu, & cibarijs castra repleverunt. Creuerat autem exercitus, ac bellatorum numerus eousque, vt equites vtriusque armaturæ

O mille

mille fuerint; pedites verò sexaginta mille; ac nihilominus, tanta erat rerum in castris affluentia, quanta in optima Republica beneq; moxata ciuitate vsquam potuisset inueniri. Quamobrè oppugnatio inferebatur tormentis, atque machinis, die ac nocte, muros quatientibus, ac etiam vrbani in Regios, ad eos à continua oppugnatione diuertendos, irrumpentibus; nihilq; vtrinq; intentatum relinquentibus; quod aut oppugnationi, aut propugnationi esset necessarium. sed factum est, vt ex nostris ceterum equites, qui in erumpentes impetum fecerant, ac per portam eos Xereanam, quae fuerat à custodibus derelicta, in urbem compulerant, cum illis permitti in illam irruperint; ac quindecim interemptis sarracenis, incolumes in castra redierint. Postridie id ipsum tentarunt Aquitani Narbonensis Antistitis, sarracenorum pugnandi vsus ignari; quorum mos est primò, magna cum vociferatione impetum in hostes facere; deinde subito, quasi terga vertentes, se recipere, vt irruentes in se hostes, aut in insidias deducant, aut sese demum in alas, atq; in orbem extendentes, illos circumcludant. Vnde Aquitani eos tanquam fugientes insecuti, muro appropinquantes, infinitis fuere sagittis confixi, magnoq; accepto damno in castra reuersi. Ac non multò post, repetitis frequentatis eruptionibus, forte dum ab exercitu nostro sarraceni in urbem compelluntur, atq; Iacobus suos ne ardore pugnae admitti hostibus, sese in urbem immitteret, remoratur, muro appropinquans; sagitta ictus in fronte vulnus accepit, non admodum periculosum; tamen si necesse ei fuerit, sese in tabernaculum recipere; ibiq; se continere diebus aliquot, propter consecutum ex vulnere faciei tumorem, eoq; aspectu impeditum oculum. Sed post diem quintum conalescens, minime se continere potuit, quin prodiret in publicum, vt & suis animos adderet; & hostibus ob illatum vulnus elatis, detraheret; nihil enim ei magis in delicijs erat, quam cum comilitonibus suis (eo enim loco strenuissimum quèq; militem habebat) versari: vsque adeo assuetus armis erat, atq; vt magnanimus, vtq; per diligens, sic omnibus militaribus functionibus sese immiscebat, vt non summi modo Imperatoris, sed gregarij quoq; militis munus impleteret: persepeq; acciderit ad subitum, repetitumq; armorum strepitum, vt noctu electo conurgens, arma, & militare sagum supra anterulam indueret, arripensq; gladium, cui Tifonomen erat, Mōtione

missus,

missus, qui fortissimus habebatur, in hostes irrueret. Interea Petrus Cornelius, & Simon Vrra, aliquid se dignum edere cupientes, in scio Rege, alijsq; proceribus conuenientes, turrim quandam portae Bozellanz proximam oppugnare statuerunt: in eamq; ad tertium diem, de tertia vigilia surgentes, iuncta suorum cohorte, impetum fecerunt: sed qui propugnabant sarraceni, quamuis numero pauci, tamen opportunitate loci, atq; telorum copia, eatenus se, turrimq; validissime defenderunt, quoad subito aperta porta illa, tantus erupit sarracenorum numerus, vt proceres cum suis, accepto damno, ab oppugnatione excefferint; quod iniquissime Rex tulit, non tam ob acceptum damnum (id enim illos comersuisse dicebat) quam quod iniustitiam suo, turrim aggressi fuerint: statuitq; vt postero die turris oppugnaretur. Quare diluculo cum equitibus ducentis, & quattuor peditum cohortibus, turrim ex machinis, concursu facto, atq; sagittarijs incōparentes propugnatores intentis, turris cocuti coepit: fuitque adeo omni ex parte munita erat, vt vniuerso serè exercitu oppugnante illa, à decem tantum modo praesidiarijs militibus defenderetur. Ex quo elato illi animo, vsque adeo atq; seculo erat, vt & nostros derideret, & socios, qui se adiuuaret, nullos admitteret, quinimmo in nostros; qui ad deditioem eos inuitabant, intentius collinearent. Quamobrè ignita naphtha à Regijs immissa, obuia quæq; corripuens, magnam excitauit incendiū; quo turris vsque adeo ardere coepit, vt tota cum propugnatoribus, quos ingens sublatum fumus suffocauerat, combusta corruerit; tanta celeritate flammæ, vt omnem sociorum diligentiam & opem prauerterit. Quapropter urbani videntes, se, omni defensione, auxilioq; destitutos, atq; comestum & alimenta deficere; cum nullas eaestate fruges collegissent (fuerat enim eorum ager ab exercitu, antequam essent maturæ illæ vastatus) in deditioem omnes inclinarunt; ad eamque Zaeni persuadendam mittere vrbis primarios; aut si renueret, ipsam cogere, statuerunt. Per id temporis cum Iacobi fama, eiusque gestarum rerum gloria vniuersum orbem peruagaretur, atque optimi, & bellicosissimi Imperatoris nomine celebraretur; superiorque potentia, & armis ceteris Christianis Regibus haberetur; ab Italis olim orbis domitoribus, ipsoque summo capite ac Romanæ vrbis Rectore accersitus est, vt afflictam tandem, propeque

O 2 profra-

prostrata Italia, maximè verò sacrosanctæ Romanæ Sedi, opem ferret: quas Federicus Imperator eo tempore, iniquo bello, & contumelijs, summa cum impietate affligebat, multisq. calamitatibus, & cladibus persequeretur; atrocissimū Cremonensē, Matuanā, & Ticinensē, nobilissimis ciuitatibus, bellū inferens; quo Italia omnis cōcussa erat, totiq. interminatus ille fuerat, se sub acerbissimū eā missurum iugum. Ad quā rem suscipiendam sæpius à Gregorio IX. Pō. Max. rogatus est Iacobus; Federicum impiū omnino esse, atq. anathemate dignum, doctus: propterea quod nō modò in suam matrē Ecclesiam, & Christi sacerdotes cōspirauerat, sed vt sauus, & inhumanus in Henricum natū maiore filium, Iacobi consobrinū, ad Regnum Germaniæ adscitum, manus iniecerat, ipsumq. in carcerem intruserat: ac propterea quod Pontificias partes foueret, non solū Regno, sed vita priuauerat. Vnde Mediolanēsis, Bononiensis, & Placentina, præstantissimæ Italiæ ciuitates; quibus eiusmodi bellū iā imminabat, legatos cū literis Pontificijs ad Iacobū miserunt; qui summis precibus ab eo peterēt, vt Ecclesiæ sacrosanctæ, atq. vniuersæ Italiæ, quibus ab impio tyrāno vltimum excidium parabatur, subueniret; Ecclesiasticq. præcipue ordinis, & Imperij tutelā susciperet. In eius autē expeditionis sumptus c. l. milliū librarū Imperialiū (sic loquebantur) & in singulos annos, iura atq. annuos redditus, qui Imperatoribus in Cisalpina Gallia pendeantur, promittebant: seq. patroni, defensoris, ac gubernatoris loco ipsum; Romanā verò Ecclesiā, protectoris habituram; ac totam demum Italiam, patris, patriq. liberatoris nomine perpetuò donaturā. Legatis auditis; atq. magnificè exceptis, dū respondere parat, eos deduci iussit per castra; ipse verò conuocato consilio, ex Regina femina prudentissima, & Oscensi; Casaraugustano, Vicensi, & Segobricēsi Antistitibus, vnā cū Téplario, & Hospitali promagistris, alijsq. Aragonensibus & Catalanis proceribus, proposuit quā breuissimè. Expeditionem Italicam offerri sibi, quo tempore in Valentina oppugnatione esset: proinde vtram vtri præferret, ab ipsis exposcere. De qua re ardua sanè, difficilique, postquam in vtramque partem satis disputatum est; tandem communi omnium sententia deliberatum fuit, ne fauenti, aspirantiq. fortune, atq. ad permagnas, & grauissimas res bene gerendas

rendas sese offerenti deesset; diuini quippe esse numinis, ad tantū negotiū vocari, quo & Ecclesiæ sanctæ subueniret, & Italiæ succurreret, vt Catholici Regis inde nomē tantopere à maioribus suis expectitū, ipse forti dextra acquireret. Valētinæ enim res, in eas esse angustias adductas, vt cū tanto exercitu, facile possent earū intra paucos dies potiri; atq. cōduplicato victoris nomine Italicam expeditionē obire. Quæ deliberatio cū Regis magnanimitate valde conueniēs, rem eò deduxit: vt in ipsis castris Rex cū Legatis pacisceretur. Atq. in primis, ipse recepit, se in Italiā duo millia equitū ex nobilitate delectorum bellico cum apparatu trāsmisurum; & in Lōbardia, Marcha, Treuisana, aut Romandiola, vt petebatur, bellum cū Federico Imperatore, eumq. sequentibus ciuitatibus, vsq. ad internationē gesturum. Quibus rebus cōstitutis, Legati, qui Regias res, & potentiā longè esse maiores fama apprimè recognouerāt; atq. Regis erga se liberalitatē experti fuerant, læti cum illius mandatis in Italiā reuertuntur. Verū non multò post, aut versutia & calliditate Federici, qui aduentū Iacobi extimescens, cum Pontifice, vel fictè in gratiā redierit; aut quòd ciuitates lætius, multoq. remissius in apparado bello se gesserint; vel potius, quòd minimè diuini numinis fuerit; vt pro subeundo, & sustinēdo alieno bello, id, quòd domi gerebat, desereret, & Regnorum res turbarentur; siccirco cū ab illo abstinuit, tū Valentinum felicissimè confecit. Itaq. Septembri mense cū esset in iugo Sol, iamq. non vna parte tantum; sed crescente exercitu, vndiq. obfessa vrbs, non fame solum, sed armorum inopia vehemēter premeretur: ac neq. à trāsmarinis, neq. à propinquis Murcensiu, & Almeriensiu Regibus, vlla auxilij spes Zaeni relicta esset; de deditioe cū Iacobo agere decreuit. Quare Haliabatanū nobilissimū sarracenum ad eū misit; qui secretò Zaenis mentē, & pacta, quibus erat vrbe traditurus, exposuit; tætsi qualia ea fuerint nemini tunc cōmunicandū Rex duxit; sed legatū protinus in vrbe remisit, quo ingresso, statim Abulamatus Regulus, Zaenis sororis filius, in castra venit; quē iussu Regis, Nunnius Sanctius, & Raimundus Berégarius Agrens, procerum primi, in ipso vrbis egressu exceperunt, atq. dū ad Regē deducitur, ecce duo sarraceni equites (ne omnino ex obfessione succubuisse animo vrbanis, atq. viribus cōcidisse putarētur) vrbe

excuntes, intentis hastis, atq. exultantibus equis, ad Regia vsq. tabernacula decurrere, duos ex nostris ad singulare certamē prouocantes; cumq. illico pleriq. sese ad illud accingerēt, Simon Perezius Tarassona Regis domesticus nobilissimus, ab eo petijt, vt sibi atque alteri nobili socio daretur, cum prouocatoribus in certamen descendere: quod Rex prohibere voluit, Simoni obijciens peccata, & vitia quedam, quorum scditate, & pondere pressus ab ephippio excussus, haud dubiè, succumberet: sed eo factus importunior Simon exire permissus est; quare infestis hastis concurrētes, ictu Sarraceni Simon præceptus est. At verò Sarracenus alter, cū nobilem Petrū Clarianā Catalanū à Rege aduersarium illi assignatum, alacriter irruentem, contento cursu peteret, media in arena, equū in ciuitatem flexit, ictumq. vitauit: tanta celeritate, vt fugientem, & flumen transgressum, frustra fuerit insequutus Clariana. Itaq. Abuamatus, qui certamen spectaturus substitit, iuncto sibi Sarraceno victore, atque Nunnio & Raimundo comitatibus, in castra venit, à Regeq. honorificè exceptus fuit, ac dimissis foras omnibus Antistitibus, & proceribus, soli ambo, Regina tantum præsentē, per interpretem, inter se egerunt; multisq. vtrinque deditiois propositis conditionibus, quarum etiam Zaen factus est certior; tandem urbem & arces, oppidaq. cis Sucronem (quamuis pleraq. iam Rex cœperat) Regi se traditurum, ea conditione spondit Zaen; vt urbani incolumes, auro, argento, armis, bonisque exportatis, Cullarim, & Dianium oppida deducerentur; vtq. post quintum diem exire inciperent. Placere Regi, & Reginae conditiones; ac statim Rex, conuocatis Antistitibus, & vniuersis proceribus, tradi sibi urbem, quibus dictum est pactis, & conditionibus significauit. Quæ cum à Nunnio, Vrrea, Assagra, & Cornelio audita fuere, mirè inter se fremere, atque immutato vultu, animo conturbari cœperunt: aut quòd dum ageretur de conditionibus deditiois, eos Rex non conuocauerit: aut quòd vniuersus exercitus tanta prædæ, atque direptionis spe fraudaretur. Vnde commurmurantes, de præcipiti, peneq. inuidiosa Regis deliberatione conqueri cœpere: obijcientes oppugnationem, & prædā Balearicæ urbis; quòd ea, cum non amplius, quàm mensibus

quatuor-

quatuordecim absoluta fuisset; tamen direptionis potestate facta, milites locupletissima onusti præda abierunt: At verò quòd in Valentina, in qua annos quinque exegerant, tot tantosq. simul in expugnanda vrbe labores impenderat, qui sola direptione urbis cōpensari poterant, ea defraudati fuissent; non vt illiberale modò, & iniustum; sed iniurium, atque ab veteri Regis liberalitate alienissimum, & tanquam indignissimum damnabant. Sunt autem qui scribunt, hæc ad Regis aures peruenisse, ipsumq. statim aduocasse ad se Nunnium, & eos, qui comparatione Balearicæ direptionis, Valentiam multo magis deberi militibus asserebant. Ad quos Rex, Admirari, inquit, satis nō possum, iniquum vestrum, ac præposterum iudicium; qui Balearicam expeditionem, eiusq. direptæ urbis occasionem, cum Valentina conferatis; similibusq. rationibus vtramque niti velitis. Nam etsi quinquennio, & eo plus Valentina oppugnatio confecta fuit; Balearica verò mensibus dūtaxat quatuordecim; adeò tamen hæc, & periculosa, & difficilis, atque laboriosa, & sanguinaria euasit (Guillermo Benearnensi Comite, & Raimundo Moncada, cum alijs decem Moncadis principibus viris, à Sarracenis interemptis), vt neque horum, qui totius exercitus primates erant, effusus sanguis; neque qui mortuorum familia & clientela fuerat; permiserint, ipsos inultos relinqui. Verum in Valentina, tam Regni, quàm urbis expeditione, vix vnum quidem ex vniuersis proceribus interisse conspexistis: sed in congressionibus, & eruptionibus, Christianos Sarracenis longè superiores semper fuisse: atque Enesiano pralio, non modò paucos de tam multis triumphasse; sed parta etiā victoria prædam & spolia amplissima, locupletissimaq. à deuictis reportasse comperistis. Quæ si cum tot, tamq. frequentibus Valentini agri vastationibus, & direptionibus, quas Christiani fecerunt, coniungatis; facile profecto, quamlibet opimam urbis direptionem exquasse intelligetis. Ad hæc, ipsa aggressio, atque direptio urbis, vbi adhuc militum triginta millia sunt, adeòne à periculo immunis futura est, & vt sine nostrorum sanguine, & laments, sineque multorum interitu bonorum confici possit? Quòd si obijcitis, sufficere incolumes illos dimittere; id, aut dabitur illorum

O 4

inuieto

inuieto animo, qui sine vita citius, quam sine re discedere cogitant; aut nostræ potius liberalitati, ac clementiæ; nam vacuos, & sine re dimittere, nonne tacita esset eos morte, quam fert inopia, dānare? Satis ergo prædæ loco cessurum sperate, tum ditiones, ac potentatus, toto Regno proceribus diuidendos; tum prædia & suburbana, præcipuis belli administris à decurione ad ipsos vsque duces exercitus distribuenda; tum proprias quoque domos militibus viri-
 tim in tam excellenti vrbe tradendas. Qua Regis oratione Nunnius, alijq. proceres, cum vniuerso exercitu pacati, se denuo ad ipsius imperata exequenda paratissimos esse responderunt: fuereq. nonnulli, qui Regis verbis ac promissionibus excitati, ab eo petiere, pro laboribus, totq. impensis in bello factis, tantundem, vrbe capta, ratione mercedis assignari sibi ex prædijs, in eorum diuisione facienda, quibus Rex liberalissimè concessit petita, atque diplomate obsignauit. At verò hæc donationes, tot, tantæque fuerunt, vt postea in diuisione agrorum, controuersias, & lites quamplurimas, vt dicemus, mouerint. Postero die, vt pactionis ordo cunctis innotesceret; atque auidæ militum manus à direptione continerentur; conuentum fuit, vt misso in urbem vexillo Iacobi, præstituta hora insequentis diei, urbani illud, in signum deditiois, in præcella turri, quæ supra portam templi sita est, extollerent. Fuit enim eo die, nouum à Rege insigne datum, atque in summo vexillo Regio collocari iussu, argentei scilicet vespertilionis simulachrum. Cuius quidem insignis, eiusque propositi causam, tametsi neque in commentarijs Regis, neq. apud scriptores alios plenè expressam inuenimus; tamen ex ipsius vespertilionis natura, cum Regijs comparata factis, sic inuestigandam, atque ad Regis mentem accommodandam duximus. Est siquidem vespertilio, auis, quam vulgò quoq. murem penatum, aut cecum appellant, ab eo dicta, quod lucis impatiens, sub vespertinū modò crepusculum volare incipiat, & duabus membranceis, vt inquit Plinius, pinnis connitatur; & geminos filios pariat; & mammis lacte nutriat; atq. vtrumque amplexa, secum, quo vult deportet: quin & dentes etiam excarnificandis culicibus exertos habet; hamatisque ac vncinatis manibus rapit; tenetque rapta mordicus; ac licet aspectum præfert horribilem, in vnam tamen lenem, atque

atque longam definit coxendicem. Ad quem sanè modum Rex oppugnationi vrbis intentus, visus est in tenebris vespertilionis more volare: dum secretò, nec consultis suis, de deditioe vrbis cum Zaene egit, eaque non antea, quam perfecta, diuulgata fuit. Vnde vt vespertilioni non pennæ leues, præpetesue, sed membranaceæ, graues videlicet, & pòderose ad volandum datæ sunt; sic in exequendis consilijs Rex, & peragendis negotijs, se, non subitum, ac præcipitè, sed grauem & maturum præbuit: quiq. & geminos, quos progenit filios, Petrum & Iacobum circumquaque secum belligerās deportauit; vt paterno suo illos exemplo & gloria, quasi lacte enutriet: vel potius, quod per id temporis, duo potentissima strenuè debellata Regna, Balearicum, & Valentinum, quasi gemellos pepererit; eaque dum perpetuò circumcurfat, suoq. sanguine & armis protegit, tanquam lacte nutriuit; quod quæ iidem armis, quasi dentibus, non tam in Christianos, quam in ipsos Christianorum culices, & tortores sarracenos, assidue vsus fuerit. Ex quo hamatas, ac vncinatas manus ad capiendum, oppugnandumque, & capta retinendum, semper habuit: quoniã quæ semel bello Regna cepit, mordicus atque tenacissimè conseruauit: ac neque ex partis, neque ex successione sibi relictis ditionibus, quicquam vnquam amisit. Quin etiam cum & aspectu, & moribus facilis, ac conspicieudus esset, hostibus tamè vsque adeò horribilis ac formidulosus erat: vt vilo eo, vel audito modo eius nomine, omnes contremiscerent. Deniq. qui more vespertilionis, in longam, lenem, atque atrectabilem coxendicem desineret; prælongam scilicet, atque immortalem sui gloriosi nominis, ac famæ memoriam: quam nō asperam, disparilem vè, sed æquabilem, suiq. semper similem, omnibus superioribus Regibus contrectandam atque imitandam reliquerit. Cum igitur illuxisset dies, Rex è Regia domo, quæ magnificentissimo extructa opere, extra urbem nūc quoque extat, atque ab ea sagittæ iactu distat, in campum exiens, quò vniuersus exercitus, quali ad pugnam conuenerat, ad præterfluentis fluminis ripam è regione turris substitit: ac dum in eam oculos & mētem defigit; ecce Iacobi vexillum in ipsa, in deditiois signum, ab urbanis elatum est: quod vt primū Rex vidit, illicò se ex equo demittens, flexis genibus, ac inclinato capite, terrā deoscu-
 O 5 latus

latus est; seque ad Orientem conuertens, gratias immortales Domino, Deoq. exercituum egit, profusis præ gaudio lachrimis, pro tam immenso in se cælitus collato beneficio: ac protinus præconio publico denunciari iussit, urbanis abire volentibus licere intra quintum diem, atque sua secum arma, & reliqua bona asportare: modo intra xx. dies, Cullarim, & Dianium oppida; cum suo Zaene Rege, se reciperent: cum quo pactæ quoque fuerunt induciæ annorum octo: quo tempore nullum contra eum Rex commoturum se bellum, imò ab alijs commotum, compressurum promisit. Quæ omnia obseruaturum se, non modò iurauit ipse; verum omnes vtriusque Regni Pontifices, tum proceres, atq. ciuitates, ad id ipsum iureiurandum compulit. Zaen etiam omnia cis Sacronem oppida, & arces, dempta Cullari, & Dianio, intra eundem terminum, se Regi traditurum obtulit: ad eaque stipulanda, Zaen Russafam ad Regem venit, fuitque ab eo regiè exceptus. Igitur antequam quintus dies elaberetur, urbani præsto fuerunt cum omni re sua ad commigrandum: iussitque Rex vniuersum equitatum iungi, ac toto eo spatio inter urbem & Russafam, quæ etiã secus oram maritimam iter est Cullarim disponi, vt incolumes urbani abirent; Rege præsentem, adeoque eorum saluti intento, vt quosdam de exercitu in scæminas, & paruulos inuectos, manu sua lætali vulnere affecerit. Fuit autem vtriusque sexus urbanorum discedentium, vt Regis historia refert, numerus quinquaginta milliũ, quibuscum partem equitatus dimisit, qui eos incolumes ad Cullarim vsque deducerent. Quibus abeuntibus, Rex cum vniuerso exercitu & proceribus urbem meritissimo cum triumpho intrauit, mense Septembris pridie festi sancti Michaelis Archangeli, anno Christianæ salutis. M. cc. xxxviii. vt tabulis concordiæ Zaenis & Regis, ac multorum etiam historicorum testimonio cõfirmatur. Nec refert, apud historiam Regis & Marsilij inueniri, sequenti anno fuisse Regem in urbem ingressum: is enim error cum manifestus est, tum Typographo ascribendus. Vtpotecum eadem referatur historia, anno vertere, qui fuit 1239. Regem venisse Mompellerium, atq. hoc ipso anno ad quartum nonas Iulij vidisse magnam illam Solis defectionem, quam describit ipse, vt lib. 13. subiiciemus.

BER-

BERNARDINI GOME SII MIEDIS, ARCHIDIACONI

SAGVNTINI, DE VITA ET REBUS

gestis IACOBI primi Regis Aragonum,
cognomento expugna
toris.

LIBER. XII.



Alentia capta, eaque vt capite, vniuersis Regni oppidis, tanquam membris, similem quoque casum, atque euentum portendente; dum ad ea, quæ vrbis essent componenda, Rex animum intendit, noua se se ei obtulit maiora moliendi occasio. Nam vt ipsi quidem gradus subinde fieret ad Murciense sarracenorum Regnum oppugnandum, statimque semen ad id belli iaceretur; ecce Raimundus Folchius Vicecomes Cardonensis, qui expugnationi vrbis interesse non potuerat, è Catalonia profectus, altero ab ingressione die ad Regem venit, cum expeditissimis quinquaginta è familia sua delectis leuis armaturæ equitibus, atque à Rege petijt; vt quando grauib; suorum negotijs distentus, à tam inclyta vrbis oppugnatione abfuit, sibi permetteret, cum suis tantum erumpere in prima quæque Regni Murciensis oppida; vt strenuum aliquod sui erga ipsum obsequij & obseruantia testimonium ederet. Quem Rex excipiens amantissimè, atque ipsius animi magnitudinis, bellicæque virtutis memor, se moræ excusationem perlibenter, dixit, admittere; mirari tamen ipsum, quòd facinus tam valdè arduum, cum tam parua, benè licèt armata, manu equitum aggredieretur: verum oblata ei pedestri, quam ille renuit, adire quò vellet permisit; com meatum, omniaque ad expeditionem necessaria, de castris suppeditari iubens. Cui abeunti Artalus Alago Blasci filius, se comitem obtulit; iuuenis bellicosus admodum, & cui pernota erant Murciensis Regni loca omnia, quæ ipse Aragonia exulans, vt diximus, diebus nò paucis collustrauerat. Quare de omni re factus certior Raimundus,

Vilic-

Vilienam inigne oppidum, quod primum sese ex Murciensibus offerebat, diripere decreuit: idque intempesta nocte, & ex improviso intrantes equites, ac nihil tale sperantibus, neque excubias agentibus oppidanis, antequam hi arma capere possent, maiorem partem oppidi diripuerunt. Sed dum totum praedari conantur, sarracenorum ex suburbanis tanta fuit concursio, atque impeditis vicis, tam acriter cum Folchijs dimicatum, ut coacti ij fuerint, seruata, atque acta ante se praeda, oppido excedere, perque agros vagari, quoad in proximum oppidum, Saixum vocatum, incurrerent: quod etiam inuaserunt, equitibus partim ad dimicandum, partim ad diripiendum vicatim immisis. Sed dum urgentibus oppidanis, sese ordine in unum recipiunt, Artalus caput lapide acerbè ictus, equo deturbatus est, ac illico mortuus. Qua de causa Folchius cum suis oppido abiit, atque summo cum labore & difficultate, conseruata praeda, cadauer Artali iustulit, Valentiamque deduxit: de quo vehemèter Rex doluit, ibique honorificè, sine tamen cantu, & lamentis, exiguo elatum funere sepeliri curauit. Cuius ossa postea in Aragoniam translata, in sepulchris maiorum illius condita fuerunt. Itaque collaudatus à Rege Folchius, quod iter sibi ad Murciensem expeditionem tam strenuè aperuisset, multis ab eo muneribus donatus abire permissus est. Sed insistente Folchio, ut sibi, suisque manere liceret, Regem ad conficiendam reliquam Regni expugnationem iuuaturis: gratam, acceptamque eius mentem Rex se habere dixit, sed operam interim fore superuacaneam, propterea quod ad ea, quae pacis essent, non quae belli, tunc esset omnem mentem adhibiturus: Ut tamen occasio ferret, ita illius pollicitationibus & ope protèpore se vsurum. Itaque abeunte Folchio, Rex ad componendas res ciuitatis, religionem scilicet inducendam, leges ferendas; ac domos, praediaque, & suburbana ducibus, & militibus diuidenda, se totum conuertit. Nam primum quidem urbem ingressus, assistentibus Antistitibus Ecclesiarum Aragoniae & Cataloniae, qui Valentinum secuti bellum fuerant, maiorem urbis Aedem Mahometo dictam, ubi sarraceni solennia impiae suae sectae celebrare solebant, petijt. Ibi a Tarraconensi Antistite, suffimentis, lustralisque aquae aspersione, atque sacerorum prolatione verborum, cum multiplici crucis signo,

expia-

expia impuritate loci, sacrum solenne, constructo altari, ab electo primo Valentino Episcopo fuit celebratum. Iamque Rege, & alijs maximas Christo gratias ob expiatam in ea vrbe impietatem Mahometanam, & verae Christi religionem inductam, reddentibus; ipsamet Aedes in honorem, & nomen beatissimae Virginis, & matris consecrata fuit; post tot illius mutatas olim appellationes: quarum prima Romanorum tempore, ut ex lapidibus incisis, alijsque vestigijs, & monumentis litterarum colligere est, Dianae fuit: deinde occupatibus Hispaniam Gottis, & religionem Christi suscipientibus, Seruatoris, ut creditur. Post sarracenis Regnum cum reliqua Hispania inuadentibus, Mahometi. Rursum Ruizio Diazio, cognomento Cidi, strenuo Castellae Regulo, qui eandem urbem è sarracenorum manibus eripuit, ac Christianis restituit, diui Petri: sed breui recuperatibus postea urbem sarracenis, iterum eotaminata, Mahometo celsit: quoad Iacobus denuo expiatam illam, sacrae Virgini in perpetuum dicauit. Tanta enim se pietate, ac religione sacrosanctae Virgini obstrictum putabat; ut eidem omnia sua vota nuncuparet; templa, atque facella vbiuis à se exaedificari iussa, eius omnino nomini dedicaret. Nec aliunde quam huius exemplo Regis emanasse creditur, tam frequens ille Valentinorum, tamque pius ac religiosus erga eandem Virginem cultus; ac maior, quam Christianarum vbiuis gentium deuotio, & consecratio. At verò, ne in Aede illa veteri, aut structura, aut parietibus, horumque emblematis, turpis aliqua Mahometi memoria renouaretur; Iacobus iisdem pietate, ac religione motus, cum Antistitibus, proceribus, & omni populo, magna cum pompa sacerdotum ad illam venit: ipseque primus, sumpto malleo, ad eam coepit diruere, quem sequentes Antistites, post proceres, militesque, & populares, breui tempore complanarunt; quoad omnino aequata solo, atque purgato loco, simili ordine templum coepit erigi amplissimum, ac sumptuosissimum, quale nunc videmus, suis sacellis, altaribus, diuorumque simulachris ornatum: quodque A sylo etiam Rex esse voluit, atque multis immunitatibus donauit. In quo item Gregorij IX. Pontifi. Max. concessione, Principem ac Episcopiam Sedem; ut vocant, Cathedralem erigi curauit, & antiquam diocesim instaurauit. Quae tamen temporibus Bambae Gothorum Regis To-

gis Toletanae provinciae contributa fuerat, Rex tamen, cum esset vrbe potitus, voti reus, Tarraconensi subijci, attribuique decreuit. Quae planè instauratio, siue restitutio Episcopii, quoniam concessa diplomate, & à Pontifice missa, ad septimum Idus Octobris sequentis anni, qui dies festus beati Dionysii martyris celebratur, facta fuit: idcirco eodem festo die, perpetua, anniuersariaque Episcopii, atque omnium sacerdotum pompa, subsequētib; Magistratibus, cum vexillo regio, & vna cohorte militari, omniq; genere Musicorum, lustratio per urbem fit, ac supplicatio ad diui Georgij martyris Regni patroni, in illius diei, atque restitute Pontificiae dignitatis memoriam. Huic ergo Ecclesiae electum à Rege, & à Tarraconensi Antistite, Ferrarium sancti Martini, Tarraconensis Ecclesiae praepositum, virum doctum ac per sanctum, magno cum applausu populi, idem summus Pontifex praefecit: eamque aliarum Ecclesiarum instar, Canonorum collegio, distinctisque praefecturis, quas vocant Dignitates, ad praecipua in Ecclesia obeunda munera decorauit. Quin & diuino animaduerso Ecclesiarum iure, decumis omnibus totius dioeceseos dotauit, easque Antistiti, Canonicis, atq; Dignitatibus diuidendas tradidit. Reseruata sibi tamē suisque successoribus Regibus, indulgentia Pontificis, tertia decumarum parte, in compensationem & supplementum infinitorum prope sumptuum, qui tam in debellando Regno à Rege facti fuere; quam qui postea faciendi essent in ipso conseruando. Sed illud quidem permirum, quot, quamque pijs propitijsq; legibus, ac plebiscitis (foros nostri vocant) Ecclesiasticas res, & census, ad Ecclesiasticorum commodum & immunitatem sanxerit. Deinde alia sacra urbis loca inuisit; praecipue verò carceres & ergastula, in quibus acerbissima quaeque tormenta & ignes passus est inuictus Christi athleta Vincentius Oseensis, tam intra urbem, quam extra, & in qua mortuus fuerat proiectus: in cuius honorem caenobium cum amplissimo templo exedificari fecit; quod etiam Asylo esse voluit, iisque immunitatibus, quibus urbis templum maximum, donauit, atq; Cisterciensi ordini addixit, simulq; praedijs, alijsque censibus magnifice ornauit: Xenodochio pauperum peregrinorum adiuncto, ad cuius valuas, siue in eius porticu, accuratissima, expressissimaq; ipsius imago Regis ad viuū depicta, post

trecent

trecentos & quadraginta annos, adhuc ferè tempora inuoluta. conspicitur. Tandem ad domos, praedia, & suburbana militibus diuidenda animū intēdit. Quae in re labores incredibiles sustinuit, vel ob id maxime, quod ante urbis oppugnationem, plures ipse & dium donationes, agrorumque assignationes fecerit, quam ades, agrique postea fuere ad diuidendum inuenti. Vnde à ciuitatibus, quae bellum fecerant fuerant, incipiens, vicos eis in vrbe distribuit, in quibus illae veteribus dirutis domibus, nouas atque praecelsas aedificauit. Extant enim adhuc, & vicus Caesaraugustanus, & vicus Barcinonensis etiam in noua vrbe extra muros veteres constructus, nouoq; murorum ambitu comprehensus. Quin & Turulensibus cum eorum montana ditione, portam urbis principalem assignauit, quae Turorium respicit, mediam inter duas praecelsas turres, quae Serranorum, id est, montanorum, quarum caput est Turorium, cognominata fuit. At vero ex ciuitatibus Aragoniae Calataubio, Iacca, Osca, Tirafona, Daroca, Borgia, Albarrazino, Barbastrio, & Montione: Quin & Cataloniae Perpiniano, Gerunda, Tarracone, & Dertosa, viros per celebres, cum illarum agnominiibus excepit: quorum ab egregie factis propagatum nomen,obilesque familiae, adhuc usque tempora perueniunt. Quamquam Ilerdensibus quidem, eo quod fuere primi, qui murum urbis in expugnatione perforarunt, atque aditum ad eam tribus locis exercitui dederunt, perinde ac si murum ascendissent, quae pollicitus Rex fuit, concessit. Promiserat enim obsidionem instituens, Ciuitati, cuius ciuis in oppugnatione primus murum ascenderet; quod is tanto sese periculo exponēs, vitae suae quasi trutinam Fortunae ad obtinendam victoriam committeret; nec non & suam carnem pro Rege despiceret; illam, tunc libram & mensuram urbi daturam: tum etiam trecentas indotatas puellas in urbem missuras, à Rege cum dotandas, tum strenuis exercitus viris collocandas. Praeterea non ex Catalonia modo, & Aragonia, sed ex Aquitania etiam permultae familiae inchoatae fuerunt ab ijs, qui cum Archiepiscopo Narbonensi expugnationi interfuerunt; vt Narboni, Carcaffoni, & Tolosa. Nec defuerunt, qui nobilissimam Romanorum familiae, vna cum cohorte auxiliaria, ea ipsa in expugnatione, Valentiam inuenerunt. Vocati quidem Romani, accentu in vltima, sic Aquitanis pronun-

pronunciantibus, atque tum copijs; prædijsque affluentibus; tum factis præclari, in alias licet familias, seu cognationes translatis; eorum profferi; tamen Romanorum cognomentum nunquam amiserunt: eoque cognomēto sese permixtae familiarum illustrarunt. Cuius rei causa, atque nobilitandæ urbis gratia, eam dilatari valde, ac extra murum veterem Rex permultum extendi iussit. Iamque Romanorum more, qui colonias deducebant, circumducto aratro, noua erigi mœnia fecit, atque vniuersam urbem duodecim magnis portis patere voluit: fortassis, quæ illius erga diuina semper omnibus in rebus intenta mens erat, vt conspectam, descriptamque ab Ezechiele diuino vate ciuitatem Dei duodecim patentem portis adumbraret. Nam eius quidem instar Valentina, tres ad Orientem portas habet, tres ad Meridiem, totidemque ad occasum, ac tres demum ad Septentriones, cum quinque permagnis pontibus, qua parte alluit eam Turia, in Suburbia, & vias publicas decurrentibus. Sanè vt vniuersis totius orbis nationibus in ipsam, non modo pateret aditus, sed receptus etiam per hospitalis, ac quàm commodissimus: atque vt in communi quadam patria, si modo frugis sint aduenæ, & victus, & vitæ cum virtute cultus affatim inuenirentur. Inde quippe peregrinorum matrem eam, ciuium autem nouercam vulgò appellare solent; quòd ij copiam, in qua nascuntur, despiciunt, facileque amittunt: illi verò ab inopia ad copiam translatis pluris habent, ac ne deperdant, curiosius conseruant. Nouis igitur erectis mœnibus, munitissimoque cincta muro urbs, continuo frequentibus domibus, Templis, cœnobijs, vicis, plateis, xenodochijs, xistis, gymnasijsque, & alijs publicis molibus & operibus repleta, nihil demum in ea vacuum relictum fuit, nihilque otiosum. ex quo multò planè maior illa, quàm antea euasit. Post hæc Rex plebiscita, & municipales leges Valentini dedit, vulgari, patrio scilicet Regis conscriptas sermone, vt populo melius innotescerent: vtque perspicuitate, à varia eas, confusa sæpe, interpretatione iuris, & captionibus assereret. Adeò quippe Rex, tum ex bellica experientia, tum ex Regni à puero gubernatione, excellenti ac confirmato iudicio erat; ac non literis (quamquam neque earum planè rudis erat) ad rei militaris scientiam; sed rebus gestis, & victorijs eruditus euaserat; vt ea in

ztate,

ztate non minus bello gerendo, Alexandro, quàm ferendis legibus; Licurgo similis videretur. Sed grauis interim ab Aragonensibus querela habita fuisse fertur; propterea quòd plebiscita Catalano, adeoque Lemouicensi sermone, barbaro & obscuro, minusque noto Hispanis, quàm aut latino, aut saltim Aragonensi, qui clarior est illo, conscribi Rex iusserit: ex eo quòd plebiscita communi iuri, atque Romanis legibus tantopere niterentur, vt ad planiorem ipsarum intelligentiam, necesse esset ea Romano, quo leges scriptæ sunt, aut Aragonensi tradi sermone, qui cum reliquo Hispano non solum communis est, verum inter ceteros totius Europæ, Romano longè propior, & affinior, fereque idem. Ijs ergo, alijsque de causis, quas mox subiiciemus, Aragonenses linguam suam euulgandis plebiscitis conuenientiore afferebant. Cum quibus consentire, qui tum aderant Castellani, ac reliqui Hispani negotiatores, qui eiusdem linguæ societate Aragonensibus, cum conuenerant, tum à Catalana & Lemouicensi plurimum abhorrebant. Cui conquestioni antequàm à Rege satisfiat, minime fore puto inopportunum, ad cohonestandam præsertim Aragonensium querelam, atque susceptam de vulgato eorum sermone commentationem explanandam, nonnulla de origine Hispanæ linguæ, quam vocant Romanicum, pergensere. Quoniam in primis pacto illa à Romanis deuocata, in omnibus ferè Hispaniæ urbibus, præcipue Osciæ, ad Aragonenses erudiendos collocata fuerit, atque ab eisdem purius, incorruptiusque, quàm à ceteris Hispaniæ populis hucusque retenta & conseruata. Id, quod in primis licet colligere ex tempore. Q. Sertorij strenui Romanorum Ducis. Is namque Marij partes secutus, cogente Sylla, apud Hispanos exulabat; hosque quamuis barbaros, tamen arte condocerens, non solum armis, atque bellandi vsu Romanis ferè pares effecerat; verum modum etiam, quo eos in officio contineret, ac dociliores, sibi que beneuolentiores redderet, inuenerat. Siquidem nobilissimorum Hispaniæ adolescentulorum eruditionem meditatus, Scholas Osciæ institui, in eamque urbem conuocari permultos, atque

P a præce-

à præceptoribus Latinas simul & Græcas litteras edoceri curauit, vt ijs artibus, re quidem obsides haberet, specie autem erudiret: donec ætate virili, eos sibi lingua & eruditione instructos, in partem administrationis & imperij reciperet, vt Plutarchus in eius vita Ducis refert. Verùm et si Osca, de qua Plutarchus, reuera diuersa est ab Aragonensi Osca; quod illa Bætica sit, atque in extremis Turdetanorum finibus, apud quos Sertorius bellâ gefit (vulgò Huescar) constituta; hæc verò inter ramenta Pyrenæorum polita: tamen à vetustate, atque ab ipsa Academiæ diuturnitate habet, vt hæc similiter tunc temporis erecta ibi fuerit, atque lectione perpetuata. Nihil enim prohibet, alios ante, vel post Sertorium, Romanos Duces, vt Catonem, & duos Scipiones, tum & Pompeium, maximè verò Augustum, qui in Hispania citeriore diutius cum exercitu commorati fuerunt; ea ipsa de causa, similem Osce Aragonensium ludum aperuisse: propterea quòd ad hunc condendum, nullum opportuniorem ea vrbe locum inuenerint: quòd eadem, tum situ communito, & ad aspectum præclaro semper fuerit; tum etiam opibus, & agri fertilitate præstaret; necnon maximè mediterranea existeret ad retinendos obsides; quin & ab exterorum quoque commercio separata, ne à continenti studio, & cultu linguæ, studiosi distraherentur: vt ijs linguam edoctis, Romani postea, non modo fidelioribus vterentur interpretibus, & exploratoribus ad exquirenda Hispanorum consilia; ac toties tentatis eorum conspirationibus occurrendum; verum etiam vt in ea proficientes, Magistratibus, alijsque militaribus muneribus præficerentur. Ex quo Hispani tam assiduò se, studio ad perdiscendam Romanam linguam applicuere; vt à pueris ab scholis domum reuertentibus, parentes, fratres, ac etiam sorores, eius dictata sermonis auuidissime exciperent: vsque adeò quidem, vt sint, qui perhibeant, neque alium tum ludum Hispanis pueris, neque aliam, proposito honorario, permissam contentionem fuisse, quàm latinè loquendi, quàm etiam vicatim declamandi; seseque omnes in dicendo exercendi. Vnde non solum vtraque in Osca, sed in plerisque alijs Hispaniæ

paniæ

paniæ oppidis, credi par est; eiusmodi Scholas institutas fuisse; vt in eis non modò verba, sed disciplinæ, ac res, quibus verba inhzrent, traderentur. Neque enim aliter Hispani omnes Romanum sermonem sic prorsum imbibissent, eoque tam familiari, ac quotidiano vsu fuissent, vt proprium, ac vernaculum, qui ab eo tempore obsoleuit, non solum antiquarint, sed Romanum quidem cum doctrina coniunctum, in quotidianum vsu conuertierint; & quem sic mordicus retinuerint, vt neque noua Gothorum, neque barbara Maurorum, consecuta linguarum in Hispaniam inuentione, Romanam vnquam abiecerint; nisi quòd progressu temporis, Romanorum ab Hispania discessu, deficientibus vocabulis, Bætici pleraque ex Arabica Granatensium vicina lingua nomina vsurpantes, cum latinis permiscuerint. At verò Aragonenses, vt aliarum rerum, sic & optimi sermonis omnino tenaces, purum, quem ex Oscesi præsertim schola sermonem hauserunt, longè fidelius, quàm reliqui Hispani, conseruarunt. Non enim alias, quàm aut latinas, aut ab eis deriuatas voces ferè omnes, Græcas autem per plures, si harum etymon inquiras, vulgò resonare inuenias. Nam & epistolas aliquot latina simul & Aragonensi conscriptas lingua, voce & sensu idem reddentes, legimus; & Græca pariter, & Hispana vocabula obseruata in ea, plus octoginta, notauimus. Adde, quòd neque ex vicinia & commercio aliorum circumstantium, atque barbarè loquentium Regnorum, quicquam peregrinum in quotidiano vsu sermonis Aragonenses contraxisse comperias: cum à meridie Valentinos Sarracenos Arabicè loquentes habuerint; ab ortu Catalanos Aquitana, seu lemouica verba vsurpantes audierint: ab Aquilone tandem, Cantabricam, nempe Vizcainam, & Nauarrensem, vtramque barbaram & difficilem linguam, à primis Hispanis, vt pleriq. autumant, aut à Gothis relictam, vitarint: ac demum ab occasu, Castellanorum commercio, & communitate linguæ adiuti propriam retinuerint. Tandem, quòd fuit omnium præclarissimum, vniuersos intra Regnum relictos Sarracenorum populos non paucos compulerunt, vt Arabica desuefacti lingua, Aragonensi pro vernacula vterentur, vt iam nulla in parte barbara dici possit Aragonensis lingua,

P 2

quæ

quæ tu in latinâ coniunctior est cæteris ; tum inter tam barbaras integra ferè tot seculis , ac incorrupta permansit : Quæ planè de ipsius origine, cultu, & constantia linguæ , eatenus dicta fuere ; ut ostenderemus Aragonensium querimoniam de plebiscitis , minime intempestiuam fuisse ; neque ipsos indignos , quibus Rex morem hac in parte gessisset : cum & Valentini Regni expugnatio, ex antiqua diuisione Castellæ , & Aragoniæ Regum , ad Aragonenses spectarit ; & ipsorum iustus exercitus ad expugnandum illud, suoque sudore , sanguine , & sumptibus acquirendum , Regi non defuerit : ideoque iustè promeruerint , ut suo , atque Aragonensis Regni nomine , & sermone , Valentinis leges & plebiscita traderentur . At verò Rex in proposito susceptoque consilio permansens , causam denegandi postulata non modo iustam habuit ; sed sapientem quoque excusationem : Cum imprimis ad expugnatorem spectet , populis leges pro arbitrio , propria , natiuaque conscriptas lingua ferre : ac modò populis planæ , & apertæ hæ fiant , nihil amplius ornamentum querere . Planum enim , atque comperitum plebi esse oportet , quod ipsius est , aut admonendæ , aut castigandæ gratia latum . Quamobrem capta Valentia , atque vniuersis ab ea tum profligatis Mauris , tum Christianis vndique ad incolendum deductis , necesse fuit expugnatorem Regem in eam , tãquam desertam , vnà cum nouis cultoribus , nouam quoque linguam patriam , atque genuinam potius , quàm alienam , inuehere . Ut scilicet , per eam tum gloriosius tanti expuglatoris memoria populis increbesceret ; tum potiori cultorum parti eiusdem linguæ societate coniunctæ , satis , ut par erat , fieret . Duplo enim maior Catalanorum , & Aquitanorum pars exercitus , qui secuti bellum Valentiam incoluerunt , quàm Aragonensium fuit : neque consentaneum erat , Valentinos frequentissimo terræ , marisque commercio Catalanis , & Aquitanis coniunctos , sermone alio , quàm qui communis esset vtrisque uti ; neque alieno conscriptis legibus , quàm proprio , regi , ac iudicari . Quominus necesse erat plebiscita latino sermone , aut huic affini , idcirco tradere , quòd illa iuri communi niterentur , perque ipsum exponi , siue quod eodem socio , siue assessore , iudicia fieri pronuntiarie deberent .

deberent . Id quippe longè fuit à Regis mente remotissimum , qui hac vna de causa , plebiscita cõmuni , atque vsitato sermone edi voluit ; ut varias , subtiles , atque spinosas sub alieno sermone sæpe ortas iuris interpretationes , cum earum interpretibus de medio tolleret : sed vbi accideret dubitatio iuris , quæ tardos semper facit doctores in iudicando , non ad ipsos , sed ad proborum hominum iudiciũ , qui nudam rei veritatem dignosceret , declarandam , remisit . Neque enim quicquam est imperitæ plebi gratius , quàm à iudicibus de media plebe sumptis , quasi socijs , iudicari . Ijs enim maximè credit ; doctores suspectos , atque inuisos habet . Ne igitur à proposito dilabamur ; talibus profectò legibus . Iacobus Valentiam Rempub. fundauit , testimonio omnium , qui Respub. multas per orbem collustrarunt ; ut nulla planè alia vbiuis terrarum . neque vtatur melioribus , neque fruatur sanctioribus : argumento est vrbs ipsa frequentissima , opulentissimaque ab eo tempore hucusque triplo ferè maior , quàm olim effecta . Vnde tot inter vrbes Valentias in Europa sitas , non iniuria , hæc fuit magna à Gallis appellata . Duodecim enim milibus domiciliorũ cõstat , præter suburbana & hortensia , quæ numero urbana propè exæquât . Iam verò sancitis legibus , ad diuisionem prædiorũ venire necesse fuit : huic quippe omnes vehementer inhiabant ; maximè verò qui ante obsidionẽ & ingressum vrbs donationes sibi immodicas à Rege extorserant : quas quidem spe iam diu deuorauerant , ideoque importunitate vincebant . Quare vicorum , atque domorum diuisione per Aediles à Rege designatos facta , creati etiã fuere duumviri agris diuidendis Assalidius Gudalius Regius cõsiliarius , & Simon Perezus Tarassona , in Regno Aragonum supremus etiam cõsiliarius . ambo viri nobiles ac bello & pace præstantissimi , & qui non modò rerum experientia ; sed legum quoque scientia alijs excellebant (vtraque enim re præstare tũc erat vel nobilissimis per honorificum) scilicet ut ab ijs facta agrorum mensura & modo , vnicuique quantum ex donatione contingeret , assignaretur . Sed de horum electione arbitrũ , ortum est inter proceres murmur , atq. cũ Rege nata expostulatio . Videri quippe dicebant , ne decere quidẽ eiusmodi homines altoqui probos , & literatos , ad tã graue ,

tantiq̄ue ponderis conficiendum negotium, arbitros nominari pre-
stare namque alios ex primis Antistitibus, atque exercitus primo-
ribus ei rei præficere. Quod tametsi Regi displicuit, tamen spe-
rans ipsosmet proceres, tanquam rudes, eiusq̄ue muneris ignaros,
breui sententiam mutatuos, inscijs Gudalio & Simone; statim
quos vellent, se creaturum respondit. Fuere igitur oblato Regi, ex
Episcopis Berengarius Palazuelus, & Vitalis Canellanus, Barcino-
nensis, & Oscensis, Antistites. Ex proceribus verò Petrus Fernan-
dus Assagra Albarrazini dominus, & Simon Vrrea Magister equi-
tum, ij etiam nobilissimi, atque rei militaris scientia clarissimi.
De qua re conquerētibus apud Regē, Assalidio, & Simone; quòd
exclusis se, ac contemptis, alios nominasset: bono eos animo Rex
esse iussit: se enim pro certo habere, earum rerum implicatos insci-
tia proceres, non modò negotium abiecturos à se; sed ad ipsosmet
illud magno cum honore relatuos: ut illud interim omittam, in-
quiens; me scilicet, habere iam in animo quid sequar in ea re, quod
vos facientes, istiusmodi tot diuisionis difficultatibus quàm facil-
limè occurrere possitis. Itaque. IIII viris diuisioni operam na-
uantibus, cum tot sese difficultates offerrent, quas minimè explica-
re poterant, ac proinde diuisionem procrastinarent, siue differ-
rent; magisque subinde esset contra eos, quàm contra priores com-
murmuratum: sponte, se ipsi magistratu abdicarunt, isque omnium
consensu, ad Assalidium, & Simonem denuò delatus est. Quos
Rex ad se vocans, mentem suam eis ad omnem diuisionis difficul-
tatem tollendam aperuit; duo potissimum consulens, ac etiam de-
creto firmans. Vnum, ut quemadmodum apud Balearium maio-
rem in simili prædiorum diuisione tacitè fuit actum, iugera agro-
rum, quæ antea singula duodenos sementis coros capiebant, in po-
sterum lege sanciretur, ut ex senis constarent (iure quippe posse no-
uos Regnorum debellatores, nouas quoque leges debellatis dare)
Alterū, ut donationes agrorum antea factæ recenserētur, ipseq̄. pro
vnu cuiusq̄. reposcentis sumptu, & tempore, quibus ab eodem na-
uata fuit opera militiæ, atque armorum exercitationi, definirentur.
Fore etenim, ut compendium inde magnum ad diuidendum se-
querētur. Quas iugerum diuisiones, atque donationum recensio-

nes,

nes, ad vnguem obseruantibus. II viris, agri non modò donationi-
bus inuenti sunt pares; verum superfuerunt quidem, ex inque. ccc.
lxxx. viri militares; ex Aragonensi & Catalana nobilitate delecti,
exceptis proceribus; prædijs in Valentino agro donati fuerūt. Nam
proceribus vtriusque Regni, oppida, castella, & pagos, beneficia;
iure, prout expugnata erant, à Rege concedebantur. Quorum
omniū familia, ex ea expeditione bellica, summa cum laude à po-
pularibus distinctæ, hucusq̄e floruerunt, carūq̄. permultæ nūc cla-
rent. Inde siquidem ciuitas cæterarum Hispaniæ nobilissima dicta
est, quòd & Aragonio, & Catalano milite, sua ipsius manu & ar-
mis nobilitato, incolæ cœpta fuit, adeoque ad posteros idem animi
robur, bellicaque ingenerata virtus dimanauit, ut Valentino mili-
te; Hispanorum nemo sit, neque ad aggrediendū animosior, ne-
que ad quoduis cōmittendū facinus promptior & paratior. Ut
potè quibus atavorum Saturnia Catalanorum melancholia, qua
secoquitur ira; in Martiam, subitam ac exardentem bilem con-
uersa est. Quæ tamen ne rursus in pertinacem, ac obfirmatam eo-
rundem in vlciscendo iracundiam abiret; sed post bellum rursus
pax fieret; Iacobus singulare ceterum, atque inuicem
permissit, tum ut pari concordia se data bilis concordie locum
daret; tum ut honoris & victoria cupiditate; viribus atque animo
augerentur certantes; ad patriæ hostes aggrediendos. Inde quip-
pe est, ut nulla gens sit, quæ vel feruore sanguinis, vel ardore men-
tis ad gloriam, id genus certaminis minus detrectet; seu potius in
illud feratur magis, quàm Valentina. Cuius profecto robustæ,
tamq̄ue valentis iuuentutis gratia, (quid enim prohibet Valenti-
nos olim finitimis Saguntinis virtute ac robore pares fuisse?) mi-
simè fabulosum putarim, quòd, antiquitate authore, de Valen-
tina hac vrbe vulgo fertur; fuisse quidem ipsam antiquitus Ro-
mam dictam, *in vrbis quædam*, quod est robur: indeque à Romanis in
Coloniã redactam, retenta significatione vocis, Valentiam nun-
cupatam. sicuti in commentarijs de Sale hæc fusius annotauimus.
Fuerunt igitur Valentinis suæ scriptæ leges; ac propria indicta ple-
biscita. Sed hæc cum longè arctiora essent, atque eleucriora Arago-
nijs, ab ipsismet colonis Aragonensibus, qui se ab eis eximi, atque

P 4


Arago-

Aragonijs summitti cupiere, frustra impugnata fuere: respondē-
tibus legumlatoribus, bicipiti fore monstro simile, ciuitatem cō-
trarijs inter se legibus gubernari, cum in tanto hominum ex vniuer-
so terrarum orbe in eam concursu, nisi vnus, atque peculiaribus ip-
sa legibus, sed permittis gubernaretur, necesse esset discordijs, que
maximè ex legum discrepantia oriri solent, eandem euerti. Quā-
quā corundem Aragonensium pertinacia, atque libertatis pro-
clamatione, factum est, vt Valentinijs lata fuerint leges mitiores,
quā pro eorum ingenijs, & offensa natura, nunc ferrentur. A-
dedo enim illarum benignitate, procedente tempore, creuit abu-
sus; vt controuersijs, deceptionibus, dilationibus, atque perpe-
tuandis, nunquā tamen finiendis, litibus; nullib; quā in ea fue-
rit amplior locus datus. Quod si emendationē ista subirent, abu-
susque tollerentur, profecto ciuitas, que tot alioqui, tantisque opi-
bus, facultatibus, ac omnium rerum excellentia prestat, toto ter-
rarum orbe vnica, & perquam sancta esset. Quominus omittenda
sunt, quæ in eius maxima laude poni solent, locique situm, tem-
periem, & amœnitatem, cum tam vberē, variaque fertilitate agri,
mirè commendant. Quæ singula, vt mox subiiciemus, ab ipsismet
primis expugnatoribus perspecta, beneque cognita, in causa fue-
runt, vt Valentinum solum, tanquā patrium, proprio posthabi-
to, perpetuò sibi colendum susciperent. Nam Valentiam ingres-
si milites, non modò Aragonenses & Catalani finitimi; sed remo-
tissimi quique, tum Aquitani, tum etiam Romani, qui, vt dixi-
mus, expugnationi interfuerunt, quasi fata quietas eis sedes Va-
lentiz ostendissent, domorum, prædiorumque diuisionem sibi
quoque fieri, studiosissimè, importunissimèque petierūt. Nec mi-
rū quidem. Viderunt enim urbem (vt breui eius admiranda præ-
dicemus) sub felici sitam sydere, ac quod ad salubritatē aëris, & ter-
ræ amœnitatem pertinet, in optimo atque herbescenti solo loca-
tam, ab ortu quidem mari apertam, vt illic ab exoriēte sole, cras-
si humidique vapores, quibus noctu terra circumfunditur, ante-
quā diluculo surgentes ciues inficiant, absumantur & euanescat:
ab Aquilone verò, ad decimum propè lapidem, perpetuo septa-
monte, vt Borealibus, siue Etesijs purgato subinde flatibus, ijsque
herba-

herbarum florumque odoribus perfusis ipsa fruatur: Sunt enim E-
tesiaz venti tempestiui & salutare non modò hominibus, sed etiā
pecudibus & stirpibus, quorum quoque flatibus nimij temperan-
tur calores: quin & ab occasu imbriferis Castellæ ventis perflatur,
eadem, vt commodiore cæli irrigatione prædiorum fructus matu-
rescant. Demū à meridie lenissimis Austri vêtis æstus in ea tempe-
ratur. nam licet à temperie in calidum æstate semper declinet; ve-
runtamen marinis auris omnibus diebus, dum sol ardentior esse
solet, flantibus mitescit æstus. Quo fit vt cōcurrentibus in eam vn-
decunque mortalibus, nullus cuiquam sit vsquā Valentino aëre
benignior, aut salubrior. Insuper & aquæ non minus quidem in ea,
quā vbiuis gentiū, & salubres, & copiose fluunt. Quandoquidē
Turia fluuius magnus à quo ipsa alluitur, ab eius longinquo ortu ra-
pidus, perque saxosa sese loca præcipitans, vsque adeo colliquatur
vt & purissimis, & medicorum attestacione, saluberrimis excellat
aquis. Quamuis neque puteales, præterquam infuetis, noxiæ quo-
quomodo sūt: quibus ad omnes quidem vsus tantoperè abundat,
vt triginta millia puteorum iugium in ea sint cum suburbanis; ac
neque ij quidem à continenda terre soliditate, atque salubritate va-
cant: quod à terremotibus, alijsque pestilentibus flatibus, solum
defendant, perque puteos sensim spirantes terræ exhalationes, le-
nius erumpant. Accedit illud, quod ad salubritatem vrbs valde
conducit, sitque puteorum beneficio, vt vrbiū Europæ lautissima
sit, habeatque rarum illud, ac propè singulare cloacarum opus, tam
mira arte constructum, vt ad cunctas domus cuiusque sordes elue-
das, forasque sine foetore expellendas, Romanorum cloacis longè
prestat: tametsi à Romanis, vt constans est fama; Gne. Scipione
proconsule; exadificatę, atque constructę illę fuerint. Est enim
vrbs ita disposita, vt qua parte paulo accliuor est ad occasum, ma-
gnus in eam riuus influat è Turia deriuatus, à quo postea subtus in
tres præcipuos alueos dispertitę aquę, ac per concameratas, satisque
amplas cloacas deductę, non modò pluuias cum vicorum sordi-
bus excipiunt (quod Romanorum tantum est opus cloacarum) ve-
rū in se etiam domorum omnium, atque latrinarum feces quo-
tidie per alucolos manufactos in se recipiunt, atque extra urbem

emittunt. Quippe vnaqueque domus sic est constituta, vt puteum & culinam habeat, e quibus emisse, ac suffusa aque in eam alueolum concurrunt, in quem confluunt sordes, & feces domus; quæ humore molliente, per aqueductus in alueos maiusculos, qui sub terram per medios vicos dispositi sunt, excurrunt: ipsæ singulas domos prætereuntes, eodem adiuti humore, in magnos tres illos influunt, atque in hunc modum omnes feces vrbs extra deducunt. Quod si contingat, aut intra domum, aut in vicis obstructa alueolos: id quæ primū dignosci potest, restagnatione; sed aperta ea parte alueoli, repurgari protinus. Nam elata inde sordes, neque intoleranda sunt, neque aerem inficiunt; propterea quod diutius retentæ non fuerunt: haud secus quam in humano corpore experiri est. Etenim in eo, vt summaratio salutaris ab excernente feces aluo, pauloque laxiore ventre, sumitur; morbi verò, à restricto nimis illo emanat; quid rotius quoque vrbs corpus? nonne illuue & sentina retentæ, perquam fiet morbosum? perinde ac rusum eiectis illis, salute quoque fructur: vt potissima vrbanæ salubritatis ratio inde sumatur. Cæterum neque lacus ille magnus, Arabicè Albufera, (paruum mare significat) qui ab vrbe ad tertium lapidem abest, obijciendus est, ac eo, quod ad meridiem expositus, stagnantibus ibi aquis, vrbem inficere existimandus. Nempe cum coniungatur ille aqua marinæ, quæ vnaquidem palustres aquas à corruptione tuetur; lacumque tot è mari pisciculis replet, qui gustu subdulcis aqua inescati, in eum intrant, ut ex quibus crescentibus, neque ad mare regredi permisis, per magnas quæstus piscatoribus, atque vrbi copia obueniat; præter alias aquaticas aues, quæ aucupibus tantum voluptatis afferunt, vt ipse lacus in summis vrbs delitijs habeatur: quando scilicet in eo contingat, vt vno simul tempore nauigantes, dum alij piscantur, alij aues capiunt, alij aprostrantes conlectentur, & se se diuerso voluptatis genere oblectent; quemadmodum in eisdem de Sale, lib. 2. abunde descripsimus. Ad hæc salubritate inuenta, vbertatè agriconsiderantibus, alteram inuenire fuit Aegyptum; cuius, vt serenū semper cælum est, solum verò natura pingue, adeoque ad omnem proferendum fructum aptum, atque habile, vt inundante Nilo, incredibili varietate frugum ipsa exuberet: sic vrbs, cuius cælum, vt plu-

vt plurimum apertum est, neque nimis eius ager infestatur imbribus; non præcellentes modò res, sed sexcenta prope genera fructuum proferre solet, idque opera Turia fecundi fluminis, quod non inundatione; sed leni, artificiosaque riuorum deductione agros irrigans, non solum lætificat, verum pingues reddit vsque adeò, vt omnes, quos fert orbis fructus, confitus Valentinus emittat. Agricolæ enim labore, atque industria fit, vt nunquam otiosus ille sit neque fructu careat: vtque vnus idem, terque quaterque varios intra annum fructus ferat. Cuius etiam non modo conditiones, variæque agricultorum insitiones mirè delectant: sed hortorum diuersæ & artificiosæ constructiones vehementer alliciunt. Adde commodissimam Regni positionem, & figuram ita dispositam, vt ea ferè trianguli formam efficiat. cuius summum angulum suo quasi gremio Aragonia excipiat: duoque latera hinc Castella, illinc claudit Catalonia; mare autem subtendat basim, quæ duplo maior est diametro, qui à summo angulo in mediam basim vbi locatur vrbs, incidit. Quantum enim vrbs secundum mare Aquilonem versus à Catalonia distat; tantumdem rursus, versus meridiem, ponè mare à Castella differt; maioriq; ex parte Regnum cum mari committitur, fitque propterea illud locupletius; quod maiorū illi causa bonorum sit mare, quàm vicina Regna. Idque non ob assiduum tantummodò, ac locupletissimum piscatum, cuius ope vniuersa ora, & Regnum non minus illo, quàm carnibus sustentatur; sed ob quæstuosissimum nauigationis vsum, quo fit, vt, cum variæ merces vndique in Regnum inuehantur; tum quæ Regni sunt, magno etiam cum compendio, & quæstus exportentur. Nec verò, propterea quod vrbs portum non habeat, sed aperto, minusque tuto nauibus mari obijciatur, quodque cõiuncta ei non sit, immò duobus disiuncta milliaribus, quicquã de summa eius laude detrahitur. Hæc enim duplici de causa vrbi fiunt longè comodiora, Nam quid obsecrò, boni, tanquam studij, doctrinæque pabulum colligi, excerpique potest ex præsentis, continuoque aperti maris, quod ferè nunquam tranquillatur, obtutu & contemplatione? cum semper ad illius motum, aut vacillent oculi, aut nutet animus, neque hunc quicquam perattente meditari sinat? sed ingenium potius penè videatur obtun-



obtundi? An vllum est genus hominum piscatoribus à mari oculos nusquam deicientibus obtusius? Insuper ad patriæ securitatem, quid, quam longè à mari esse tutius? Hac enim de causa Liuius vr̄bis Romę distantiam à mari, duodecim vsque miliaribus, in magna quasi ponit ipsius vtilitate. Nam dubium non est, vr̄bis oram portu carentem, tutiorem esse, minusque infestari solitam repentino magnarum classium impetu & incursionibus; ex eo quòd tam infido ibi mari vix sese vnquam classis committat. Quapropter vt Regno subinde vtile est nō multis portibus patere mari: ita paucos illud, eosque premunitos habere, vti habet, longè prestat. Pręterea habet quoque Regnum suos peculiare fructuum redditus in magna copia, quibus non solum, se, ac vr̄bem, sed transmarinos etiā populos sustentet: vt cuius op̄ pida & loca quedā sint, que frumento abundant; alia que vino, tum alia Sacharo: quin & oriza non pauca; spartho pleraque; serico bombicino omnia circumfluāt. At verò quidam inscitę, vt puto, vrbanos insimulant, asserentes, eos de copia, & vbertate rerum falso gloriari; cum ea frumenti, atque carniū saltem veruecinarum inopia laborent; vt quotannis ad se illa aliunde importare necesse habeant: propterea quòd Regnum neque sibi, neque vr̄bi alterutra re sufficiat. Sed errant toto cœlo, qui de his ita iadicant, vt putent Regnum minimè posse suis sufficere. Nam tolle exterorum, aut commeantium, aut in vr̄be & Regno degentium, plus quadraginta milium hominum multitudinem, quos alit Regnum: tolle immensam, vt diximus, aliorum fructuum varietatem, quibus occupantur agri; hosque frumento, atque pactionibus relinque: demum incredibilem vr̄bis frequentiam; vagosque & egenos expelle, atque relicto ab vrbanis abdomine, Laconica eos vti frugalitate compelle; haud dubium, quin horrea, & macella etiam, ad vilitatem vsque abundant. Verū si miseram quidem fuit Midam Regem, multo alioqui abundantem auro, tamen esculentorum inopia & fame premi: nonne longè esset miserius, Valentinum Regnum, vni duntaxat pecuarię, atque frumentarię rei excolendum dare: aliorum verò fructum affluentia copia, grataque varietate priuari? Licet enim magnus in Repub. nodus sit inopia rei frumentarię; tanta tamen in eo dissoluendo, patrum,

trum, atque Senatus cura inest, tam ingens sollicitudo, ac tanta diligentia, vt caritati annonę in tempore vndecunque mirabiliter occurratur. argumento est, quòd in summis, atque tristissimis famis temporibus, esurientibus. ceteris Hispaniæ Regnis, Valentiniū abundasse compertum fuit: pręterquam quòd à vicinis Castellę Regnis tam vsitata est, ac quotidiana frumenti inuetio, vt ea perinde ac propria Regni messis habenda sit, & tanquam seges nunquam de futura Valentinię affluentia ad numeranda. Id ipsum in pecuaria re quoque seruatur: cum in ipsis Aragoniæ, & Castellę Regnis tanta sit pecorum procreatio & fecunditas; vt quia redundant, necesse sit ea, compendij ac questus gratia, continuè in Valentinum macellum transmittere. Quapropter Valentini, tum frumentarię, pecuarięque inopia liberati; tum reliquis cumulati rebus; vt in tanta vr̄bis amœnitate hilarem, ac periucundam vitam agant, vtque festiui, Iouiales, ac effusi sint, est necesse. Sed vitiosa rursus æmulatione illis obrectare solent exteri, atque eos leuitatis arguere; propterea quòd vsque adeo presentium rerum capiantur iucunditate, vt ipsos neque pręteritarum recordatio vlla premat, neque futurarū cura & anxietas sollicitet; & qui neque vicinorum Regnorum constantiam & frugalitatem imitari velint, sed ab illis diuerso vsu vitę discrepēt. Vnde non parua profectò admirationem mouent hæc tria, Aragonię, Catalonię & Valentinię vicina Regna, quòd tam dissimilibus inter se naturis sint, tamque diuersa sequentibus, vt illa quidem moribus, perinde vt temporibus, distinguantur. Tria enim tempora inter se partiuntur, Aragonię namque Regno, eiusque indigenis, quòd de maiorum suorum factis semper gloriantur, pręque illis presentia despiciant; atque ideo latas priuilegias leges, & plebiscita perquam constanter defendant, tempus obtigit pręteritum. Catalonię autem, aut propter sterilitatem soli pluribus inculti locis, aut quia naturā frugales sunt Catalani, adeoque de futuris solliciti, vt presentibus vix frui videantur; futurū data est fors temporis. At verò Valentini, quibus ex vbertate, & redundantia ferè presentia sunt omnia, atque suę potius, quam maiorum virtuti connituntur, nec sibi quicquam in posterum futurum putat, ac neque pręteriti memores sunt, neque futurū timent, present-

presentibus uti, fruique e solent, presentis tempus peculiare sibi ducunt. indeque ceteris largiores existunt: quandoquidem, ut vera predicem, in Christi pauperes, ad eiusque extollendam religionem, & diuinum amplificandum cultum, in quo Christianos fere alios superant, benefici, ac perquam prolixi fiunt: vereque hilares datores sunt, ac latentur cum benefecerint. Hinc est, ut quemadmodum tempora; sic & bona, quae ex utili, honesto, & delectabili constant, haec ipsa Regna inter se partiatur. ut enim, iisdem ipsis de causis temporis accommodatis, honestum Aragonijs; utile verò Catalanis obtigit: sic quoque Valentinis cessit delectabile, quod etiam cum veris potest quam facile congruere: non enim ab humano convictu abhorret, Solomone teste, bene viuere, & latari. At verò si eximia demum, suauitatemque ingenia civium disquiramus, haec quidem exteri, et si singularia, excellentiamque esse fatentur, quia tamen volubilia sunt, & arguta nimis, quandam animi mobilitatem & incōstantiam praese ferre existimant, quae ipsos civis in crebras tanquam tempestates, sic dictorum, atque factorum commutationes temere detrudunt: ideoque hoc ipsum ingenij acumen, quod eos in lubrico, parumque fido statuerum cum versari cogit; tum saepe quidem in Reipub. perniciem detorqueri solet, vehementer reprehendunt. Iccirco haud ineptè quidam, Valentinorum ingenium contulit cum Argento viuo (Mercurium vocant, quasi quod volubilitate sua cōtrectantes eludat) quo sane Physici non modò ad reliqua coagmētanda, & concinnanda metalla mirè vtuntur; verum etiam affirmant, illud idem, purum putum argentum esse, si modò consisteret: namque id, ut consequerentur Chimici, diu multumque laborarunt. Sed hac illi similitudine profectò laudare potius id genus ingenij omni ex parte, quam ex vlla mihi videntur vituperare; quod instar scilicet, argenti viui illud tum velox, ac promptum sit; tum ad omnes etiam apprehendendas & concinnandas artes aptissimum. Ex quo, ut propria est argento viuo volubilitas, ac neque iccirco ipsum innatam veri argenti naturam amittit; ita sanè, quoniam tarditati ingeniorum semper fuit praelata celeritas, haec Valentinos mira ingenij bonitate commendat: propterea quod sub ea celeritate, immensum ab eis ratiocinationis, atque indagacionis iter confici, ac percurri demonstrat. Quod si ve-

rum

rum est etiam, talia ingenia praecipites, atque periculosas deliberaciones elicere, ac varios, lubricos, minusque sibi constantes deliberantes efficere: Sed ut Chymicis suis utcumque argenti viui fistendi modus inuentus est; sic Valentinis, sua quoque ratio, & ars non defuit, ad celeres ipsorum animi motus, argutamque ingenij mobilitatem cohibendam; eamque ad honestas, equabiles, ac singulari constantia praeditas deliberaciones traducendam. Nam dum patres ab indulgenti matrum educatione abstractos puerulos, pia, Christianaque disciplina instituendos curant: dum literis & humanitate imbutos ad civiles mores, vitaeque elegantioris cultum traducunt; facile consequuntur, ut in illis adolescens iam ratio, & rerum usus, contrahere, sedareque nimios ingenij impetus doceat: praesertim cum actiuosa admodum, atque negotiosa ciuitas, eosdem ad aliquid agendum, & otia fugiendum semper impellat. Adde seueras leges, rigidaque lata in effusos & vagos plebiscita: subde multorum grauisimorum civium probatissimum vitae, morumque ad imitandum exemplum: denique tam insitam urbi religionem, quae maxime omnium ad pietatem, sociasque virtutes unumquemque hortatur. Quibus plane artibus, haud est difficile eiusmodi ingeniorum volubilitatem, animisque mobilitatem, quas sequi solent incōstantia & temeritas, ad meliorem vitae frugem, grauitatem, & perseverantiam redigere. Facilius enim est, haec ipsa, tanquam blanda & suauia ingenia, quam obtusa & tarda, ad optimam Reipub. administrationem traducere. Qua in re Valentinus civis, qui Reipub. gubernant summopere proficere, ac praestare videmus. Nam mirum quidem, quanta cum constantia & frugalitate, tum gratia, & commoditate populi, se in eius administratione gerant. Neque enim tam esse possent, ut sunt, iucunda omnia in ciuitate, nisi rerum affluentia, qui fructus est optimae gubernacionis, abundaret. Sic ergo Iacobus, tum Aragonensis constantiae, tum Catalanæ frugalitatis; tum iucundè demum Valentinae liberalitatis confors ac particeps, & constantissimus, & frugalissimus, & liberalissimus, qualis erga Valentinus fuit, nomen est assecutus.

3

BER

BERNARDINI GOME

SII MIEDIS, ARCHIDIACONI

SAGUNTINI, DE VITA ET REBUS

gestis IACOBI primi Regis Aragonum,

cognomento expugna

toris.

LIBER XIII.



LORIOSVM Iacobi sine direptione vrbs ingressum; & diumque, ac prædiorum diuisionem; nec non legum, atq. scitorum sanctionem, cum solerti ciuitatis, eiusque morum descriptione, duobus superioribus libris enarrauimus: ac quoniam duarum Regni partium, quæ Illegones, atque Aedetanos continent, expugnatio antea explanata fuit; superest vt de tertia, quæ Contestanorum est, quanto ipsa, quamque difficili acquisita bello fuerit, dicamus. Est enim ea regio vltra Sucronem posita ab ortu, mari, à meridie, Murciensi Regno, ab occasu Castella, atque à septentrionibus tandem, vrbe, ceteroque Valentino Regno conclusa: ferax admodum, atque bellicosa gente defensa, quin & multis frequens populis pernobilibus, munitissimisque quorum plerique vi & armis; nonnulli, patientia & labore, quidam industria & arte; multi demum, sola ipsius fama & opinione victoris Regis, in potestatem redacti fuerunt. Omnium igitur primum, Setabis oppidum præstantissimum, totius regionis caput, quod vnius diei itinere ab vrbe distat, atq. ipsum secuta permulta vltra Sucronem oppida, legatos ad Regem oratum misere; vt se, aut stipendiarios, ac tributarios haberet; aut inducias, quoad vellet, cum ipsis faceret. Vtrunque Rex fecit: tametsi cum ijs, qui citra Sucronem erant, id ipsum licet obnixè petierint, nequaquam fieri permisit: sapienter quidem ille reliquam Regni expugnationem instituens. vtpotè quam, non vniuersam simul, neque à remotioribus; sed sigillatim, atque à propinquiorebus incipere destinauit.

Nam

Decimustertius.

Nam inducias vltra Sucronem faciens, citra verò bellum indicens, aditum sibi ad utrosque feliciorum aperiebat: propterea quòd in ceteriores hostes, qui vrbi coniunctiores erant, facile esset, iisdem ipsis vrbs præsidijs, atque cum paucis irrumpere, & quæ semel acquisita essent, paruo negotio retinere, ac defendere, potius quam relictum à tergo hostem timere, indeque regredi, quam progredi magis esset necesse. Quod plane callidi, ac sapientis Imperatoris fuit, vltiores hostes, pactis inducijs, quasi vinculis, ne ceterioribus auxilio esse possent, astrictos tenere; atque in hunc modum, immoto ferè altero ab vrbe pede, tutò cum citimis pugnare. Ipsos igitur trecetos octuaginta equites, quibus Rex prædia diuiserat, eaque lege & onere contulerat, vt in singulos quatuor menses, centum ex eis in præsidium vrbs, ac Regni essent, denuò promissi, ac fidei datæ admonens, in vrbe, alijsque propinquis ei locis, & arcibus apud Almenaram, Saguntum, Enesam, Graum maritimum, Ciliam, Liriam, atque Chiuam cum præsidiarijs collocavit. Quorum præfectos esse voluit Nasturtium Belmontium Templariorum Promagistrum, Berengarium Entensam, Guillelmum Aguilonem, & Simonem Petram Tarassonam, proceres nobilissimos, rei que militaris peritissimos. Quibus sua quoque in statione collocatis, atque tum vrbs, Regni que defensione, tum pactiorum, ac induciarum fide, & conseruatione commendatis, neque interim eisdem quicquam innouare iussis, ipse Monpellerium profectus est; tam vt pecuniam reparandis tot belli sumptibus curaret, ac breui ad redintegrandum illud reuerteretur; quam vt turbatas eius res vrbs componeret. Acceperat enim literas, quibus docebatur populum esse in partes diuisum, hasque adeò in se inuicem male affectas, vt ni venire maturaret, futura illico esset eius Reipub. ruina, indeque in ipsum conspiratio merito timeri posset. Quam obrem Rex protinus cum Petro Fernando Assagra, & Assalidio Gudalio, alijsque triginta equitibus triremem conscendens eò se contulit, breuique secundo vèto, in portum vrbs proximum appulit: è quo deductus est in Castrum Latefium, vbi ab vrbanijs, qui eò confluxerant, magno cum applausu fuit exceptus. Quanquam in ipso quidem ingressu

Q. Castri,

Castri, quidam vrbis primates iniquè ferentes, quòd Rex minime se illis medium præbisset, præsertim Petrus Bonifacius Vrbanoꝝ nobilissimus, qui factionis Barcensis caput erat; ad Assagram, & Gudalium, quos sibi Rex iunxerat, accedens, fastidiosè petijt ab eis, vt sibi, alteriꝛue socio, latere Regis cederent, more patrio, id ad se spectare contendens. Repugnantibus illis, Rex Bonifacio morem geri iussit. Viderat enim illum cum permultis suæ factionis commurmurari, ac neque iniquum petere. At vbi palatium ingressus Rex fuit, continuo Bonifacius apud eum conquestus est de magistratibus, Regisꝛue ministris, Narbanum innuens, qui Regis vicarius erat; propterea quòd cum eius sectatore populo odio nobilitatem prosequeretur, Regiamꝛue subinde potentiam, & quasi lacertos belli nobiles, labefactaret. Quare se esse cum suis præstò Regi, modò pro bono Reipub. & auctoritate nobilitatis, tam impotentem hominis, atque plebis insolentiam retunderet. Cui Rex, gratam habere eius, atque nobilitatis promissionem, & propensum erga se animum, breuiꝛue curaturum omnia, respondit. Sed abeunte Bonifacio, accessit Narbanus, Regiꝛue simulata Bonifacij promissa, tacitasꝛue nobilium sociorum coniurationes in Regem, atque populi oppressiones patefecit. Iamꝛue, vt fidem faceret eorum, armatos populares turmatim, seu per centurias ad Regem noctu venire fecit; qui de Bonifacio, Gerardo Barcensi (is erat factionis etiam caput) Bernardo Reguardana, & Raimundo Besseda, ciuitatis primoribus conquerentes, graua eis crimina, & inter ea, maiestatis obiecerunt: ad ipsosꝛue puniendos, se ad futuros Regi cum integra armatorum legione promiserunt, modò eiusmodi Montpellierensis Reipub. perduelles de medio tolleret. Quibus populi clamoribus, atque delationibus compulsus Rex, Bonifacium, & alios à præcone vocari iussit; non comparentes, quoniam culpæ fortassis sibi conscij vrbe excesserant, tanquam perduelles maiestatis damnari, eorumꝛue bona publicari, ac domos dirui, complanariꝛue fecit. Quo peracto, imperata paulo ante ciuibus pecunia, libèter numerata fuit, atque

accessione

accessione proscriptorum auctum ærarium, ditissimi enim erant. Dum hæc fiunt, nunciatum est Regi, Prouincialem, & Tolosanum Comites, aliosꝛue vniuersæ Aquitaniz Regulos & Barones venire ipsius visendi gratia. Quos vt magnificè, ac splendide exciperet, è Latefio vrbem ingressus est. Verùm postero die, nempe quarto nonas Iunij, anni M. cc. xxxix. vt in Commentarijs Regijs describitur, secunda pomeridiana hora, ingens ad duodecimum vsque gradum fuit Solis defectio, quam Græci vocant eclipsim; indeꝛue tanta secuta obscuratio, quanta alias nunquam visa, comparentibus in cælo stellis, perinde ac si media nox esset. Id ipsum attestatur Bernardus Guidonus Episcopus Lodonensis in sua Historia addens, in festo diui Iacobi Apostoli, octauo Calendas Iulij eiusdem anni, media luce, atque sereno cælo, similiter defecisse solem, non tamen quot antea gradibus, obscuratum fuisse. Quæ duæ defectiones; num sinistri aliquid portenderint, quòd postea sequutum fuerit, scripsit, quòd sciam, nemo: nisi, quòd Principes illi Regis hospites in magno timore fuerint; autamantes, similes defectiones; Principum, atque magnorum virorum interitus prædicere. Quamquam equidem (vt paululum orationem digrediamur, ac ne opinione vulgi in errorem rapiamur) eiusmodi Solis, atque Lunæ defectiones, non tam futuros Regum obitus, sinistrasꝛue, atque inopinatos rerum euentus prædicere, quam efficere, ac eorum causa esse solent. Nam vt Sol, vi, radijsꝛue suis in hæc inferiora influens, non modò propagationis rerum; sed earum etiam fomenti ac conseruationis summa est causa: ita oppositu quidem Lunæ, sua quasi impeditus facultate & impressione, subiectas res deserens, occasioni est, vt ipsæ sui quasi maturato occasu, deficiant. Ideoꝛue tam Luna Soli obiecta, quam Lunæ terra, illam obscurans, multarum mundi defectioꝝ, atque animantium occasuum, non tam prædictiones, quam causæ sunt. Ex quo ad alia Phenomena, eiusmodi defectioꝝ prædictiones, seu futurarum rerum præsentiones, non causæ, sunt referendæ. Quarum præcipue, magisꝛue peculiare sunt Comæ, crassa calidaꝛue ab exhalatione actis, ac in altum sublati.

Q. 2 blatis.

blatis. Hi namque, haud dubie, futura ostendunt, atque multarum saepe calamitatum praenuntij, seu potius muta quaedam diuini numinis missa de caelo prodigia, & quasi oracula existunt, ut quibus Reges, ac Principes, maximorum impendentium ipsis, populisque suis pericula admoneantur. De quibus sane Cometae praedictionibus olim dubitanti mihi, easque in meras fabulas, & conficta somnia referenti, occurrit Cometa vnus hoc tempore, qui ex tot consentaneis eius figurarum, ac situs, rerum euentis, magnam profecto praedictionis suae fidem omnibus, ac mihi fecit. Ac quoniam euanescente illo, multa iam calamitosissima Regum, exercituumque excidia, & interitus vno die evenere: haud puto me praeter rem facturum, si tantummodo, Reges admonendi gratia, Cometam hunc cum suo ostento, quasi somnium cum interpretatione, huius Regiae historiae quam breuissimè attexuero. Vtpote cum illius iam ortum, situm, figuram, & causas, variasque motiones, Astronomis, qui de eo abudè scripserunt, disputandas relinquam; quoniam ad lamentabilem tot Regum interitum subiiciendum, nostra festinat oratio. Siquidem apparuit temporibus nostris, quarto ab hinc anno, qui fuit M. D. Lxxvij. Septimo Idus Nouembris, stella quaedam crinita in Occidentali parte, non supero in caelo, sed summa, ut videbatur, in regione aeris constituta. Tametsi ex eo, quod non ab Europea gente solum, sed ab Occidentalibus Indis, eodem ipso tempore, loco, positione & figura, fuit etiam conspecta; creditur ea caelo citima fuisse. Cuius situs, Ortum inter & Septentriones, sub Sagittario, indeque oriens, radios, siue crines suos fumoso quodam, atque cineritio micantes candore, Africam versus extendebat: ac ut ex eius lineamentis, & figura deprehendi poterat, sua quasi aduncitate buccinam; capillamento verò, flagellum adumbrabat. Quae duo spectra, siue figurae sub Sagittario ortae, Astronomorum obseruatione, bellorum, atque inclytarum caedum successus, toti manifestandos orbi, solent portendere. Postquam igitur stella, variante cauda, tribus prope mensibus in eodem caeli situ & positione per-

ne permansit, ac mala, quae obuentura erant, diutius duratura praesignificauit, elapsis illis ipsis, protinus euanescere coepit, nec amplius visa fuit. Quae autem illam sequuta portenta fuerint, quodque ab ea quidem clarissimè extiterint praenunciata, breui quadam historiae narratione exponetur. In Africa, apud Mauritaniam, & Numidarum Regiones, duo potentissima Feccensium, & Maurusiorum coniuncta Regna continentur, quae paucis ante annis Habdalla Rex possidebat. Is quatuor habuit filios, Habdallam, Habdalmelicum, alias Maluchum, Muleahametum, & Muleamumiam. Mortuo Habdalla patre, regnavit Habdalla filius fratrum natu maximus, qui filium habuit Muleamahemetum, cognomento Nigrum, quoniam eum ex Regina, ut ferunt, Actiopissa suscepit. Verum Maluchus, ut primum fratri Regi filius Niger adoleuit, veritus vtriusque insidias, ad Selymum Imperatorem Turcarum abiit, sub eoque aliquot annis militauit, ac in magna eius gratia fuit. Nam ex eo quod Habdalla Rex Selymo subditus, eiusque partes sequi noluerat, Maluchus illius nutu, & ope, veniens Algeriam, Regis filiam, sola Maurusiorum spe Regni dotatam, uxorem accepit; indeque secreto Habdalla Regi fratri insidias posuit, qui tandem in Mahometana Aedifica, dum impias superiectae ceremonias agit, disploto, ut vocant, seipseto interemptus fuit. Atque Maurusij atrocitate rei commoti contra Maluchum, Regnum Nigro Habdalla filio detulerunt: vnde Maluchus iure ad se Regnum pertinere contendens, focer Regis, atque Selymi copiis apud Algeriam inuentis adiutus, cum potentissimo exercitu Maurusium venit, ubi commisso praelio, superatoque Nigri exercitu, Maluchus ipsum Regno expulit, atque in montes, ut vocant, Claros, in extrema Regni parte sitos, compulit: sicque liberè Regno potitus fuit. Interim Niger, dum legatos in varias Africae partes mittit, auxilium a paternis amicis implorans, ipse in Hispaniam venit, ad Philippum II. Hispaniarum; & Sebastianum IX. Lusitanorum, Reges, ut etiam auxilio sibi essent deprecaturus. Sed Philippus iustis de causis iuuare renuit: Sebastianus verò, pro bono & conseruatione ciuitatum, quas maritima in ora Africae Maurusijs vicinas ac

omnes obtinebat, non modo cum classe, & exercitu iuuaturum: sed cum esset iuuenis magnanimus, strenuus, gloriæque percupidus, se quoque cum suis ad futurum promissa: neque de suo iurionis proposito à Philippo iuuaculo, quamuis enixe conanti, deduci potuit. Unde contigit, ut quo temporis articulo, Sebastianus eire in animum induxit, Cometa apparerit: isque tandem omnibus emicuerit, quandiu (ut curiosè obseruatum fuit) Sebastianus mente tenuit, atque animo versauit profectioem. Nam ut primum preparata, atque omni re, milite & armamentis classis instrui, ac exortari cœpit, Cometa emanuit: significans se, ostentio suo, non modo futura omnibus prædixisse, sed Regi etiam tempus ad deliberandum dedisse, quibusque edixisse, ut ab incoprobefisteret. Neque enim credi potest, Astronomos, siue Magos, ut dicunt, Regis, in tam manifesto cœlesti signo, quod in Africam, quò erat eundem, candidam tendebat, turpiter conuixisse, neque præmonuisse Regem, aut contempsisse prodigium. Quinimmo verum est, per id tempus, fuisse editum prognosticon, quod etiam perlegimus, à peritissimo Astronomo, apertè asserentis, quas Cometa calamitates prænuñciabat, in Portugallia, & Africa intendere, autoremque utramque provinciam his verbis admonuisse. Gaudeat sibi Portugallia, caueat Africa. Itaque nihil proficere Cometa, Sebastianus Italo simul & Germano milite comparato, totaque nobilitate Lusitana sequere, cum classe florētissima profectus, in Africam peruenit, atque postquam Alarachiū, non longè à Gadibus, ad Oceanum tenuit, ubi exposito in terram exercitu, protinus uenit ei obviam Rex Niger, qui Sebastianum cum uniuersis copijs, inter duos annes, loco tutissimo ad sese defendendum, non longè ab hostibus, collocauit: impenseque rogauit, ne se loco, quantumuis ab hoste lacessitus, dimoueret, neue flumen traiceret, quoad ipse suo cum exercitu ueniret. Verum abeunte Nigro, Sebastianus nullam pugnandi interponendam moram ratus, præmissis aliquot uelutibus, qui omnem circum circa Regionem explorarent, neque comparere quenquam referentibus, hoste quoque uersum querere decreuit. At uero Maluchus sagax, & astutus, innumèrabilibus equitum copijs congregatis, quibus præerat

præerat Muleahametus frater, eas interim à conspectu Sebastiani, Punico cum eo dolo vsurus, abduxerat; ut ipsum è tam opportuno defensionis; atque naturam munito loco eliceret. Et quamuis idem grauissimo tunc, mortiferoque conflictaretur morbo, uoluit tamen prælio interesse; seque inter arma lectica circumuehi iussit, quò suis utcumque præsentiam vires adderet, eosque à transfugio, quod timebat, contineret. At Sebastianus pugnandi cupidus, atque suis copijs tantummodo, nulli communicata gloria, vincendi hostem desiderio flagrans, flumen, non expectato Nigro traiecit: vixque illud media ferè pars exercitus tranarat: cum subito hostilis acies equitum plus quinquaginta millium, se in Sebastianum immisit, atque cruentissima commissa pugna, eundem strenuè sese licet defendentem superauit. Quo miserabiliter interempto, eius quoque exercitus cæsus, atque omnino captus fuit. Hac ipsa hora Maluchus è lectica exiliens, admissio equo, arreptam hastam, quanta vi potuit, acutissimo clamore edito, in hostes iaculatus fuit; statimque in lecticam reuersus, superante morbo expirauit. Sub hæc, eodem quoque tempore, vix dum finito prælio, adueniens cum exercitu Niger, inueniensque tum Sebastianum flumē transgressum, & interemptum; tum eius exercitum fulum ac profligatum; atque conuersos hostes in se unum irruere; trans flumen, in locum ubi Sebastianum locauerat, ire properauit. Verum in ipso traiectu fluminis, cum sitiens equus cursum ad bibendum sisteret; atque adductis à Nigro habenis, acriusque calcaribus adhibitis, sese de repete erigeret, sefforē resupinū in profundum iecit: qui pressus armorū pondere, neque enatare ualens, miserè suffocatus fuit. Sicque vno die, vnoque ferè loco, & prælio, tres potentissimi Reges, prænuñciante Cometa, & cedere simul, & vario licet genere mortis, tamen extincti fuere. Demum, diuino sic ferente nutu, qui non malorum prænuñcius, ut Cometa, sed honorum omnium autor est, ac distributor; quod disponente, uniuersa Regna & Imperia orbis, & dantur, & adimuntur; & prout vult, atque expedit, ab alijs in alios transferuntur; factum fuit, ut Muleahameto fraterni exercitus ductori, proque fratre strenuè, fortissimeque pugnantem, fra-

ternum ex victoria imperium obtigerit. Philippo verò, cum Sebastiano optimè consulenti; tum de Christiana Repub. benemerenti; hæreditario etiam iure; Lusitania Regnum cum Orientali eius ditione cesserit: sicque in eius possessionem felici Albani; præstantissimi, totq. victorijs, trophæis; atq. triûphis illustrati Ducis cõfilio ductu & industria venerit. Et quid obsecrò euenire potuit felicius? quid beatius, aut gloriofius, quàm Philippo 2. Rege; ac Gregorio xiiij. Pont. Max. quod fuerat à Gothicis vsque temporibus desideratum nostris obrigisse? Nempe huius tanti Regni accessione, vniuersam Hispaniam, non modo in vnam dominatione coaluisse; sed adiectione Regnorum, quæ in continenti, & Insulis Europæ tenet; vnâ cum Occidentali & Orientali nouum orbem constituentibus Imperijs; in maiorem, quàm fuit vnquam Monarchiam euasisse. Sed quid tandè diuinius; quàm huic tantæ moli rerum, & immenso Imperio, perindè vt indomito; ac intractato equo, Philippum Regem sapientissimum, & Iacobû filium Principem, dominos ac domitores obrigisse? Quanquam, vt cum Cometa concludamus, qui mala, quæ præ dicebat, maiora indies obuëtura esse significabat: superioribus immaniora adhuc monstra successere. Nam per id tempus, Ferdinandus Hispaniarum Princeps Philippi F. fratrum natu maximus, vix septimum attingens annum de medio sublatus est: & Ioannes Austrius Caroli Quinti Imperatoris filius Philippi frater, tantis rebus gestis, qui bello cõtra Belgas præerat, morbo interiit: Quin & paulo post, vt primum Philippus cum Anna Austria Regina, ingressus est Lusitaniã, in grauissimum & periculosissimum morbum incidit; cuius tanta vis fuit, vt prorsus de ipsius vita & salute fuerit desperatum: sed diuina bonitatis infinitate miserante, auersus est furor, ne alienissimo Reipub. tempore, Rex optimus & maximus, è vita cederet; ne ue tantus ipsius gloriæ cursus immatura morte interciperetur: cum satis quidè ei acerbissimè mortis loco fuerit, Annam coniugem charissimam, foeminam lectissimam, & prudentissimã, eodem tum morbo correptã, ante quam ille conualesceret, interiisse. Atq. ita cõstat sanguinariû (vt sic dicam) Cometam, tam inclytis in Africa, & Hispania cædibus, ac illustrioribus, quã de quoquam alio legatur, præfensione suam

tuam nobilitasse. Vt igitur eò, vnde diuertimus, ad ipsos scilicet Iacobus hospites; duabus Solis defectibus conterritos redeamus; fuere hi quidem à Rege honorificentissimè excepti, longeque lautiùs, atq. opulentiùs tractati. Quibus, id vnum ab eo efflagitibus; Rex gestas à se res in expugnatione Regnorû, ac etiã agrorû diuisione, modestissime, atq. ordine enarravit: indeq. multis eos muneribus cumulatos dimisit. Iamq. ciuitatis, ac totius Principatus rebus compositis, nauem longam octoginta remorum, quam paulo ante ciuitas construxerat; Busam vocatam, conscendit; atque in Catalonia nauigans, cum Portum Veneris tenuisset; inde terrã Gerudam venit. Cæterum vt primum Rex Valentia profectus Mopelieriû petierat; Guillelmus Aguilo, vnus ex ducibus, qui in præsidio vrbis, atq. Regni, relictus fuerant, simul cum equitibus & Almugauare, ac bona peditum manu, socijs in statione & præsidio vrbis manentibus, eruptionem in sarracenos fecit; nõ modo in eos, qui nõdum expugnati fuerant; sed etiam quibuscû induciæ pactæ, atq. ex pacto Regij tributarij erãt. Quos ille ad ortus ex improviso, magnas ex ipsis prædas retulit; obseditque oppidum Rebolledum; quod vi captû, postea dono Regis Petro Simoni Carrocio filio illius præfecti maris, de quo egimus; celsit, vnâ cum oppido Fontis Carrocij, ab eodem forte condito; aut denominato: qui etiam aliorum quoque oppidorum agros vastauit Aguilo; aliorumque domos, & armenta depeculatus est. Qua fama prædæ, per multi alij, ex præditijs; dimissa vrbe, se Agiloni adiunxerunt; simulque exercitus & præda augeri coepit. Cumque in montanis lacis supra Setabim versarentur; in magna præcipue cõualle Albai denfi, quæ omnium Regni cultissima est; atq. olei præsertim feracissima, populisque perquam multis frequens & habitata; prædas agere tentarunt. Sed ne liberè in eam excurrerent, cum impedirentur Castellulo quodam, Chio nũcupato, quod in faucibus cõualis sitû erat; multoque præsidio munitum; ad illud oppugnandum accesserunt. Vt pote quo capto, magnum facesset negotiû; non toti cõualli modo; sed etiam Setabitanis; ad mutuum hinc inde transitû præcludendum. Quod autemantes Chionenses; ignibus per Castellula accensis, signo dato, totius cõualis Sarracenos comouerunt, qui

se se congregantes, Chionenses ab obsidione liberare, atque Castellum nouo præsidio munire statuerunt. Erat autem illud mediū, ac proximum duobus vetustissimis populis, Lucento, & Pineto; in quorum priori, Christiani sarcinas & impedimenta reposuerāt. Vnde Chionēses existimantes auxilia iam iam ex cōualle sibi affutūra, vt initium victorię à se facerent, è Castello in Christianos irruerunt: à quibus tamen victi, fugatiq̄ue fuerunt. Quare nostri Castellum occupare volētes sequenti die, viderunt Sarracenorum plus viginti millia petere Chium obsessione liberandum; ac castra non longè posuisse, quoad confluētes ab vniuersa cōualle populos reciperent: adeoq̄. maturare aduentum, vt facile esset eis breui intrare Chium. Quocirca Christiani in montis verticem, vbi nunc insigne cōnobium fratrum ordinis Dominicanorum exedificatum est, Lucento & Chio proximum, se receperunt. At verò Sarraceni qui subsidio venerant Chionensibus, intellecta eorum fuga, deserto Castello, vniuersam cōuallem circumseptā montibus occupātes, portusq̄ue illius, ne quā Christiani elaberentur, præsidijs firmātes, aciem contra Lucentum direxerunt. Christiani verò qui se in tanto esse discrimine viderunt, consilio habito, minime se in eo loco, quamuis inaccessio, atque naturā munito continere; quin potius obuiam Sarracenis exire, atque antequam illorum copię auerentur, impetum in eos facere decreuerūt. Igitur, vt ex Beuterio, alijsq̄ue scriptoribus, nō tamen ex Regijs Commentarijs, colligere est, reliqui quinq̄. Duces, qui ad Aguilonem ex varijs Regni locis confluxerunt, Berengarius Entensa, Fernandus Sanctius Aierbes, Petrus Simōn Carrocus, Petrus & Raimundus Luna Aragonenses, se se cum exercitu ad pugnam præpararunt. Quorum primus Berengarius, qui prælio, & victorię Enefię, sub Guillermo cognato militans interfuerat, Sarracenorum ignauiam, atque inertiam in præliando compertas habens; & quia bellicosus erat, socijs, ac exercitui nō nihil submentibus, Bono, inquit, animo vos esse iubeo ad dimicandum commilitones, quandoquidem exploratum habetis, multo maiores, quā hęc sunt, Sarracenorum copias à minori Christianorum exercitu, sæpè quidem cestas, & fugatas fuisse. Idq̄ue maximè paulo ante, apud Enefę arcē, ducibus Guiller-

mo

mo cognato meo; & Aguilonem, quem nunc magno vestro comodo, ac certa cum spe victorię, ducem & antesignanum habetis: modo quibus se præliaturi, patronis Christo, p̄ virginī matri, toto pectore commendarū; vos nunc similiter, vestrosq̄ animos vehementi studio commendetis. Est enim ea turba ex tumultuario, imbellique milite collecta; quęque nullo seruato ordine venit ad vos, qui vestra industria, & summa bellandi arte, cum paucis maximos eiusmodi canum exercitus sæpè fugastis, vicistisq̄ue. Ex quo hunc, eodem implorato numine, ne dubitate, profligabitis. Hac cum dixisset Berengarius, & Aguilonius grauisimis quoque verbis comprobasset, constanti, ac confirmato ad oppetendam mortē animo omnes esse cœperunt. Itaq̄. summo mane dum sacrū fieri, sibiq̄ue Christi corpus communicari expectant sex illi duces, & totidem hostias sacerdos consecratas habet, ac communicare parat; tū ingens clamor è castris exortus est, Sarracenis in nostras ex improbitate irruentibus; vt intermisso sacro, necesse fuerit duces arma arripere, atque pro se, arisq̄ue pugnare. Vnde in hostes magno sese impetu illis immittentibus, atque suos milites ad pugnam animose adhortantibus, commissio prælio, vsq̄ue ad vespertinam fortissime vtriusq̄ue dimicatio est, diuinusq̄ue anceps pugna fuit. Dum interim sacerdos, qui hostias consecrarat, vehementer de illis sollicitus, diuino instinctu cogitatis; eas in panno lineos (sacerdos corporales vocant) distinctas inuoluens, sub lapide reposuit: ipseque genibus flexis, ac sublati in cubitum manibus, flens & oras substitit; quoad fugatis Sarracenis, duces in eum locum regressi sunt, acturi Christo gratias pro tam insigni parta victoriā; atq̄. sacratas hostias adoraturū. Cum quo sacerdos sublato lapide, ac quolatis pannis illas inquit, sanguinis resperfas, & ipsis pannis affixas, & herentes reperit. Cui pro tanto miraculo, obortis lacrymis, ac in sacramenti laudem voce magna erumpenti, accurrere duces, conspectoque diuino in terris prodigio, singulares Christo gratias cum vniuerso accurrenū exercitu gerunt. Ac protinus de transportandis factis illis hostiis, atque in tuto & venerabili loco reponendis cogitauerunt. Itaque eodem sacerdote duce, panni ad Darocā insigne Aragonie oppidanū deducti fuere;

& in

& in maiori Templo repositi: vbi magna non modò populi, sed totius etiam Christiani orbis veneratione coluntur. Sicuti latius peculiari historia, quæ de re tam valde miranda composita est, ibi de continetur. Igitur exercitus ad prædam conuersus amplissimam inde spolia retulit, atque illico Chium, diruto muro, igni succendit, ne sarracenis denuò præsidio esse posset. Interea Regi Valentiam ab Aquitania reuerso, à tributarijs, siue stipendiarijs sarracenis magnæ habitæ sunt quærimoniæ de Aguilonis, & sociorum direptionibus, agrorumque vastationibus: quodque sarracenos ille denuò commoueret, & ad conspirandum irritauerit: necirco vt de illatis iniurijs satisfaceret, petierat. Sed cum reliqui, qui cum Aguilone deliquerant, partim in Aragoniam, aut Cataloniam abiissent: partim sese excusassent, quod gratia defendendi exercitus, quem Aguilo ducebat, ad eum venissent; in eundem culpa omnis collata fuit. Hisque regia accepta fide, comparuit, atq. oppidorum Algerresij, & Rascaiz, quibus à Rege paulo ante donatus fuerat, redditus sarracenis tribui iussit, quoad vastationes agrorum, & illata damna, quæ factus est, sarracenis compensarentur. Sed cum Aguilo ea iam creditoribus dedisset, quod magno esset alieno obstrictus ære, præcepit ei Rex, vt omnes, quos duxerat ex præda captiuos, manubias, & spolia, quæ domi haberet, dominis restitueret. Quæ prompta Regis iudicatione, sarraceni tributarii pacati fuerunt: maxime verò, quod sibi persuaserant, Rege præsentem, non amplius se molestia fore afficiendos. Posthæc Rex, cui nullum erat otium, nouam expeditionem in sarracenos, quibus cum ad tempus fuerat pactus inducias, quod elapsæ iam essent, vltra Sacromnem statuit suscipere, cum equitibus leuis armaturæ centum, atque octingentis peditibus, relictis totidem, qui postea sequerentur. Iamque vrbe exiens ad Albalatum pagum inter Cullarim & Algeziram venit: atque in Bairenam vallem contra Gandianos signa dirigens, in latissimam planitiem cœpit excurrere, mare inter & perpetuum montem interpositam, ac ob stagnantes ibi aquas incultam. Qui mons tum Bairena à lzua, & Corberana à dextra arcibus, tum duabus conuallibus in eandem planitiem decurrentibus terminatur. Quarum quidem conuallium citerior altissimis circum-

circumclusa montibus, sarracenis Alfandecha, hoc est, profunda, aut deserta, nostris verò Valdigna nuncupatur. Cuius longitudo quatuor milliariibus, latitudo vix vno protenditur. Sed hæc tunc à Rege, quoniam à paucis culta habitataque erat, prætermissa fuit, quæ tamen nunc est omnium cultissima, & fructuosissima, ac satis digna, vt eius nunc situm & feracitatē breuiter describamus. Est enim ea à capite, altissimis ab occasu protecta montibus, ad quorum radices, quinque paullulum inter se discriminati fontes scaturiunt, vnde flumen oritur, quo tota conuallis irrigatur: quæ quidem fructus non modò vberes, ac varios, sed omnium suauissimos, ac delicatissimos profert. Tota enim ea saccharea circumfluit messe, atque vbi in apertam planitiem decurrit, earundem defluxu aquarum, alterius præcellentis messis, orizæ videlicet (frumeto patet hoc alimentum) extat feracissima. Ex quo propter vtriusque messis, eiusque perboni agri culturam, non paucis frequens est pagis, atque oppidulis, in extrema eius, atque inferiore parte sitis. Quæ causa Iacobus II. Regis nepos, ac Regni successor, admirabilem conuallis positionem, & fertilitatem, atque loci calique naturam contemplatus, superiore parte, quæ à populorum frequentia remotior esset, situm commodiorem ibi fore ratus, amplissimum, sumptuosissimumque cœnobium cum ornatissimo fano exædificauit, ac sub ordine Cisterciensium monachorum, Christo, ac Virgini matri dedicauit: quod etiam tota conualle, cum prædijs, & oppidulis tam decenter ornauit, excoluitque, vt annuus inde census ad decem & octo millia; ex ijsque cœnobio & monachis, ad septem millium aureorum summam ascendant. At verò conuallis vltior Bairena iam dicta, vbi mons desinit, priore multò est amœnior; & quia varietate, atque multitudine frugum, fructuumque curiosius, frequentiusque conferitur, longè etiam fructuosior. Nam fluius eam interluens, totam ad mare vsque lzua, dextraque irrigat; ac neq. ijsdem tantummodò sacchareis messibus, quibus mirè excellit, ipsaque potissimum bonitate, ac excellentia sacchari, toti Europæ præstat: verum frumento, vino, oleo, sparho, atque moris ad sericum bombycinum conficiendum mirè affluit. Sunt enim in ea conualle duo florentissima oppida, alterum Bairenæ arci
proxi-

proximum, Gandiam id vocant, munitissimum, ornatissimumq̄; atque sacchari mercimonij causa frequentissimum; totiusq̄. Gandiani Ducatus caput, perillustri Borgiarum familiae subiectū: Alterum Oliua nuncupatum, in extrema conualle situm ad meridiē; quod etiam arce & muro inexpugnabili protectum, caput est Oliuani Comitatus: ac non amplius quam tribus milliaribus a Gandia distat. Qui tamen breuissimus terrae tractus, forma quadrata, ab ortu quidem mari, a meridie Oliua, ab occasu montibus, a septentrione Gandia finitus, totusque sacchara ferē segete confitus, tam est mirae feracitatis, ut vix sit credibile, quod alioqui curiosē inquirerentibus nobis fuit perquam compertum, annuam scilicet frugū, fructuumque inde perceptorum aestimationem, ducetorum quadraginta millium aureorum summam efficere. Cum igitur Rex Corberae fluvium, ubi ē superiore conualle in mare influit, traiecisset, misit nuncios in castella, & arces Bairenae, Villalongae, Borronis, Vilehiae, & Palmae, eiusdem prope conuallis, quae in excelsis, atq. praeruptis rupibus constructae, atq. munitae erant, ut se se dederēt, alioqui cultissimos se eorum agros depopulaturū, & fame ipsos oppressurū interminatus. Dum responsio spectatur, Zaenes olim Valentiae Rex ē Dianio propinquo oppido, cum paucis ad Regē venit, a quo fuit quidem acceptus benivolē. Aduetus causa fuerat, ut a Rege peteret Balearium minorem sibi, suisque: se enim in compensationem daturum ei arcem Alicantinam, ad Alonem portum: esse nanque sibi integrum illam tradere, si tamen besantium quinque millia Rex adderet, ut permutationem exequaret. fuitque mirandum, non plura petisse, adeo sarracenorum inueteratus mos est, impudenter, ac vel iniquū petere. Sed Zaenis postulatis annuere Rex distulit; se excusans pactionibus, quas in diuisione prouinciarum, Regnorūq̄. Hispaniae olim Petrus pater cū Alfonso Castellae Rege fecerant: ideoque Alicantina ciuitas, eiusque territorium, cum ad Castellorum Regnum spectaret, sibi non licere faciem, quod a iunt, in alienam messem immittere. Quo responso Zaenes Regia admiratus constantiam & integritatē, ei que beneuolentior effectus, Dianium reuersus est. At vero ex castellis, ad quae Rex nuncios, ut sese dederēt, miserat, primus Bairenae arcis praefectus respondit; se,

modo

modo agri minimē vastarentur, ad hanc pactionem venturum; ut, si intra menses septem nullum alicundē adesset ei subsidium, Regi arcem traderet; atque interim obsidem daret turrim Albaranam, quae ab arcis muro parum abest; interque illam & arcem per ampla est fossa. Quae pactio iure quoque iurando ab ipso praefecto, vna cum alijs viginti primoribus oppidi confirmata fuit, ac protinus turris tradita, & in potestate Peregrini Atrosilli relicta: quam ille statim aggere circummuniuit; ipsis etiam sarracenis operi manum admoventibus. Interim Rex venit Cullarim, quam paulo ante Templariorum promagister, Rege in Aquitania agente, eidem acquisierat. Qua causa Rex Sucronem oppidum insignē Cullari propinquum, ob signato diplomate, illius societati adiecit: quod postea abolito Templariorum ordine, Montefano sancti Georgij fuit traditū. Regi igitur intranti Cullarim Legati oppidulorum Bairenae conuallis venere cum mandatis acturi de ditione; quos Rex, ut alios stipendiarios effectos, recepit; ac deinde septem mensium termino, quo frustra subsidium fuit expectatum, elapso, in eam contendit, traditamque accepit. Quo in loco, reconciliationes etiam Petri Fernandi Assagrae, Petri Cornelij, Artali Lunae, Garciz Romaeui, & Simenij Vrrae, procerū Aragonensium, qui a Rege desciuerant, cum ipso factae sunt, ac mutuo promissae amoris & beneuolentiae pactiones. Dum haec apud Bairenam fiunt, Ferdinandus Regis patruus, & nonnulli proceres, ac praefecti ordinis Calatrae, cum magna militum manu, Raimū dum vicecomitem Cardonensem imitari cupientes, Vilienā profecti sunt, eamque obsidentes, tentata oppugnatione, ab oppidanis viriliter repulsi fuere: atque ex eo magis recedere coacti, quod Vilienenses noctu ex oppido eruptione facta, structas machinas succenderunt igni, earumque custodes non paucos occiderunt. Sed recurrentes praefectus Alcanitij, & sui ordinis equites, & Almaguares, atque oppidum nouis constructis machinis oppugnantes, coegerunt oppidanos, legatos ad Regem mittere, orantes, ut sese in potestatem reciperet; ad quos Rex, ut Praefecto, & alijs sui ordinis se dederent, respondit, clementia & benignitate cum ipsis viros illos promittens. Quo tempore Rex, vrgētibus Cataloniae negotijs

gotijs in eam ire coactus, Rodericum Licianam Valentia, atque toti Regno præfecit; rebusque in Catalonia compositis, in Aragoniam venit; ubi matrimonia duarum ex Iolante filiarum conclufit, maior enim nupsit Alfonso Castellæ Regi, qui nuncupatus est sapiens, eo quod multiplici doctrina instructus esset, præcipue Astronomia (huius enim scientiæ tabulas ille longè utilissimas composuit, à quo dictæ sunt Alfonso; ac leges etiam, scitaque Castellanos, in quadripartitum opus redegit.) Huic igitur promissit Iacobus daturum se omnem opem ad Murciense Regnum debellandum, quam postea præstitit. Altera verò Constantia Emanueli Alfonso fratri germano locata est. Iam verò absente Rege, Petrus Alcalanus consobrinus Licianæ præfecti, cum bona prædianorum manu ex vrbe Setabim profectus est, excursions in eius agrum facturus. Sed dum Setabitanos adoriri parat, in eorum insidias incidit, captusque ab eis in custodiam est datus. Per id quoque temporis Berengarius Entensa, qui ob excursions vnâ cum Aguilone in sarracenos tributarios factas, à gratia Regis fuerat dilapsus, se cum suis Setabim receperat, atque Setabitanorum ope eruptiones in oppida stipendiariorum faciebat, eorum agros depopulando, maximè verò in tuguria Turulensium, qui quotannis pecuaria sua in hyberna ad Regnum agebant, idque adeo superba, ac potenti manu, vt neque à præfecto vrbis, neque ab Hospitalium promagistro, neque ab vniuerso vrbis præsidio obsisti ei posset. Qua causa Rex cum xxv. equitibus leuis armaturæ Cæsar Augusta in Regnum conuolauit, veniensque Alturam oppidulum Segorbio confine, pactione traditum cepit. Cuius aduentum vt primum rescivit Berengarius ab excursions destitit, atque in Regis gratiam redire nitentur, ad eumque data fide venit: à quo licet benigne receptus, tamen duriusculè reprehensus fuit, quod tantopere de ipsius amore ad sese reconciliandum dubitauerit; promissitque Berengarius, se nunquam non fidelissimè Regi ad futurum: ac neque Chiuam oppidum, cum eius arce munitissimum, atque limpidissimo fonte inclytum, quod paulo ante Rex ei dono dederat, ad illudque tunc vnâ accesserant, ab eius obsequio & imperio vnquam recessurum. Quò etiam couenere Petrus Albalatius Antistes Tar
raconen-

raconensis, & Rodericus Licianæ præfectus, à quibus Valentiam deductus est, atque in itinere rogatus, vt Petrum Alcanum à Setabitanis captum eriperet: quod facturum promissit. Itaque Valentiam ingrediens cum magna sacri cætus pompa, ac Senatus populique lætitia & occurrence exceptus fuit: breuique conscribi exercitum, ac Setabitanis indici bellum curauit. Itaque Valentia profectus, in eo itinere Barraguam oppidum cum maiori parte exercitus venit, reliquam ibi præstolaturus. Fama igitur indicti Setabitanis belli, Iacobo Duce, ad eos peruenerat, timorque cunctos inuaserat, Regis bellicosissimi impetum perhorrescentes. Quorum præfectus videns maximum sibi periculum imminere, antequam Rex obsidione oppidanos terreret, Legatum misit, qui Regi obijceret pactas inducias, & fœdera cum Setabitanis ab eo icta, nequaquam à se rupta fuisse; sed ab Alcalano & suis, qui spretis inducijs, Setabitanorum agros hostiliter depopulati fuerant, indeque in seruitutem perquam multos ex eis abduxerant; se tantum vim vi repulisse. Cui respondit Rex, per æquum esse, vt à suis illata damna Setabitanis compensarentur: idque se protinus curaturum promissit: modò interim Alcanum, & eius socios ad se remitteret, sicque Legatos dimissit. Posthæc Rex, studio videndi oppidum florentissimum, quod Contestanorum, vt diximus, caput erat; iunctis triginta equitibus, eidem appropinquauit: ac vt liberius illud contempleretur, in collem excelsum, cuidam propinquum Castellò conscendit: indeque oculis collustrato situ oppidi, cum eius territorio, frequentibus suburbanis ornato, quæ coniuncta, tot erant, vt alterum æquale ei fere oppidum constituerent; vehementer est ea admiratus. Tametsi admirationem admodum augebat peruaria, atque exuberans agri fertilitas: quæ duorum fluuiorum confluentia, & deriuatione, atque irrigatione, alta, propagataque, tanta erat, vt reliquum totius Regni agrum, haud dubiè videretur antecedere. Adde sumptuosissimos à fonte aquæ ductus, præcellas, mireque structas domos, quas facile erat, ob decliuitatem oppidi, vniuersas sigillatim inspicere. Quin & admirabiles vtriusque arcis positiones, quæ in excelsis, ac præruptis rupibus collocatæ, totque communitæ turribus, perpulchrum simul & munitissimum suspèctum

culum præbebant; cum per amplis demum earum atrijs, ad præsidia, machinas, & alia quæuis armamenta bellica ad defensionem collocanda. Vt nihil planè defecisse videretur, quod ad maximam oppidi, atque arcium munitionem, & ornamentum pertinere. Qua causa deliberavit Rex minimè inde abscedere, donec oppidum, aut vi, aut pactione in suam potestatem veniret. Ac positis castris in ea parte agri & hortorum, qui sunt propinquiores arci, lustrari etiam iussit colles è regione sitos, ut opportunitate inuenta ad oppugnandum machinis summas arces, castra eò transferret. Verùm à lustrantibus relatum est, rupes illas exercitui, & machinis tum inaccessas esse, tum aquæ penuria incommodas; præterquam quòd media pars exercitus, necessum esset, ut in planitie, consisteret, ad tutandos lixas, & calones, aliosque commeatum & cibaria in castra deferentes, ne à sarracenis interciperentur; facileque tum esset illis, exercitum fame plusquam ferro opprimere. Vnde Rege per se collustrante omnia, inuentus est locus commodior ad oppugnandum, ad radices cuiusdam montis, prope suburbanum Sallentij, ubi erat aquarum copia proximo ex Anenfi fonte, riuo deducto, ibique castra poni, fossaque & vallo, undique obduci, atque milite muniri iussit. Quibus dispositis, depopulari agros, frumentarias rumpi molas, atque olearia trapeza euerti, aliisque damna, quanta ab infestissimo hoste timeri possunt, Setabitanis inferri præcepit: alia quoque parte exercitus in uniuersum territorium excurrente, atque ingentes prædas in castra agente. Porro Rege castra lustrante, quidam ex antesignanis exercitus cum altero contendens milite, Regisque præsentiam minimè reueritus, in eius oculos audacter illum atque grauer vulneravit; seque protinus recepit in tabernaculum Garciam Romæui, vnus ex primis Aragoniæ proceribus, qui cum centum equitibus Regi in eo bello inferuiebat. Sed in percussorem Rex irruit, ipsumque è tabernaculo vi extrahens, custodiæ tradidit, ut digna postea delicti pœna plecteretur. Vnde grauer offensus Romæuus, perinde, ac fuisset inde ille in sui contemptum extractus, Garciam Veram Aragonensem equitem ad Regem misit, qui suo nomine diceret, se non ideo venisse cum sua manu equitum auxilio ad bellum, ut ignomi-

nominiam præmij loco, ab illo referret. Nam si antiquo ex privilegio nemo, quantumuis facinorosus, non tamen maiestatis reus, è domo, non procerum modò, sed quorumuis equitum, aut nobiliū, in quam se reciperet, ut Asylum, educi poterat; minus quoque è sua, qui ex nobilissimo procerum numero erat, ac neque Regi inutilis, aut infensus. Cui Rex, grauius esse respòdit, in bello, quam pace delinquere; eoq. ipso necessarium, delinquentem atrocius puniri. Quamquam non è domo Romæui facinorosus, sed à Regia extractus fuit: quandoquidem militaria castra, non plures, neque diuersorum, sed vnà tantum perpetuam Imperatoris domum efficiat; cui ut militant omnes, ita & pareant oportet. Quid, quòd neque è propria ille Romæui domo eductus dici potest; quado barbaricum illud tabernaculum, quò confugerat audax ille, ac temerarius percussor, non Romæui, sed Regis proprium erat, Romæuo tunc accommodatum. Demum in delicto, cum Rege presente, tum eo spreto, perpetrato, nequaquam esse conuendū dixit. Iccirco rogare ipsum, nequam apud se, ob præstitam in bello operam, gratiam commeruisset, tam leui de causa corrumpere vellet. Quinimmo veniret ad se, plura coram, quam per nuncios, confecturus. Verùm Romæuus inani inductus persuasione, tantum abest ut regis dictis acquieuerit; ut etiã peiora machinari cœperit. Nã fuit Rex illicò à Setabitanis certior factus, Romæuum tentasse vnà cum suis ad illos transfugere. Quod paruiduxisse visus Rex fuit, parem, inquiens, rationem illius habiturum, secum, aut cum hoste permanentis. Sed tempore factum est, ut Romæuus in tantam Regis gratiam redierit, ut eius filius Tereciam Regis neptem, ac Petri Principis filiam, quamuis non iusta vxore natam, in matrimonium duxerit. Cæterum in obsidione Rex persistens, Setabitanos compulit, ut nouis secum pactionibus agerent, tria promittentes; primum, se liberè tradituros ei Castulonem ipsorum propinquum oppidum: alterum sese iureiurando obstricturos, nulli alteri, præterquam Regi, Setabim dedituros; tertium, Alcalanum, & alios Christianos captos liberos ad Regem remissuros. Hæ igitur fuere pactiones, quas in prima obsidione Rex cum Setabitanis fecit, ijsque contentus tum fuit, ne vi, & armis tentata oppidi egregiè muniti obuallatiq. oppugnatione,

detrimenti multum oppugnatores acciperent; néve direptione rursum tam præclarum vastaretur oppidum, quod ille alterum Regni oculos appellabat. Itaque Castulone accepto, præfectoque & primoribus iuramento adactis, ac etiam Alcalano, & alijs in libertatē assertis, Rex illicò, dimisso exercitū, atque in præsidia distributo, Valentiam venit, de rebus Aquitaniz sollicitus, num fortè Bonifacij, aliorumque eius factionis exulum, quorum bona publicata fuerunt, molitionibus, denuò Mompelleriensis Respub. perturbaretur: statuitque se eò cōferre: relictis in vrbs, ac Regni præsidio, iisdē primis equitibus, quibus prædia diuiserat, eisque præfecit Simonem Perezium Tarosonam, quem tum in amplissimum procerum ordinem cooptauit, atque Baroniam Arenosiam, quæ ultra Exericanū agrū in montanis locis Aragoniz confinibus continetur, ipsi, suisque in perpetuum cōcessit: à qua idem ipse, atque successores Arenosij nūcupati fuerunt: ac non ad præsidia modò, sed ad omnia, tam vrbs, quam totius Regni negotia transigenda, illum Vicarium constituit. Ipse verò in Cataloniam venit, cuius Prouinciæ negotijs breui confectis, inde citatis equis in Aquitaniam transijt: vbi intelligens vrbana res bene se habere, mirè delectatus fuit, ac subinde gloriatus, quòd patriam saltim semel pacatam inuenerit; eaque, se, tum verè potitum asseruit. Itaque ingressus vrbem, ab effuso populo magna fuit cum lætitiā exceptus. Ad quem protinus conuenerunt Prouincialis, & Tolosanus Comites, precantes, vt sententiæ de diuortio Tolosani & vxoris Sanctiæ, Regis amitiæ, vnà cum arbitris Raimundo Gaucelino domino Lunelij, & Albesa Barone nobilissimo, subscriberet: cui Rex, tametsi iniquè, & iniuste, tamen importunissima illorum deprecatione compulsus; vel potius, quòd alioqui de amitiæ vita pertimesceret, inuitus subscripsit, ipsisque dimissis, Aragoniam repetijt.

BER-

BERNARDINI GOME SII MIEDIS, ARCHIDIACONI

SAGVNTINI, DE VITA ET REBUS

gestis IACOBI primi Regis Aragonum,

cognomento expugna
toris.

LIBER. XIII.



ET ATTEM mediam Iacobus ingressus erat annos iam natus triginta quinque; quo tempore post tot debellata regna, tantaque apud eos, qui sub ipso militauerant, munera, atque beneficia collocata; ita se totum ad Rempub. & amplificandum Imperium contulerat; vt domesticas & familiares res, tot indies enascētibus domi hæredibus, quam minimè curaret. Susceperat enim ex Leonora vxore prima Alfonso filium vnicum; ac licet diuortium cum illa fecerat; causis tamen adnumeratis, non modo legitimum Regnorum successore sibi fore declarauerat; sed eodem hæreditario iure Alfonso iam omnia repetere incipiebat. Quamobrem Iolans secunda vxor, ex qua Rex filios mares, ac fœminas iã tū quinq. susceperat, de ipsorum successione, & hæreditate sollicita; ac non tam ob Regis ætatem, quam ob ipsius vitæ discrimen, tam multis sese belli periculis quotidie obijcientis, suspensa, die nocteque apud eum lamentabatur, se miseram, atque omnino deceptam vocans; cum nō aliam ob causam, è sinu patris, tamque remotis locis ducta fuerit, quam vt, aut alterius sprete locum subiret, aut cuiusdā quoque pellicis iniurias pateretur: quin, vt priuigno superbo, ac insolenti pareret, atque multorum exheredum liberorum mater calamitosa fieret. Verum enim Regem, non modo Reginz, vera planè dicentis, verba cruciabant; sed Petri quoque Principis ex ea annos iam octo nati, quem summè diligebat, mirifica virtutis indoles; atque præclarissima quædam puero innata dignitas, vehementer commoue-

R 3 bant;

bant: quòd hæc heroicaum illius virtutum certam spem afferrent, vnusque videretur, qui posset paternas laudes eiusque præclarissimas res gestas in multa sæcula propagare. Qualitum sanè virtutum in Alfonso iuvene, nunquam a materno gremio diuulso, nullum apparere vestigium videbat. Quin etiam, & reliquos liberos, quos singulis ferè annis è Regina procreabat, ex hæres relinqui, ta male ipsum habebat, vt nulla cura maior exederet ipsius animū, nullus etiam angor conficeret acerbius. Vnde sepe quidem ille, Rei pub. labores, seu pace, seu bello, domesticis longe esse tolerabiliores dicebat: quòd illi suas, vtcumque intermissiones, quibus refici, atque respirare possit animus, habeant: ij verò, nullas. Sicque inter tam multas curas domesticas, sæpenuerò risum tenere non poterat, eo quòd se, tot licet auctum, atque amplificatum Regnis, tamen in filijs duntaxat quinq. quos tunc habebat, collocandis, maior quàm pauperrimum quemq. hominem multo plures habentem, premeret anxietas. Quibus de causis naturæ potius, quàm suæ gentis iure vti volens, Regna quæ vni tantum primo nato, dum esset is vnicus, adscribi fecerat, nascentibus ei fratribus diuidenda, atque ratione seruata, partienda esse decreuit. Igitur hæc diu secum meditatus, conuentus Aragonensium Darocæ egit: ad quos Ilerdensis quoque ciuitas Legatos misit. In quibus Alfonso, Regis ex Leonora filius vnicus, ad Regnum Aragoniæ successor est declaratus, atq. ab omnibus Aragonensibus, etiam ab Ilerdensibus Princeps constitutus. Nam vt Cataloniæ principatum Petro primo ex Iolante nato cum maiori gratia Alfonso, & Aragonensium tradi posset, Rex prolatare illud voluit vltra Cingam fluuium, ad ripas vsque Sicoris, ac Ilerdenses sub illo comprehendere. Itaque conuentibus ibi actis, Barcinonem se contulit: vbi similes quoque Catalanorum acti fuerunt, atq. ad eundem modum in eis Petrus Princeps, & successor ad Comitatum Barcinonensem, & Cataloniæ Principatū, decedente Rege, fuit quoq. declaratus: conquerētibus subinde Catalanis, atq. dubiā ei fidem præstare significantibus, ob constitutionem paulò ante Darocæ editam, qua Ilerdensis ciuitas cum toto interiecto tractu, inter Sicorim, & Cingam fluuios, è Catalonia, atque Barcinonensi Comitatu discriminabatur. Ex quò fraudari se maximè sentientes,

apud

apud Regem conquesti sunt, ostendentes, maiorū ipsius Regum constitutionibus constare, inducias Catalanis fieri solitas fuisse quidem, à Cinga ad Salulas, incluso Ilerdensi territorio. Quamobrem ijdem, qui sui admodum iuris tenaces sunt, Regi palam dixerunt: se, nisi abrogato prius edicto, atque conseruato antiquo sibi iure, & possessione ciuitatis ac ditionis Ilerdensis, nequaquam eam Regnorum diuisionem comprobaturos. Quibus vt morem Rex gereret, eoque facilius ipsos in suam sententiam pertraheret, priore abrogata, altera constitutione sanxit, Barcinonensem Comitatum, & Cataloniā terram à Cinga flumine ad salulas contineri: Aragoniæ verò fines, vt prius, à Cinga Farizam vsque terminari. Qua antiquata constitutione pacati Catalani, Petrum libentissimè, vt suum Principem, & ad Regnum successorem complexi sunt. His constitutis finibus, maior est orta dissensio Aragonensibus ob Ripagurtiæ & Palliaris ditiones, quæ sunt vltra Cingam: quas Ramirus & Sanctius, Sanctijque filij, Petrus & Alfonso Aragoniæ Reges, belli iure acquisierant, atque Regno adiunxerant: ideoque ipsi, in quo iudicio, se ab illis excludi, conquesti fuerunt. Vnde ijdem sollicitantibus, Alfonso Princeps à Rege dissidere, atque ab eius amore & voluntate paulatim alienari cœpit adeo insolenter, vt studijs Aragonensium in Alfonso accensis, res ad arma deduceretur. Cum igitur Calataiubij esset Alfonso, conuenere ad eum non pauci ex Regni proceribus, sese ei ad omnia paratos offerentes: populariter id quidem, atque ingrato animo; pronouo, & nondum cognito, neq. perspecto Rege, veterem bello, paceque probatissimum, & sapientissimum aspernantes. Quorum Ferdinandus patruus, qui senio, atque ætate ingrauescente, iam se abbatem montis Aragonum nominari permiserat, atque à Rege alienato semper animo, nunc autem aperto in eum odio fuit, primus Alfonso contra patrem, se nunquam defuturum promisit. Deinde alij, quos Rex non solum perquam multis muneribus affecerat; sed etiam oppidis, & Principatibus donauerat, in Alfonso partes abierunt. Quas etiam secutus est petulantissimè omnium Petrus Portugallensis, qui dimissis Balearibus, vt diximus, se in continentem transtulerat. Itaque diuisa inter se erant omnia; atq.

R 4 ciui-

ciuitates, & oppida Aragoniæ & Valentini Regni in bellum intentata erant, & ad arma conclamabant: nullis quidem in neutram; sed singulis in alterutram partium propensis. Ex quibus, utriusque Regno magnum portendebatur excidium, & execranda ruina: eoque certius, si Rex Castellæ Ferdinandus, ut timebatur, in Alfonso inclinaret, cum illius Principe Alfonso successore, qui tum in armis erat, atque cum magno exercitu, multisque Castellæ proceribus comitatus, auxilio venerat Murciensibus, qui captis armis à Granatensi Rege descuerant: ideoque oppida & loca quædam, tamquam obfides, Principi tradiderant: quibus occupatis, bellum ille finitimis Valentini Regni oppidis inferre cœperat; prætexens pertinere ad se illorum expugnationem ex antiqua diuisione Regnorum, atque ex pacto inter Aragoniæ & Castellæ Reges. Accedebat quod Sanctius Mazuelus Centurio præfidiarius illorum finium, cui Princeps Alcapdetum, & alia oppida ex Murciensibus dono dederat, cum præfecto oppidi Algeziræ Contestanorum, quod, ut diximus, interluit Sucro, atque omnium Regni munitissimum est, interque Setabim & Valentiam positum, aliquid de deditioe Alfonso faciendae egerat: ex quo Regi omnia suspecta esse cœperant. Quamobrem ductis secum Vgone Folcalquerio promagistro præfecto Ampostæ, cum equitatu sui ordinis, & parte exercitus, qui in præfidijs erat, Setabim profectus est, ubi castra posuit; non tam ut Setabitanos obsideret, atque suo conterreret aduentu; quam ut Algeziranos commertio & communicatione Castellanorum prohiberet; utque propior esset illorum agris depopulandis. Interim dum oppugnationi, atque admouendis machinis datur opera, Setabitani equites quotidie in Regia castra erumpebant; viritimque, aut turmatim, præclara utrinque committebantur minuta prælia: intentis tamen à Rege insidijs in Algeziranos, si quos posset, aut intrantes, aut exeuntes Castellanos comprehendere, deque suspectis consilijs certior fieri. Quod intelligens præfectus, sibique persuadens, Regi iam nota esse, quæ ipse cum Castellanis machinaretur, totamque Regis iram & obsidionem, in se, ac oppidum conuertendas, triginta sumptis equitibus, sub ipso noctis conticinio, oppido excessit; seque ad Murcienses contulit. Oppidani verò à Præfecto destituti, continuo

Regi

Regi se libenter dedituros significarunt, modò prædia retinerent; ac etiam sectam Almohadum, qua initiati fuerant: erat enim superstitionior quædam Mahometanorum disciplina. Quibus concessis, oppidum omnium munitissimum Regi traditum fuit. Est enim illud in loco plano situm, muro, atque turribus circumdatum; Sucrone magno fluuio feraces usque ad eum illius agros reddente, ut omnibus propè fructibus, quibus Valentinus ager, præfertim moretis ad bombycum conficiendum opus, abundet: eodem quoque fluuio sese bifariam diuidente, & quasi in duo brachia aperiente; ac quo ad Insulam tantum oppidi capacem efficiat; iterum in vnum coniungente; indeque oppido Arabicè Algeziræ, Insularis scilicet, fuit nomen impositum. suntque præterea duo hinc inde pontes ex secto lapide extructi, per quos in oppidum tantum est aditus; ut sit in oppidanorum arbitrio & potestate, quibus velint in Regnum, aut ingressum aperire, aut exitum præcludere: fuitque idcirco id oppidum ab antiquis clauis Regni appellatum, eamque pro insigni gerit. Quod ingressus Rex ex tribus præcellis turribus, quæ ad portam Valentinam sitæ erant, arcem constituit, eamque fossa cinxit, atque omni armamentorum genere munit. Ibi que demum præsidia cum præfecto fidissimo posuit, atque Christianos à sarracenis separatos, intra arcem se continere iussit. Quo peracto, pactisque cum Setabitano præfecto initis, ab obsidione recessit, occasione literarum, quæ ad eum Lutetia Parisiorum à Gallorum Rege datæ fuerunt, quibus rogabat Regem ut veniret in Aquitaniam; conuenturos enim ambos, atque de arduis Regnorum utriusque negotijs acturos, in Aruernis, sub ipsis Pyreneorum iugis, ad sacradie Mariæ Podiensis Aedem: Quo Rex honorifice, Regique comitatus perueniens, mirè lætatus est occasione eius visende ædis celeberrimæ. A Gallis igitur magnifice exceptus, confectis negotijs (de quibus nulla est in Commentarijs Regis peculiaris facta mentio) in Catalonia remigravit. Inde verò Casaraugustam progressus, diuino factum est numine, ut sedandis tot inter Castellæ, & Aragoniæ Regna dissensionibus, ac etiam inter Reges simultatibus restringendis; nec non sarracenis communi consensu, bello persequendis; pactiones, ac noua fœdera inirentur: eaque matrimonio

R

Iolan

Iolantis, filiarum Regis natu maioris, & Alfonsi Castellæ Principis conciliarentur. Valeoletum, quæ Pintia esse plerisque iam videtur, perhonorificè deducta Iolans, nuptijs concordie & alacritatis plenis, cum Alfonso coniuncta fuit. Post hæc Rex ad compescendos insolentes quorundam Aragonensium procerum conatus, qui Alfonsum Principem filium ab ipsius voluntate & obedientia deducere nitebantur, ex quo Regnum in partes diuidi cœperat, atque tranquillitas Reipub. status perturbari; dies multos in Aragonia manere voluit; suaque præsentia & affabilitate, flectere ac moderari animos; & Alfonsum æquiores sibi reddere. Quæ causa conuentus generales Osee agi voluit; vt Aragonenses, quos tot annis in armis secum esse fecerat, ipsoque efferati bello, atque victorijs insolentes, in ijs, quæ pacis erant, sese superbè, atque immoderatè gerebant, disciplina quoque pacis erudire, sanareque, & ad meliorem vitæ frugem reducere curaret. Ac vt illorum animos, quorum corpora armis munierat, legibus, sanctisque institutis imbueret, procerum atque ciuitatum consilio, accitis ab ipsa Oscensi, ac etiam Ilerdensi inclytis & antiquis Academijs, viris vndequaque peritissimis, leges, ac vetusta Regni plebiscita, institutaque maiorum, in vnum corpus redigi fecit: quorum, quæ obscura erant, explanari; quæ diminuta suppleri; mendosa corrigi; & ad perspicuitatem, claramque rerum, atque verborum intelligentiam omnia reduci curauit: vt secundum id ius emendatum, causæ, & controuersie omnes dirimi, ac iudicari possent. Præterea ad vitandos tot litium anfractus, & controuersiarum, quæ ex aliarum legum discrepantia, ac varijs, & detortis interpretationibus quotidie oriri solent; per sancta appendice sanxit, vt in his, quæ dubia essent, neque huiusmodi institutis decisa, iudices, non ad alias scriptas leges, sed ad arbitrium boni viri confugerent. Ad eò is summus Princeps, nullo armorum strepitu, sed inter arma, legibus scriptis, iudicijsque constitutis, Aragonenses gloriosissimè subegit. Nam antea, patrijs dumtaxat moribus, institutisque ciuilibus maiorum, facinororumque vilitatis exemplis, ijsque per manus traditis, vsi fuerant: id eoque sepe, quod iustum erat ignorantes, ius cum iniuria confundebant. Quæ postquam expediuit Rex, atque vt rata diuulgari fecit. Interea non nihil otijs, & à negotijs Reipub. & à bel-

à bellicis natius, ad domestica, Iolante procurante, conuersus, Regna sua deuolueris diuidere decreuit: certissimè sciens nullo posse arctiori vinculo, tam à maioribus accepta, quam à se parta Regna, integra, ne dilaberentur, retineri, quam constabilita liberorum inter se concordia. Quæ mobrem, vt Imperij fines singulis constitueret, Regna per designata oppida, tum pagos, montes, & saltus partitus est. Quæ partitio, quoniam à Hieronymo Surita in suis tum annalibus Hispanis, tum Indicibus Latinis, speciatim & accuratè per scripta est, eam hic ad verbum subiiciendam duximus. Iacobus ex Iolante secunda vxore, quatuor filios susceperat, Petrum, Iacobum, Ferdinandum, & Sanctium: filias totidem, Iolantem, Constantiam, Sanctiam, & Mariam. Valentie ad xiiij. Kalen. Februarij, Alfonsum Aragonij Regni instituit heredem, & ab Oriente Sole in Occidentem, Cinga flumine, Farizam vsque, & à Septentrionibus, diuæ Christianæ summi Pyrinæ saltu: in Meridiem, ad Aluëtosa fluium, sinibus circumscribit. Cataloniam, adiuncta Ripagurtia terra, & his oppidis, quæ trans Cingam anem de bellata fuerant: & Balearicum, Insularumque adiacetium Regnum, Petro filio attribuit, Iacobum Valentini Regni; & Ferdinandum Ruscitonensis Comitatus, Confluentis, Ceretanæ, Mompellerij ciuitatis, atque ditioris, Castelnoui, Arcislatensis, Frontinianæ, Omelade sui territorij, & iurium Melgoriensis, Paliani, Lupinianæ Carcalonensis, Thermitani, Rodensis, Fenolia densis, Gualdani, & Comitatus Amilianensis, hæredes scribit. Sanctium sacris initiandum Ecclesie dicat. Secundos hæredes substituit, neque in hæreditatis partem filia ab eo vocantur. Sed ex Iolante filia nepotes substituuntur; modò Regni Castellæ successor, Aragoniæ Regni hæreditatem non adeat: & is qui Regnum adeptus sit, Castellæ Regi subijci non possit. Hæc ille. Ex qua Regnorum diuisione maiores consequutæ fuerunt inter Alfonsum & Regem discordiæ, ac dissensiones: non tam ob discriminatos à Regno Ilerdenses, quam ob interceptam vniuersorum hæreditatem: quam Alfonsus, cum esset natu maximus, spe iam deuorauerat. Quæ causa idem, cum Petro Portugalesi, ac proceribus suæ factionis, armorum subsidia à Rege Castellæ poscere, atque ciuitates, & oppida Regni commouere tentauit, obijciens ad tuendum sui Prin-

fui Principatus, atque Regni ius, in Regem, vel parentem, conspirari posse. Verum Rex, qui prudentia & magnanimitate cunctos superabat, machinas, & noua contra se consilia, sua conspicienda, ac decoris, splendorisque plena presentia, perinde ut Sol nebulas, dissipabat; suaque suauis affabilitate, auersos animos, aut urebat, aut mire ad se pelliciebat. Quanquam in eum neque presentem, neque absentem, quicquam aperte unquam ausus est moliri Alfonso. Interim perlatum fuit ad Regem, Rodericum Lizanam, quem Valentini presidij prefectum, atque totius Regni Vicarium reliquerat, cum quinque cohortibus, & una Almugauarum, quos in presidio Regni Rex dimiserat, excursionses fecisse in eas Regni partes, & oppida, quibuscum neque pacta inducitur fuerant, neque ad Setabitanos spectabant, sed ad eos potissimum, qui hostiliter bellum in Christianos mouebat. Unde excursionem facta, dum in urbem cum ampla reuertuntur preda, atque collem quendam, quam in Albaidensem conuallem est iter, non longe a Setabi pertranseunt, vicini sarraceni Oleariz vallis, quae cum Albaidensi committitur, una cum electo Setabitano equitatu, in eos impetum facientes, fauciatu Almugauare, aliisque fugatis, praedam e manibus diripuerunt. De qua re litteris Lizanz factus Rex certior, letari visus est; sed quod rupto a Setabitano prefecto foedere, legitima sese causa obtulerit, ad obsidendam denuo, atque omnino oppugnandam Setabim. Quare praemonitis proceribus, quos sibi fidelissimos habebat, eisque Regnum commendans, ac rursum sumptis alijs secum, qui secreto Alfonso sequebantur, in primis Ferdinando patruo, praecipuo illius fautore, ut factionem diuideret, in Valentinos se contulit; atque in itinere Saguntum sese ei dedit, quod oppidum ingressus, illius Theatrum, ac vetusta sepulchra, cum vestigijs Hippodromorum vehementer admiratus; audito etiam antiquorum ciuium excidio miserabili, vix se continere potuit, quin eis illachrymatus fuerit. Sequenti vero die, abiit Valentiam, ibique Regio more exceptus; atque a prefecto factus omnium certior, quinque peditum cohortibus, cum equitibus centum, ac totidem se postea sequi iussis, Setabim profectus est. Sed dum effect Algezire, quae paulo ante capta fuerat, misit ad illius prefectum, ut continuo, fide data, veniret ad se. Quo veniente, petijt, ut oppidum

cum

cum vtraque arce, nulla pacta conditione, sibi traderet, praefixo ei octo dierum termino; alioqui se flamma & ferro omnia ad ciuium usque interuersionem vastaturum. Abeunte prefecto, Rex etiam cum Regina, Ferdinando, & proceribus, cum nonnullis equitum, atque peditum cohortibus, Castellonem oppidum antea sibi a Setabitanis traditum, abiit. Quo protinus venire legati a prefecto, per quos se ille excusauit; inquit, non tanti fuisse excursionem in Licianam factam, ut ob eam esset ad deditorem compellendus. Procurante Rege, ut iuri, ac iudicio Ferdinandi staretur, legati, recusato iudice, abierunt. Miratus Rex illorum indies accrescentes spiritus, & insolentiam, ab exploratoribus didicit, in causa esse Castellanos, qui ab Alfonso eorum Principe, apud Murcienses cum exercitu agente, missi quotidie, secreto intrabant Setabim, ac prefectum, Alfonso nomine, ad deditorem sollicitabant; data fide, se illico venturos ad oppidum ab obsidione liberandum. Id quod re ipsa comprobatum fuit. Nam erumpentibus Setabitanis equitibus, ac parua praelia cum nostris committentibus, captus ex illis fuit a Petro Loberano Aragonensi nobili miles quidam cognitus Christianus, & Castellanus, atque in castra ad Regem deductus. Qui tortus falsus est, se esse Christianum, ac fratrem Antistitis Conchenis: venisseque saepe Setabim ab Alfonso Murcia missum, mercatorem se simulantem tentorij barbarici magni precij, ibi confecti; ut ea simulata occasione cum prefecto ageret, ad futuram ei defensionem Alfonso contra Aragonenses promittens; modo Setabis Alfonso traderetur. Quo audito, statim damnatus est, ac morte multatus; propterea quod Rex, pridie eius diei, quo captus ille fuit, praecone edixerit, capitis poenam interminatus; ne quispiam Christianus, in scio Rege, Setabim intraret, neve congressum, aut sermones cum Setabitanis haberet: secus facientes, caperentur, & ad Regem deducerentur, eandem poenam subituri. Per id temporis oppidum Enguera ditionis Setabitanorum, sponte sese dedit cohorti militum ab Alfonso missae ad Setabitanos. Id omnium grauissimum Regi fuit; generum suum eò insolentiae processisse, ut se presente, & obsidente Setabim, oppida, quae eius essent ditionis, occuparet. Quapropter missi equites fuerunt cum bona parte peditum, ut excursionses in

Engue-

Engueranos faceret: iamque in insidijs locati, decem & septem ex illis oppido exeuntes ceperunt: statimque Rex affuit, atque oppidanos per legatos hortatus est, ut se illico dederent: quibus renuentibus, atque Alfonsi auxilio fretis, conuitiaque in Regem iactantibus, iratus Rex, in eorum conspectu, ex arboribus suspendi iussit paulò ante captos ex eis: se simili supplicio ipsos affecturum comminatus; quoad oppidum desertum, ac solo esset æquatam. Quæ cum Alfonso nota fuere, misit legatos ad Regem, rogatum, ut colloquio inter se agerent: se enim huius rei gratia venturum Algeziram. Quibus respondit Rex, se, nequaquam cum illo conuenturum vsquam, quin prius damna, quæ sibi intulisset, compensaret. At Rex interim cum equite sui amicissimo, ordinis Calatrauz, qui Vilienam, & Saxium, pro Alfonso in præsidio habebat, egit, ut conseruatis oppidis, sacra castella sibi traderet, atque Aragonensium præsidia in eis poneret; quibus ille consensit. Quare misso equitatu, non solum castella, antequam subueniret Alfonso, occupauit: sed obiter, eadem opera, Capdetanos, & Bugarram, oppida sarracenorum, quæ ditio- nis Castellanos erant, ex improviso cepit. Quo nuncio obstupescens Alfonso, denuò legatos misit ad Regem, ne grauaretur, ut medio in itinere, inter Almiziram, vbi Rex castra poluerat, & Capdetanos, vbi Alfonso tertia fixerat, in colloquium venire: annuit Rex; eoque processit cum Regina, comitantibus Guillermo Moncada, & Hospitalis ordinis Promagistro, Simone Perezio Arenosio, Carrocio, alijsque non paucis equitibus. Cùm Alfonso autem uenire Magister Templariorum, & Vclensis, Lopezius Pharensis, dominus Vizcaie, alijsque proceres Castellæ, & Galletiæ. Postquam conuenere, atque in campo, præter precipuum negotium, nullum colloqui fuerit, Alfonso Regiam locum visurus, in Regia castra se contulit; quæ in ipso Almiziræ egressu posita erant: procurante verò Alfonso, ut in Regium tabernaculum, quod ipsi fuerat apparatus, Iacobus migraret, in suum maluit: quod illico prope Regium fixit. Vbi magna cum lætitia, diem cum nocte traduxerunt; tametsi in conuitia protinus illa versa fuerit. Nam sequenti die, Vclensis, & Lopezius tabernaculum Regis ingressi, ab eo petierunt, ut Setabim oppidum cum eius ditio, Alfonso traderet: quandoquidem nulla nuper debella

ti Va-

ti Valentini Regni oppida, filia Alfonso nuptæ, in partem dotis constitueret, quamuis se ille constitutum promiserat. Quod Rex cū risu excipiens; atque obiectum commetum promissionis, illorum potius sophermati (si forte audita promissione hæret ipse) quam quòd ita sentirent, attribuens: Regi, atque procerum consilio, illis respondit: Alfonso renuntiate; curam à se omnem abijciat Setabis, eiusque ditio obtinenda; cū longè sit, atque ab Aragonensium Regum consuetudine alienum, ad Regias collocandas filias, quicquam dotis nomine adiungere: quo magis à vero abest, me filia oppida dote dixisse. Neque enim ipse cum Leonora eius amita quicquam dotis nomine accepit, tantum ergo abest, ut Setabim, quæ expugnationis iure ad me pertinet, pro debitione dotis ei, aut alia de causa, cuiquam hominum tradam. Instantibus denuò Legatis, atque cum precibus minas quoque iactantibus: tandem Regi palam dixerunt, præstare quidem oppidum ab ipso Alfonso, quæ ab illius præfecto (quod certum atque in manu erat) accipere. Ad quæ Rex subiratus, multo sibi certius esse, respondit, neque Alfonso capturum oppidum; neque præfectum ei tradere ausurum; neque quæquam nisi se ianitore illud unquam ingressurum. Quo dicto, ne ira magis exardesceret, prociaci; insolentique Legatorum proterua commotus, eos dimisit, animo quamprimum inde, in salutato Alfonso, excedendi. Sed ipsdem Legatis cum Regina denuò rempertractantibus, in eam pactio ventum est, ut staretur antiquæ finium, vtriusque Regni diuisioni; atque Murcienf Alfonso, Valentinum Iacobo cederet. Utque Viliena, & Saxium, Capdetes, & Mugarra oppida, a Rege capta; Alfonso restituerentur. Rursum Engueræ, & Moxentium Setabitanæ ditio oppida, quæ se Alfonso dederant, Regi traderentur. Itaque confirmata pactio, atque pacatis animis, post multos amplexus, suum unusquisque arripuit inde iter. Rexque tertio Setabim obsidere statuit; accitis undique è Valentia, & toto Regno præsidarijs militibus, atque machinis, ut oppugnationi extrema opera nauaretur. Quæ tanto fuit studio & contentione militum, spe præde, inita, ut die nocteque oppidum circumfiderent, & comparentem quemuis in muro, aut turribus, sagittis confingerent; atque aditu oppidi cunctos prohiberent. Ex quo oppidani con-

consternati animo, de deditioe inter se egerunt: vidensque præfectus oppidum, et si muro, milite, & armis vndique munitum; tamen duorum mensium obsidione tolerata, com meatu & cibarijs consumptis, fame opprimi; quin & deserente Alfonso, subsidij spem omnem tolli; Simonem Tobiam nobilem Aragonensem sibi notum, qui illum iamdiu ad deditioem adhortabatur, ac benignitatem Regis populo fore vtilem promittebat, ad colloquium admisit. Iamque factione pacta, Præfectus oppidum cum arce minori, in biennium retenta maiore, ac vita & re saluis, nec non facultate manendi oppidanis in secta Algeziranis permissa, se dediturum promisit: ac modò Montesæ, & Valladæ, propinquæ arces, sibi concederentur. Quæ pacta Rex audiens, ac cum Regina & proceribus communicans, visa sunt omnibus digna, quæ non respuerentur; ne tam insignis oppidi possessio amplius differretur. Itaque Rex & Regina, cum liberis & exercitu Setabim ouantes ingressi sunt: statimque Rex captam arcem muniri iussit, ei que Tobiam præfecit, cuius opera & industria eo fuit potius oppido, structura & natura loci, vt diximus, munitissimo, nec non priscis temporibus, propter bellicosissimam eius gentem fama noto. Sequenti die Rex cum Regina, & vniuersis proceribus in magnam, atque profanam Mahometanam ædem ascenderunt: qua expiata ab Oscensi Episcopo (vacabat enim tum Valentina Sedes Antistite, vt dicemus) & altari in ea constructo, sacrum ibi solenne celebratum est; atque à Rege, & omnibus, immortales Christo & Virgini matri gratiæ actæ, de tã felici successu rerû, & incremento Christianæ Religionis. Deinde curante Rege, vt ædes dirueretur, atq. illius loco templum erigeretur; iustrata tamen illa, atque inuenta perampla, & sumptuosa, quin & tecto & parietibus, emblematis ac vermiculato opere mirè contexta, rogatus Rex fuit à Regina, atque ab Episcopo & proceribus, vt templum esset, neque dirueretur: propterea maximè, quòd oppidanorum facultates, tot obsidionibus, atque diutino bello conflictata; vix reparandis tunc publicis ruinis sufficerent: tantùm aberat, vt nouo exædificando templo suppeteret. Quod Regi placuit; sicque expiata ædes illa, consecrata fuit, atque Virgini Matri nuncupata. Quo tempore Arnaldus Peralta Episcopus Valentinus ad

Cæsar.

Cæsar augustanum Episcopatum euectus fuit, simulque Valentino designatus Andreas Albalatus instituti Dominicanorum, Petri Albalatij Tarraconensis Archiepiscopi frater germanus: nam disidente Canonicorum Valentinorum collegio, atque diuersa sequente, dum agitur de electione, Pontificis Maximi concessu, Archiepiscopi Tarraconensis, & Archidiaconi & præcentoris Ecclesiæ Valentini, in Arnaldi locum suffectus fuit. Qui summæ religionis Antistes, iuuantibus Canonicis, cœnobium Cartusienfium monachorum in agro Valentino construendum curauit, cui Portæ Cœli nomen est inditum, decimo ab vrbe milliario, in loco cõtemplationi diuinorum aptissimo situm, à septentrione & occasu altissimis septem montibus, ab ortu verò, & meridie apertum, vt per æquatam agri planitiem pulcherrimus eius esset ad urbem mare vsq. prospectus. Iam verò Setabi capta, subindeque tota Contestanorum regione, quæ tertia est Regni pars, subacta, Rex Alfonso filij molitionibus instigatus, Cæsar augustam contendit; atque, vt tot obortis Alfonso querimonijs, & controuersijs super diuisione Regnorum satisfaceret, generales conuentus Aragonensium, & Catalanorum Alcanitij egit. Quò conuenientibus cunctis Regnorum proceribus, ac Ecclesiarum Antistitibus haud grauatus est Rex equali iudicio cum Alfonso contendere. Verùm illo absente, querelis à Rege, & à Legatis Alfonso propositis, auditisque, Iudices, qui de controuersijs omnibus sententiam ferrent, à conuentu constituti fuere, Petrus Albalatus Antistes Tarraconensis, ac Oscensis, Ilerdensis, & Barcinonensis Episcopi; tum & Templarius Promagister Ampostæ præfectus, & Emporitani Comes, alijque septem principes Aragoniæ & Cataloniæ viri; nec non Legati duodecim ciuitatum, quorum deliberationi ac iudicio Rex stare voluit. Quòd si horum iudicium Alfonso, & Petrus Portugalensis sequi recusarent, se deliberationi summis Romanis Pontif. obtemperaturum sponndit: modò tam fœda disidia sedarentur. Quare ex eis iudicibus protinus missi nonnulli fuerunt ad Alfonso, & Petrum Hispali tum agentes: qui audita legatione, iurifurandi religionem adacti, polliciti fuere, se iudicum selectorum sententiæ parituros: non dubitantes fore, vt & regnandi ius, & successionis spes,

S Alfonso

Alfonso referuarentur. Interim Regi, ac Iolanti Regine multi ex proceribus Aragonensibus, ex Catalanis verò omnes, se aduersus Alfonso adiunxerunt; quorum precipui fuerunt Guillelmus, & Petrus Moncada, Petrus Cornelius, Guillelmus Entensa, Garcias Romæus, Simon Focius, Simon Perezus Arenosius, Sanctius Antilonius, & Petrus Martinus Luna; qui cum plerisque alijs iureiurando polliciti sunt, se vitam, remque omnem pro Regis & Regine salute, pro filijs, proque regio statu impensuros. Quibus Rex gratias egit, seque aliquando illos remuneraturum promisit. Itaque, cum primùm Rex Legatos Hispali reuertit, atque Alfonso & Petrum iudicum selectorum sententiam parituros intellexit, continuo proceribus, ac quibuscunque alijs, qui Alfonso partes sequebantur, publica fide data, ad se venire permisit, ipsisque erepta bona restitui iussit, ac inducias cum eis pactus est, ut liberè iudicum sententiam quisque audiret. Legatis igitur in consilium reuersis, atque Petri & Alfonso tabellis expositis, iudices de controuersijs sic pronunciarunt. Vti paternæ voluntati filius pareret: ut pater filium Regni Aragonij, & Valentini procuratori præficeret, referuato Catalonia Principatu Petro ex Iolante primonato: utque Portugalensi campus Tarraconensis, & Ebusus Insula, aliaque bona restituerentur; exceptis Morella, Segorbio, Sagunto, Almenara, & Castulone, cis Valentiam: quæ oppida, & arces iudicibus traderentur; quoad omnis cõtrouersia finiretur, propterea quòd his arcibus, & præsijs munitus Portugalensis bellum Regi contra ius fasque intulerat. Demùm, ut Rodericus Martinus Portugalensis ex sorore nepos custodia liberaretur. His constitutis, Rex conuentum dimisit; venitque Cesaraugustam, ubi Gothorium oppidum cum arce, Iacobo Balearici Regis Abohitis filio, qui antea, ut diximus, Christo nomen dederat, ac eius posteris, iure hæreditario donauit. Deinde confirmatis suorum animis, ex quibus, industria Alfonso, non admodum multos Cesaraugustæ obtinebat, in Catalonia se contulit; Regina quoque uersum comite, atque continuo pro communibus liberis Regem sollicitante, ut de excipiendo Petro Catalani, quod cœperant, perficerent. Nam ex filijs Iolantis Ferdinandus natus minor obierat; ideoque noua erat Regnorum diuisione opus inter superstites. Conuentus igitur

Cata-

Catalanis Barcinone Rex indixit, in quibus Regna partitus fuit, Petro Catalonia à Cinga ad Salsulas, eisdem finibus, quibus illa Pyrenæis montibus, Arana Valle, & interno mari continetur, attribuit; eiusque usufructu sibi referuato, in possessionem illum immisit; ac protinus Barcino, aliaque Catalonia ciuitates, per Legatos solenni iureiurando addictæ fuerunt. Simili iureiurando proceres, atque Barones, eiusmodi Regni assignationem substitutionemque, qua, Petro decedente sine liberis, Iacobum alterum ex Iolante filium, hæredem & successorem substituebat, tenendam & obseruandam, Petroque omnem obedientiam præstandam, præsentem Rege, promiserunt. Verùm neque defuerunt, qui Regem quodammodo crudelitatis, atque perfidiæ arguerent, propter hanc Petro factam assignationem tanto cum detrimento Alfonso, quem Rex antea vniuersorum hæredem, atque ad omnia Regna successorem legitimum declarauerat; cuique Regna ipsa, & ciuitates in signum obedientiæ, fidem antea dederant: eoque grauius, quòd Petro decedente sine liberis, non Alfonso, sed alterum ex secunda vxore filium illius hæredem & successorem substituebat. Verùm enim uerò, neque sua legitima excusatione vacat; noua Regnorum à Rege facta diuisio; neque omnino crudeliter & perfidè cum Alfonso actum putandum est, quòd relicto illi Aragonio Regno duntaxat, à cæteris fuerit exclusus. Quin potius videtur redarguendus Alfonso, ut ingratus, atque impietatis, & maiestatis damnandus; si profectò meminerimus, ex diuortio Regis cum Leonora Alfonso matre factò, & à delegatis à sede Apostolica Iudicibus comprobato, quàm facilis, atque honesta fuisset Alfonso ab vniuersa hæreditate depulsio; sed rursus quàm libera, ingenuaque Regis, ac nullo iure coacta Alfonso ad Regnum uocatio: cum neque naturæ, neque legibus, neque rationi etiam consentaneum esset, ut qui ex legitima & iusta vxore nati erant liberi, ei, qui ex dubia, incerta atque publico diuortio seiuncta, procreatus erat, in hereditate succumberent: cum eam potius ipsi contra ius sibi ablatam potuissent iure repetere; ac non ex alijs tantummodo Regnis, sed ex Aragonio etiam illum expellere. Vnde cum neque se, neque bona sua nosset Alfonso, sed nimia regnandi

S 2 cupi-

cupiditate accensus; & exheredari fratres procurasset; & à paterna se destitui gratia, & amore neglexisset; neque omnibus potius Regnis fuit vnquam; neque Aragonio diutius; quoniam ferè cœlebs, & sine liberis, in ipso flore iuuentutis, è vita, vt dicemus, discessit. Præterea Rex alteram subiunxit assignationem; quam fecit Iacobò alteri filio, Regni Balearici, ac Ebusi Insulæ; quin vrbs etiam, ac vniuersi territorij Mompelleriensis: necnon alteram, qua eidem Iacobo Regnum Valentinum cum omnibus Castellis concessit, eosdemque Regni proceres, & arcium præfectos similiter ad præstandam illi obedientiam iuramento adegit: Quapropter actis gratijs proceribus; atque ciuitatibus; conuentum dimisit. Interea Rex adhuc Iolante viua denuò diuexari cœpit à Teresia Vidauria; cuius, vt lib. 10. ostendimus, matrimonij causa ad Romanum Pontificem delata, & in ius vocato Rege, lis contestata fuerat. Quæ mansit quidem integra; proptereaquòd nulla pro Teresia firma & graua testimonia dicerentur, donec recurrens ipsa ad Episcopum Gerundensem, quem matrimonij conscium esse sciebat, ab eo obtinuit, vt clam per schedulam ille testimonium ad Pontificem mitteret; quo dicto, matrimonium Teresiz reuiscere, paulatimque diulgari cœpit. De qua re litteris suorum factus certior Iacobus, maxime verò de Pontificis animo in Teresiam propenso, tanta fuit ira succensus, suspicatus id non alio, quam Gerundensis testimonio, cui soli confitens enunciauerat, fuisse patet factum; vt protinus, non tam pro iniuriosa perfidia, quam pro violato sacro confessionis mysterio, Episcopum ad se accersi iusserit; cui Regiam ingresso, atque in conclaue admissio; subito, vt fama fuit, à cubicularijs, à quibus fuerat comprehensus, lingua excissa fuit, indeque Gerundam remissus. Quod facinus sacrilegum, & atrocissimum, vt primùm intellexit Pontifex, Regi diras omnes, & execrationes obnunciare; atque vniuersa eius Regna Ecclesiastico supponi interdicto fecit: neq. vllas excusationis causas à Rege propositas admisit; donec Andream Albalatum Episcopum Valentinum, Legatum Rex misit ad Pontificem, cū litteris summifionis, & obsecrationis plenis; quibus suam ille culpam agnoscēs, nō solum liberationem ab ea, sed etiam errati veniam cum lachrymis depre-

deprecabatur. Qua legatione audita, continuò Pontifex humilibus Regis votis annuens, Legatos duos, Episcopum Camerinensem, & quendam magni nominis monachum Desiderium, Pœnitentiariū, vt vocat, Apostolicum Ilerdam misit, amplissima potestate data, tum Regem à crimine expiandi, tum iusta quoque pœna multandi. Quare præsentibus Tarraconensi Archiepiscopo, & Casaraugustano, Vrgelitano, Oscensi, & Elnensi Episcopis, alijsque Abbatibus, & proceribus vtriusque Regni, cum promiscua populi multitudine, Rex de crimine & flagitio sacrilego in Gerundensem commisso acerbissimè, atque ex animo dolens, illudque publicè confitens, & ex tradita formula detestans, à Legatis plenissimè absolutus fuit: modò cœnobium Benefacianum in montanis Dertofani agri situm locis, quod ante annos quattuordecim, post captam Morellam, in honorem sacratissimæ Virginis inchoarat, sumptuosissimè exedificaret, & perficeret: illudque dote ducentarum marcharum, vt dicebant, argenti, in annuos redditus locupletaret, & ornaret. Quin Hospitali etiam ac Xenodochio beati Vincentij extra muros Valentiz posito, quod capta vrbe ab eo erigi incœperat, sustentandis pauperibus & peregrinis, sexcentas argenti marchas quotannis in perpetuum erogaret; cum certo sacerdotum numero ibidem instituto, qui & diuina curarent, & pauperibus assisterent. Demum vnum sacerdotem præbyterum in Ecclesia Gerundensi constitueret, qui similiter diuinis officijs interesset, continueque Dominum pro Rege deprecaretur. Diploma verò absolutionis datum fuit Lugduni x. Kalendas Octobris, anni M. cc. xlvj. Pontificatus Innocentij Papæ III. anno 4. qui tum agebat Lugduni, atque priori Lugdunensi Concilio generali præerat. Absolutus verò Rex fuit à Legatis, Ilerdæ, decimo quarto kalendas Nouembris eiusdem anni. Id enim significant Epistolæ duæ Regis ad Pontificem; quarum alteram dedit per Legatum Valentinum Episcopum: alteram gratiarum actionis plenam misit ad eundem, impetrata venia. Harum Latinè conscriptarum exemplar vnà cum tota absolutionis serie, ex ipso Benefaciani cœnobij archiuio fideliter translatum, perlegimus. Quæ eo quidem fusius hic explananda duximus, vt tam sparsò, alioqui vulgi rumori de

commisso Regis in Gerundensem crimine occurremus; demonstrata, tum occasione ad illud patrandum oblata, tum absolutio-
ne à Pontificè obtenta, tum demum satisfactione publica à Rege
expleta; ne tacita expiatione criminis, iniusta Regi nota ad igno-
miniam perpetuam inueterasceret: sed cum Dauide Rege per-
sancto, qui grauiora fortè commiserat, ac quia ^{cu}penituit; & veniam
à Deo consequutus est, & in illius gratiam, populi que famam re-
stitutus: sic etiam Iacobus alioqui Rex optimus, & pius, quem que
sui facti maxime penituerat; non solum absolui ab illo meruit, sed
miserante Domino; & eidem reconciliari obtinuit, & bonum
nomen, quod tantis suis rebus gestis assecutus est, perpetua poste-
ritati propagauit. Cæterum quod ad Tereciam attinet, nihil ampli-
us eandem, Iolante uiua, commolitam fuisse comperimus, ac
neque eius ex Rege filios Iacobum & Petrum cum alijs ex Iolan-
te fratribus, consuetudinem ullam habuisse legimus: donec mor-
tua Iolante denuò, quæ in causa acta fuerint, decimo nono libro
ostendemus. Quamquam Iolans paucos post annos, cum esset
Barcinone, atque ad Regem tum Valentia agentem proficisci pa-
raret, lenta quadam febricula correpta à medicis fuit prohibita,
ne se viz daret: sed ingrauescente morbo, cum adhuc media æta-
tate esset, de eius tamen vita fuit desperari cœptum: quod ea tot
fracta laboribus, tot exhausta partibus; tot denique animi angori-
bus confecta, ob dissipatos præsertim de prosperis apud Ponti-
ficem Terecia conatibus rumores, ac etiam sibi persuasum, non de-
futuram Petro, & Iacobo filijs magnam rerum perturbationem,
mœsta semper esset, atque acerbam sibi vitam putaret. Itaque ob-
signato Osce testamento, quo Petro, Iacobo, & Sanctio filijs Co-
mitatum Posania in Vngaria, Regi fratri commendatum, lega-
rat; pio tandem, atque equissimo animo, se totam Deo, Virgi-
ni que matri commendans, è vita celsit; magno sanè sui deside-
rio relicto: quod ea quidem sanctissima, prudentissima que foemi-
na, multis, excellentissimis que virtutibus ornata fuerit. Quam Rex
ex animi sui sententiâ uxorem habuit charissimam, & foecundis-
simam: ac non modò sobolis, verum omnium etiam consiliorum,
laborum que participem & sociam. Vt potè quæ ipsum bello paceq.
semper

semper secuta fuerit; & quam, neque continuè grauiditates; neque
frequentes partus (nouem enim edidit annis quindecim) impe-
dierint, quominus quandoque in tabernaculis, inter que armo-
rum strepitum pareret: ideoque perdigna, quæ à Rege tenerè re-
damaretur, & filios videret, tot, tantisque Regnis decoratos.
Vnde à mœsta, atque pullata ciuitate, in quam illa semper officio-
sa fuerat, perhonorificè, Regio que more, iusta ei facta fuere; at-
que ad Vallem bonam, quò ipsa voluerat (cœnobium id est sacra-
rum virginum ordinis Cisterciensium in Catalonia) cum magna
funeris pompa lata fuit, atque ibidem humata: cuius obitum Rex
tulit, vt par erat, quam acerbissimè; ac denuò iusta ei Valentia fie-
ri curauit; multis que diebus tristis, ac lachrymabundus fuit. Iam
verò idem Valentia agens, cum in eo totus esset, vt susceptam tot
ante annis expeditionem Valentinam ad finem perduceret; ac pau-
ca quædam ultra Sucronem oppida expugnanda essent; duo ad
eum sarraceni venerunt ex oppido Biario, quod in extremis Re-
gni finibus versus Murcienses situm est; atque arce in primis muni-
ta protectum. Ij ex primatibus oppidi se esse professi sunt, atque
cognitione, affinis, & familia potentes, vt mediam ferè partem
oppidi comprehenderent; esse que in ea sententiâ oppidanos si-
gnificarunt; vt oppidum cum nullus esset, neque ex Valentinis,
neque ex Murciensibus, qui defenderet; Regi tradere vellēt: freti
ijsdem conditionibus, quibus Setabitanos, Regem illos admissu-
rum. Sed facta prius fide, vera esse, quæ de se illi prædicarant, Rex
illicò Setabim cum magna manu peditum profectus est; indeque
sumpto equitatu, Biarianis se postridie in oppidum venturum,
per alterum eorum, qui ad se venerant, nunciari fecit; retento
altero, tanquam obside, ac futuro etiam itineris duce. Vbi verò
in conspectum oppidi Rex venit, oppidanos permultos in ar-
mis esse, atque ad dimicandum, potius quam ad pacatè ex-
cipiendum, paratos inuenit. Tum Rex Sarracenum ad eos
permisit ire; at illi intentis in eum hastis, Regios appropinqua-
re prohibebant. Admiratus Rex, suam que fuisse deceptam
expectationem ratus, castra in itinere Moxentij oppidi, citra flu-
uium poni iussit; ibique se ille triduo sarracenos expectans conti-
nuit.

nuit. Vbi verò eos frustra prestolatur, collustrari omnia circum oppidum loca iubet, atque in collem quendam oppido propinquum, qui arci imminet, interiecta conualle, castra mutauit; eaq. vallo circummuniri fecit; animo non abscedendi inde, nisi capta arce, atque diruto oppido; ad idq. reliquum equitatum ab vrbe eò venire iussit; propterea quòd ex paucis interim commissis praelijs cum oppidanis intellexit, strenuos sexcetos equites inueniri inter eos, qui fortissimè dimicarent. Quo tempore rigente brumà; atque frigore seuiente, inopportuna erat in monte castrorum collocatio: ideoque Rex breui oppidanos oppugnare statuit, adhibitis machinis in eam partem collis, quæ arci è regione imminet; quin & vniuersum equitatum media in conualle spaciari iussit, vt presidio esset peditibus in montem, vbi arx posita erat, secretò ascendentibus; scilicet vt & debilia arce loca explorarent, & rimas, quas machinæ, & balistæ facerent, inspicerent; irruptionemque, si qua fieri posset, tentarent; ac etiam vt è summo iugo oppidum, eiusque, ad oppugnandum, aptiora loca deligerent. Nocturnè igitur de tertia vigilia, emissò equitatu, vno simul tempore, à machinis, atque à peditibus cœpta est oppugnatio. Verum vt primum audita tormenta, & machinæ fuere, tam repentina fuit oppidanorum equitum in nostros irruptio, vt turbatis equitibus, necesse fuerit plerosque sauciatos, sese recipere, peditesque interim, qui in montem ascenderant, dubia adhuc luce, cognito periculo, dilabi, & per diuersa loca in castra reuerti. Sed iterum ac sæpe, contendente Rege, atque continuis eiusmodi irruptionibus oppidanos vexate; neque permittente eos pecuaria, & apiaria, quibus maxime viuunt, exercere, factio, quæ sarracenos ad Regem miserat, prædicata eius clementia, & liberalitate erga Setabitanos, ausa est deditioem populo suadere. Quo annuente, prefectus arce non parum conuassat, eosdem illos sarracenos ad Regem remisit, vt dicerent, Biarienses cum eorum oppido sese ei dedituros, si iisdem, quibus Setabitanos conditionibus, reciperet. Placuit Regi conditio, eamque ratam se habiturum promisit; ac protinus oppidum, cum magno omnium applausu, ingressus est: quo potitus, oppugnationi Regni finem imposuit. Ac propterea quòd illud extremum Regni esset, & proximum Murciensibus; refectam arcem

Chri-

Christianorum presidio firmavit, in qua ascendens, mirè delectatus fuit apertissimo, latissimoque camporum benecultorum prospectu, sese versus Murcienses extendente: multoq. magis gustato suauissimo liquore mellis, cuius vberissima est in eo oppido copia, eaq. ob illius excellentiam, existimatio, vt Romanis etiam notum olim, magnique habitum mel fuerit. Albescit enim illud vsque adeò, atque in vrceis frigore quasi concrefcens sic cogitur, vt saccharum non modò colore, & sapore mirè referat; sed vt illud tanquam glareà dispergatur: nec dubito fuisse olim oppidum ab ipsis Romanis Apiarium, ab apibus mellis conditricibus vocatum, sed inuertente vulgo, nuncupatum Biarium. Regi igitur inde Valentiam reuertenti traditum fuit oppidum in itinere, Castalia dictum, munitissimum illud, satisque bellicosa gente defensum, atque iuuandis Biariensibus necessarium: tametsi ipsum quidem, non iure belli, sed dono Arenosij generi, & heredis Abuzethij, cuius fuerat oppidum, venit in potestatem Regis: quod quia propinquum Murciensibus, atque in eo Regia necesse erat collocare presidia; data sunt Abuzethio oppidula Chestium, & Villamartiana, vbi propinqua, Castalia autem Regi celsit. Demum cum primum reliqui totius Regni sarraceni, qui debellati non fuerant, intellexerent Regem, & Setabi, & Biario esse potitum; illicò, se, suaque oppida, & arces, à Sucrone vsque ad Murcienses sita, similibus pactioibus, illi tradiderunt: atque in hunc modum vniuersa Valentini Regni expugnatio gloriosa sapientissimi Regis constantia, & armis, foelicissime confecta fuit; tribus cum ipso Regno subactis Regionibus: Contestanorum, vt diximus, ultra Sucronem, vsque ad Murcienses. Aedetanorum citra Sucronem, ad flumen vsque Idubedam. Illegionum verò, ab ipso Idubeda vsque ad

Cataloniæ limites.

BERNARDINI GOME

SII MIEDIS, ARCHIDIACONI

SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS

gestis IACOBI primi Regis Aragonum,

cogno^mento expugna
toris.

LIBER. XV.



V O tempore, Valentino confecto bello, Rex se se in urbem ad ea, quæ pacis essent, reuocarat, vt illius augeſcentis indies amplificationi operam daret, allatus est ei nuncius è Castella, Regem Ferdinandum III. post deuictam, suoque Regno adiunctam maiorem Beticæ Prouinciæ partem, Hispaniæ febrili correptum obiisse. Quo nuncio tam graui ter, acerbeque affectus fuit, vt sese illico in interioribus conclaue abdiderit, ac à publico multos dies abstinerit, atque illius confoceri, tanquam fratris germani interitum, tristitia & lachrymis vehementer profecutus fuerit. Hanc Iacobi singularem charitatem proceres, præsertim, qui cum eo è Murciensi Regno venerant, & Alfonsi excursions in Valentinos represserant, summopere mirati sunt; quod illius interitum tantopere angeretur, qui in expeditione contra Valentinos, non modo nullum laboranti Regi auxilium miserit; sed illius etiam hostibus, submissis clam subsidijs, animos contra ipsum addiderit: atque inter alia maxime, Setabitanorum deditioem longo tempore impedit. Quos ille sermones à domesticis relatos, his verbis refuta uit. Non possum equidem non mirari tarditatem, ac stuporem vestrum; quod de ea, quæ mihi semper cum Ferdinando Rege inuicissimè intercessit, charitate & necessitudine, periniquè, atque aliter, quam res est, iudicetis: quodque eum, quem ego perpetuo, vt debeo, colui tanquam fratrem, cuiusque ope & armis omnia contra sarracenos bella confeci, auerso, atque alienato, dum vixit, à me animo fuisse existimetis. Quæ enim ille bella Beticæ Prouinciæ sarracenis

cenis intulit; ea quidem nobis, tum victoriæ, tum etiam triumpho de Valentinis fuerunt. Nam dum Cordubense, atque Hispalense, duo potentissima Regna, à Mauris idem vi cepit, adeoque Granatenses omnium bellicosissimos repressit, vt in suum illos quasi angulum compulerit; an non hostium prope infinitorum multitudinem, alioqui ad Valentinos conuolaturam, à nostris ipse ceruicibus depulit? Nonne in sustinendis, atque auertendis illis, talem se erga nos præstitit; quales & nos erga illum? qui Baleares, & Valentinos, nostro implicatos bello, ne mari terraque Beticis auxilia ferrent, continuimus? nec dubium, quod depositis in communi periculo odijs, sarraceni sese mutuo adiuuassent auxilio, iunctisque viribus, nostras penitus protriuisent, & labefactassent. Sed diuino plane factum est munere, vt vno simul tempore ille Beticam, nos verò Balearicam, & Valentiam expeditionem, non ad profligandam modò Mahometicam perfidiam; sed ad veram quidem Christi religionem inducendam susceperimus. Atque vtinam eadem in Alfonso filio, quæ in illo mens esset; idem in persequendis sarracenis studium & contentio: non enim dubito, ambos; communibus armis, breui posse cunctos illos ab vniuersa Hispania pelleri. Quos igitur Deus, ætate, moribus, animis, atque pia mente conitinxit; quorumque pari armorum impetu, contra impios suos hostes acies direxit; eos, ne quæso, dispari, atque auerso inter nos animo fuisse arbitramini: quin potius me, & illius gloriæ ac famæ emulum, ac imitatorum; & illum, quibus dixi de causis, mearum victoriarum, atque triumphorum participem, & quasi auctorem habete: neque quicquam tam ex animo, quam illius profecto mortem dolere me existimate. Quæ audientes proceres, non admirari modò; sed propter eius animi moderationem, quasi è cælo delapsam, obstupere ceperunt: qui oratione non minus subtili, quam eleganti, & urbana, partas à se victorias Ferdinando, reuera æmulo, generosissimè attribuerit. Ac insuper exequias, & iusta ei cum magna pompa, cantu, & laudibus fieri curauerit. Quin etiam Legatos ad Alfonso generum eius successorem consolandum miserit; seseque eidem nunquam non astiturum, atque in sarracenos semper ad futurum obtulerit. Veruntamen Alfonso, suscepto Regno, quamuis strenuus ac bel-

bellicosus esset, varius tamen, atque à suorum ingenuitate defle-
ctens, hæc aliorum, atque à Iacobo socero facta, dictaque sunt acci-
piens, simulata beneuolentia, gratias se illi habere respondit, ac pa-
ratum esse referre. Sed paulò post, ex quo Hispali Regia insignitus
corona fuit; non amplius persequi bellum, quod socio Iacobo, Va-
lentino bello expedito, facile confecisset; sed inducias cum Rege
Granate, reliquo sarracenorum Hispaniæ Rege, festinanter, nihilq.
consulto Iacobo fecit. Quin & eiusdem quoque soceri odio, Iolan-
tem vxorem dimittere, atque prætextu sterilitatis, diuortium cum
ea facere tentauit. Nec mora; Legatos nonnullos misit ad Regem
Noruegiæ, qui sibi Christinam eius filiam peterent ducendam
vxorem. Quo etiam tempore bellum ab eo contra Iacobum reno-
uatum est, atque in his locis, quæ in finibus Murciensis, & Valentini
Regni sita sunt, congregato vndique exercitu re integratum, mis-
sis à Iacobo magna manu peditum, ac turma equitum, ad Regni dū
taxat fines tutandos, atque hostes non prouocandos, sed arcendos.
Verum intercedentibus quibusdam vtriusque Regni Antistitibus,
& proceribus, in eam concordia pactioem à Regibus est deuen-
tum, vt damna, præde, atque vtrinque factæ direptiones compensa-
rentur; vtque antiqui expugnationis termini, & diuisiones denuò
definirentur; ac iura super ijs ad vnumquemque spectantia renoua-
rentur. Quibus sancitis, atque in finibus dispositis vtrobiq. præsi-
dijs, ab aperto quidem bello cessatum est, non tamen à tecta simul-
tate. Cæterum veniens è Noruegia Christina nuptura Regi, sua fuit
spe deturbata. Nam interim diuina ope factum est, vt Iolans iam
grauida, Alfonso à diuortio deduxerit. Vnde anxius, ac dubius
Alfonso, quid de Christina ageret; ne turpiter eam cum tā illustri
Noruegensium procerum comitatu delusisse videretur, Philippū
fratrem germanum Abbatem Pintiensis, ac nuper electum Anti-
stitem Hispalensem, non tamen sacris initiatum, Christinæ spōsum
obtulit. Sed displicuit Christinæ suppositio, eiusque comitibus sum-
moperè; qui veluti furore correpti, Christinam Regiam virginem
è tam longinquis, atque vltimis prope terris deductam, ac deceptā,
seque vna cum illa delusos, cōquerentes, totam aulam clamoribus,
lamentis, & eiulatu, barbaro suo more expressis, compleuerūt. Ve-
rum

rūm occurrerunt Antistites, & summi Castellæ proceres, nomineq.
Regis, Christinæ promissere, Philippum esse magno quodam Prin-
cipatu à Rege donandum, ac toti Galletiæ Regno præficiendum; nec
non Regē sine liberis decedente, illum Regnorum, atque vniuerso-
rum hæredem declarandum. Placuit Christinæ suisq. conditio, ac
protinus sponsalibus factis, Philippo Christina nupsit, fuitque in re-
gia tibijs facibusque nuptialibus matrimonium celebratum, atque
Christinæ comites læti in Noruegiam reuersi. Quanquam proce-
dente tempore, ignauia, & tergiuersione Regis, neque Philippo
demandata præfectura fuit; neque Christinæ Regius honos habi-
tus, neque necessaria suppeditata. Indeque discordia orta, atque fa-
ctum, vt Philippus à Rege ad Nauarrensem, vt dicemus, descuerit.
Posthæc nunciatum est Iacobo, Tibaldum Regem Nauarræ Sanctij
Regis ex sorore filium obiisse Pompelone, quæ est Regni caput, duo-
bus paruis filijs Theobaldo & Enrico, cū eorum parente Margarita
Regina ipsorum tutrice relictis. Vnde Iacobus de Tibaldi obitu
certior, iunctis sibi nonnullis proceribus Aragonensibus, cum exi-
guo equitatu Tudelam venit, Margaritam visurus, vbi tū ea mœsta,
& magno dolore affecta cū libetis agebat: cuius aduentu valde fuit
recreata: quoniam in ea sententia erat, vt Regnum sub tutela & pa-
trocinio Iacobi poneret, qui à perpetuo, potentissimoque Nauarræ
rege, illud defenderet. Quod Rex libentissimè su-
cepit: ac conuenientibus Alfonso Principe filio; Antistite Turia-
sonensi, ac compluribus tam Aragoniæ, quam Nauarræ proceri-
bus, cum nonnullarum ciuitatum Legatis, loquuti inter se Rex & Re-
gina, in summa hæc pacta fecerunt. Nempe vt Theobaldus Regni
hæres Constantiam, aut Sanctiam Regis filia, vt primū esset nubilis,
vxorē duceret. Rex verò Theobaldo ac Reginæ omnem opem cō-
tra Regem Castellæ Nauarrense Regnū affectantem ferret: ad eaq.
promissa, verè & ex animo præstanda, Rex & Regina, cunctique v-
trinque Antistites & proceres, ipseque Alfonso Princeps, se iureiu-
rando obstrinxerunt. Quæ pacta vbi audiuit Alfonso Castellæ
Rex, eaque in sui contumeliam facta existimans; continuò con-
scripto exercitu, cum magno belli apparatu ad fines Nauarræ ve-
niens, progredi ultra, ac Regnum tanquam ad se pertinens, nō mo-
do oc-

dò occupare; sed Margaritam & Theobaldum ab eò expellere tē-
tauit. Quod plane perfecisset, nisi à Iacobo pari cum exercitu oc-
currente prohibitus fuisset. Nam iunctæ copiz ex Oscensi, Iaccen-
si, & Cæsaraugustana ciuitatibus, sese illicò in Nauarram, eius defen-
dendæ gratiâ immisere. Quare deterriti Castellani, pactis cum Re-
ge inducijs, dimissoque exercitu abierunt. At verò Iacobus & Al-
fonsus Princeps, pacatis tum inter se animis, Barcinonem profecti
sunt, vbi congregatis in Palatio proceribus & Baronibus Regni, assi-
stentibus Tarraconensi, & Barcinonensi Antistitibus, publicè & so-
lenniter Alfonsus donationes, siue assignationes à rege factas Pe-
tro & Iacobo filijs, tam Principatus Cataloniæ, quàm Regni Valen-
tiæ, ratas habuit, nullo iure excepto; ac Regi manus de osculans, a-
mantissimeque fratres amplexans, in amorem & gratiam eorum re-
stitui visus est. Insuper ratum habere voluit, quod de Ilerdensibus
ab Aragonensi Regno separandis egerat; atque illicò vniuersos Ca-
taloniz proceres cum ciuitatibus à data fide priorum finium tuen-
dorum penitus liberauit: seseque iureiurando ad illa seruanda ad-
dixit, ex vetustissimo Regni more; Rege videlicet, suis manibus pol-
lices Alfonsi funiculo vinciente. Quo sacro fœdere fidē suam ob-
strinxit Alfonsus; scribendo ad fuere, qui supra scripti sunt Antisti-
tes, Vgo etiam Comes Rhodensis, Raimundus Falco Vicecomes
Cardonensis, cum alijs nouem Catalonię primatibus. Quibus per-
actis Rex, cum cognouisset Castellanos denuò animum intende-
re in Nauarrę Regnum, nouasque ad illud occupandum copias &
exercitum parare, eò properauit, atque in oppido Mōtacuto Theo-
baldum Regem conuenit, vbi renouatum fuit amicitiz fœdus ad-
uersus communes hostes, atque arces vtrinque tanquam obsides
traditæ. A quo fœdere Rex neminem voluit exceptum, præter Ca-
rolum Andium Prouinciæ Comitem, Francorum Regis fratrem,
qui postea Sicilię Regnum adeptus, capitales inimicitias cum Petro
Principe gessit. Theobaldus verò Francorum Regem, & eius fra-
tres tantummodò excepit. Quæ fœdera, & proceres Aragonenses,
& optimates Nauarrenses, pro virili se obseruatuos promiserunt.
Cumque ambo Reges commoto admodum essent animo in Ca-
stellanos, eosque bello persequi cogitarent; induciæ tamen cum ijs
factæ

factæ sunt, atque ab armis, annis plurimis Nauarra conqueuit. In-
tereà sarraceni Valentini, qui sese Regi subiecerant, pactis ac condi-
tionibus, vt more suo viuere, atque in Mohebetana secta manere
possent, pro innata ipsis infidelitate, vt primùm viderunt Regem
extra Regnum alienis implicatum bellis, occulta parare arma cœpe-
runt: iamque vocato clam Alazaracho sarraceno magni apud eos
nominis, qui paulò ante à Rege perpetuò exilio mulctatus, ad Gra-
nates abierat, ipsoque ductore, in Regem conspirarunt. Hic Alaza-
rachus patre Afro, in finibus Regni versus Murcienses natus, & cū
eis educatus, licet colore fusco & vultu fero, tamen procerò, ac præ-
stanti corpore, & ad bellandum expedito erat: quin mediocri etiam
fortuna & opibus præditus, Castellanam perinde vt Arabicam lin-
guam callebat, eruditusque in vtraque, & eloquens erat; ac per-
quam callidus habebatur, neque non valde fictus ac simulatus. Nā
in expugnatione Regni, se antea Regi adiunxerat, familiaritate ser-
monis, eique suam omnem operam & fidelitatem promiserat, atque
sarracenorum consilia & deliberationes sæpè retexerat: Rexque sua
illi quoque communicauerat: ac etiam vt Christo nomē daret sua-
ferat, multa pollicitus. Ad quę subridens dicebat, se facturum id
quidē, modò sibi soror Carrocij domini Rebolledi (erat enim fœ-
mina omnium pulcherrima) vxor daretur. Qua ille consuetudine,
atque familiaritate regia vtens, magni æstimabatur à suis, consiliaque
nostra, ac belligerandi artem & administrationem callens, magnos
sibi spiritus sumpserat, maioraque indies in Christianos facinorā
moliebatur: parumque adfuit, quin Rex nimis ei fidens, aliquando
in eius manus inciderit. Nam dum Bairenam vallem olim Rex de-
bellaret, ac summā ope niteretur castrum Reguardianū, quod val-
dè munitū erat, ac impedimento trāseuntibus in intimam vallē, ex-
pugnare, Alazarachus occurrit, atque castrū se ei daturū promisit: mo-
dò ipse noctu, de secunda vigilia, cum paucis veniret. Vnde Rex fa-
miliaritate fretus; cum ad præstitutam horam venisset, viginti quin-
que equitibus comitatus; totidemque præmissis scutiferis versus ca-
strum; subito Alazarachus ex insidijs, quas tribus in locis collocauerat,
prosilis, magno cum tympanorum sonitu, & clangore tuba-
rum, clamoreque solito, cum trecentis in Regem sarracenis erupit,
qui dum

qui dum scutiferos primò sibi occurrentes inuadunt; atque inter ipsos Regem diligentissimè exquirunt; diuertendi locus datus est Regi, quoad sese tuto in castra recepit. Verùm postero die aduentu exercitus, destitutum ab Alazaracho castrum Rex cepit. A quo tempore ille profugus ad Murcienses abiit, publicatisq. eius bonis, atq. maiestatis damnatus, perpetuò fuit etià exilio mulctatus. Itaq. absente Rege, atq. in Nauarrésia negotia intento, Alazarachus eorù, qui còspirauerat, dux effectus, oppida & Castella quædam in valle Gallinerana, non longè à Bairena sita, in quibus Rex præsidia habebat, non tam vi, quàm dolo cepit. Quæ cum ad Regem perlata sunt, qui Calataiubij tum agebat, protinus cum vniuerso comitatu, ac nouo etiam exercitu conscribi iussio, Burrianam profectus est, vbi intellexit Alazarachum, meridie, scalis admotis, in arcem Penaguilæ munitissimam conscendere tentasse, sed à præsidarijs repulsum fuisse. Quo nuncio Rex citius Valentiam peruenit: vbi explorata conspiratione, inuentum est, vltra Sucronem omnia ferè oppida, duce Alazaracho, conspirasse; citrà verò, occultè id ipsum tentasse. Qua de causa de expellendis è Regno sarracenis omnibus cogitauit: prius tamen suis in consilium adhibitis; atque conuocato in urbem concilio, cui interfuere Arnaldus Peralta vrbis Antistes, Petrus Fernandus Assagra, Petrus Cornelius, Guillermus Moncada, Artalus Luna, Rodericus Liciana, & Simon Vrrea, illius Simonis filius, qui Balearicæ, & Valentinx oppugnationi præfuit, ac inclytæ, clarissimæq. Vrreanorum familiæ, sanguine, fama, & factis propagator fuit, atq. Arandensi Principatu, apud Aragonenses, quo & posteri eius potiuntur, à Rege, vt fama est, donatus. Ij ergo primi procerum, atq. assidui bello paceq. Regis comites, cum alijs litteratis, per sanctisq. viris Ecclesiasticis, atq. ciuitatis optimatibus, in tēplum maximum conuenerunt. Vbi sacro in primis factò, ac Deo se totos commendantes, Regem sic verba facientem audierunt: Viri prudentissimi, vos omnes testes, atque socios habemus nostrorum grauissimorù laborum, quos in oppugnanda hac vrbe & Regno, toto bello pertulimus; & adhuc perpetimur: non tam vt arces, oppidaq. & hominum corpora nobis subijceremus, quàm vt pretiosas illorum animas Christo, eiusq. religioni sanctæ lucrifaceremus. Quod tam-

et si in

et si in vrbe, cum eius suburbanis, vtcumque præstitimus; dum re-tentos ibi sarracenos, aut Christo nomen dare; aut inde excedere coëgimus: in alijs tamen Regni locis efficere non potuimus: sed vt libentius in deditionem venirēt, in sua ipsos secta relinquere necessum fuit: ne si ad abiurandam illam ante deditionem compelleremus, prouocati subinde ad pugnandum pro aris focusq. vel ex pugnationem nobis retardarent; vel dubiam quidem magisq. que cruentam redderent. Nam quamuis certum esset, nos in hisce prælijs, vitam nostram Deo, atque æternitati consecratos; illorum tamen animas, quas forte liberare potuissemus, simul cum corporibus perdidisse, nefas duximus: vt aliquid interim fuerit cum illis necessariò dissimulandum. At verò confecto iam bello, pacatisq. omnibus, quòd in suis oppidis, vicis, domibus, atque prædijs, sua etiam in secta relictis; maiore denique libertate, atque tolerabiliore, quàm antea, iugo, terram colentes, tam apertè defecerint; quodq. conspirarint, & aduersum nos arma sumpserint; id innatam profectò perfidiam, atque natura insitam eorum animis infidelitatem arguit: ac neque Deo, neque nobis eos futuros vnquam fideles prænucciat: quinimò manifestè indicat, numinis, ac voluntatis diuinæ esse, vt eiusmodi infidelitatis zizania radicitus euellatur, atque in fasciculos colligata, aut emittatur foras, aut edocentenos Christo, comburatur; quo purius, atque fœcundius natiuorum Christianorum, quasi triticum ex sòlo in cœlum crescat. Proinde vt tot, tantisque, quæ attigimus, malis occurramus, vt que tot, tantaque prouenientia inde bona amplexemur; visum est nobis, munita in primis vtraque Setabitana arce, & Algezirano Sucronis transitu impedito, cum alijs præcipuis Regni castellis, præsertim vrbi propinquis, Sagunti, Almenaræ, Chiuz, atque Enesæ, ad defensionem preparatis; necnon vrbi suis quoque prædijs relictis, collocatisque: perfidam eiusmodi Sarracenorù gentem è Regno expellere; eamque à consuetudine, atque frequentè congressu nostrorum penitus secernere, iamque illorum loco, Christianos vndique euocatos, ad ipsum incolendum, & inhabitandum deducere: cum tale quidem sit illud, eiusque fertilissimi, atque amœnissimi agri tanta vbique terrarum fama peruulgata, vt

I nemo

nemo sit, qui non perlibenter suum natale solum cum Valentino commutet. Quæ cum dixisset Rex, magna consecuta est procerum, & Baronum, quibus sarracenorum oppidula dono Regis obtigerant, vociferatio, atque ab Regia sententia discessio; propterea quod sibi persuaserant, colonos Christianos, minus fore culturae agrorum, atque sibi utiles, quam sarracenos, neque se in illos, ut in hos, Imperio & dominatione abuti posse. Verum enim Rex, cum Antistites, totumque Ecclesiasticum ordinem, & Valentinus ciues, in eadem sententia esse videret, consilium minimè mutandum duxit. Maxime verò accepto per id tēpus diplomate Clementis III. Ponti, quo ipse Regem vehementer adhortabatur ad sarracenos è Regno exterminandos; atque iustissimis, sanctissimisque de causis Mahometanos impios à Christianorum consuetudine & societate omnino arcendos esse suadebat. Sicuti in eisdem Suritz Indicibus, de verbo ad verbum relatum illud videre est. Itaque Rex quamprimum munitis arcibus, atque exercitu oppidatim distributo, generali edicto iussit, omnes tam foeminas, quam mares sarracenos, capitali poena, intra mensem, cum omni re sua, aut quantum vellent, Regno excedere. Quo edicto vix est credibile, quanta fuerit ubique consecuta rerum perturbatio. Nam videbatur nonnullis, sarracenorum depulsione, Regnum ad maximam solitudinem redigendum: quod intermissa cultura agrorum, necesse esset omnia squallere, ac terram lyuescere, indeque tamquam depopulatam deseri oportere. Contra alij, conuolatuos esse potius ex yniuersa Hispania in id Regnum homines, dicebant, præcipue quidem ex motanis, asperrimisque Aragonie & Cataloniae locis; cum ij pro vna tantum domi segete, seu messe relicta, tot, atque tam varias in Regno essent omnis generis fruges percepturi: ac neque amplius cum duriore terra illa, quæ vomeres & rastros excutit, pugnaturi; sed cum ea potius acturi, quæ omnino fertilis, & benigna est, neque vllum agricolæ recusat imperium: præterque id addebant, neque culture arte sarracenos Christianis præstare compertum esse; cum ab ipsa expugnatione urbis, pulsus inde sarracenis, illius ager Christianis datus excolendus, cæteris totius Regni, quos sarraceni colunt, non modo vberior ac fructuosior; sed diligentius consitus, speciosior euaserit. Verum de edicto Regis factus certior Petrus Portugalesis, qui multis,

vt di-

ut diximus, in continenti imperabat sarracenis, actum Sagunti agebat, in urbem venit, atque in edictum palam inuectus est. Quamobrem proceres & Barones; ductore Petro, sarracenorum causam defendere statuerunt; quam ille suscepit libentissimè, atque ut suam agebat. Nam cum quatuor præstantissimis Regni oppidis, Sagunto, Almenara, Segorbio, & Castulone, Burriana proximo potiretur (hæc enim illi cesserant compensandis Balearibus, quas dimiserat) quæ à permultis, ac bellicosissimis sarracenis colebantur; animosiores eos Petrus ad sese defendendum effecerat. Indeque cæteri totius Regni, propugnatores illo, arma sumperant. Id autem Regi molestum ac pergrauè fuit, aperteque intellexit, nisi desistente Petro, minimè se voti compotem euasurum. A quo accersitus ille, cum venisset, multa Rex queri cœpit, quorum summa hæc. Data illum opera omnes Regios conatus, qui pro incremento & conseruatione Regni suscipiantur, infringere conari; remque nunc valde publicæ tranquillitati necessariam, priuatis irretitum commodis impedire. Itaque pro communi Reipublicæ commodo rogare illum, ut siquid aduersum haberet, quod esset resarciendum, id Antistitum, atque procerum iudicio relinqueret; facturum se quidem omnia, quæcunque illi iudicarent. Unde designati ab utroque iudices, Rege, Petroque auditis, duo decreuerunt; vnum, ut Rex certam pecuniæ summam, Petrus statim numeraret, alterum, ut quandiu commotum à sarracenis bellum gereretur, Rex ea ipsa oppida Sagunti, aliaque dicta, munire, suisque sumptibus, præsidarios in eis milites à Petro deligendos, collocare teneretur. Quæ iudicum sententia, cum utriusque placuisset, rursus eodem fuit Rex Petro ducè vsus ad institutum susceptumque expulsionis edictum exequendum. Quapropter atrocissimum à Sarracenis commotum est bellum in ea oppida & arces, quæ à Rege tenebantur, intactis alijs, quibus dominabantur proceres: quod fama esset, ijs reclamantibus, soloque nutu Regis, decretam fuisse expulsionem. Unde Regijs ducibus, qui vel ex dissensione procerum, vel ignauia & insolentia, quæ ex partis antea victorijs euenire solent, rem bellicam malè gerentibus victoribus, discordijs sæpe inter eos ortis; sarraceni

eeni indies pleraque oppida, & arces, ad duodecim ex Regijs occuparunt; atque in præfidiarios illorum milites crudelitatem barbaram exercuerunt. Ex illis Alazarachus, repente ex duce iam factus Imperator, exercitum sarracenorum sexaginta millium comparauit. Sed res quidem in miracula referenda, atque diuino profus ascribenda numini, contigit: quod tam immensus cum esset coniatorum numerus, ut, cum foeminis ac paruulis, centum quinquaginta millium excederet; tanta tamen socordia, & timiditas inuaserit eos, ut quo die expellendi erant, Simoni Perezio Arenosio, magno Regis cubiculario, timidè pollicerentur, duros se Regi dimidiam bonorum suorum partem, modò à Rege, publica data fide, liceret eis tutò Regni fines excedere. Verum enim Rex nihil ab eis accipi permisit; sed eum omnire incolumes ad Murcienses vsque deduci iussit. Fuit multitudo eorum penè innumerabilis; adeò ut sit à Rege in Commentarijs relatum, à primo ipsorum agmine ad extremum, fuisse quindecim millia passuum; ac etiam fama proditum, ab Idubedensi prælio, ad eam diem, tantum numerum sarracenorum vnum in locum nunquã conuenisse. Ideoq; hoc tam insignis expulsionis facinus merito inter summa, præclarissimaque Jacobi facta numeratur. Qui tandem sarraceni extra Regnum positi, atque Vilienam vsque deducti, à Federico Regis Castellæ fratre, qui tum erat Vilienz coacti sunt, singulis besantijs, singula capita redimere: atque inde transeuntes, partim in Murciaensi, & Granatensi Regnis confederunt; partim in Spartharium campum; quem Arabes Manxam vocant, disiecti fuerunt; partim in Africam cum vxoribus & omni re traiecerunt. Verum ex ipsis, qui Regno excedere noluerunt, plerique, Duce Alazaracho, sese in montana Contestaniz regionis receperunt, vbi permultis commissis prælijs cum Christianis & exercitu Regis, triennio sese strenuè tutati sunt: eodem Federico, & Manuele Regis Castellæ fratribus, qui Vilienz agebant, clam subsidia Alazaracho submittebant; ipsoque Rege, posthabitis inducijs, cum illis consentiente. Nam simulato officio, ut Alazarachum perpetuò hostem Iacobo obijceret, legatos Valentiam misit, ut induciarum annuarum cum illo iam fierent. Quas Iacobus tametsi, quo illarum consilio peterentur, intel-

ligeret,

ligeret, ut tamen ei morem gereret, fecit. Qua causa elatus animo Alazarachus multò sese insolentius habere, atque fauore Castellanorum magnificè iactare, deque Iacobo fastidiosè loqui cœpit: quin & vexilla Regis sui, ut dicebat, Castellæ, in arcibus se collocaturum comminabatur. Quæ omnia Iacobus tunc premebat, iram recoquens, quousque induciarum finiretur. Vnde cum doloso, simulque glorioso & ignauo hoste, dolosè itidem agere decreuit. Nam cum sarraceno quodam Alazarachi amicissimo egit, ut illi persuaderet, frumentum venderet, quo abundabat, ingentem inde pecuniam coactus, quoniam per id tempus carè illud vendi solebat. Neque enim dubium erat, de poscente Castellæ Rege, nouas cum eo, non modò inducias, sed pacem facturum Iacobum. Interim Rex Raimundo Cardonæ, & Guillermo Anglesolæ, alijsque Aragoniz, & Cataloniz proceribus iniunxit, ut in consequentem Dominicæ Resurrectionis diem festum, qui erat induciarum terminus, præstò essent cum copijs, & exercitu vndique collecto ad urbem. At verò Alazarachus credulus, frumeto diuendito, diues effectus, ignobili cupiens frui otio, vix dimidio mense ante completum induciarum annum scripsit ad Regem Castellæ, petens, ut iterum annuas sibi inducias impetraret à Iacobo. Ad quem protinus Rex Legatos misit, rogans ut renouaretur illarum cum Alazaracho. Quibus mirari se valdè, respondit Iacobus, Regem generum suum tam esse propitium illi barbaro, qui toties vitæ suæ fuerat insidiatus, atque Castellæ & oppida occupauerat, ut intra proprium Regnum tueri illum, ac prohibere niteretur, quominus dominus de seruo poenas repeteret. His dimissi verbis legati, re infecta, abierunt; Rex verò celebrato Paschate Valentiz, vltimo eius festo die profectus est Setabim, quinquaginta tantummodò sumptis equitibus: indeque ad aucto equitatu Cocentaneam, illustre Contestanorum oppidum in montanis situm venit. Ibi nunciatum est exercitum ab Aragonia & Catalonia Valentiam peruenisse. Itaque Rex arcibus Planesij, Castellæ, & Pegi oppidorum in itinere receptis, postero die, audito sacro, in oppidum Alalanum, vbi Alazarachus frequentius erat, contendit. Sed nihil minus quàm decertare cupiens Alazarachus (vendito enim frumeto exercitum dimiserat) indeque abiens cum

I 3 paucis,

paucis, & Gallineriam pertransiens, ex vno in alium locum insequētem Regem diffugiebat. Ex quo Rex parte Gallineriæ conuallis cū Alcalano, & arcibus recuperatis, reliqua sexdecim castella eodem itinere in potestatem redegit. Sentiens igitur Alazarachus Regem non cessaturum, quoad ipsum caperet, pactum cum eo facere procurauit, promittens se toto Regno perpetuò excessurum, modò ipsius familiæ & consanguineis Rex parceret, neque eos Regno expelleret. Quod, vt primùm perfecit illè; sic Rex cum eius fratris filio se gessit liberaliter; vt castellum cum oppido Polopenfi, paulò vltra Calpetanum promontorium, Iphax dictum, dum viueret, concesserit. Rebus ita compositis, Alfonsi Regis artes & consilia conciderunt. Ad quem Iacobus, tanquam redditurus rationem nuper confecti belli, legatos misit, qui dicerent; Regem suum hisce proximis diebus venationi fuisse, & aucupio intentum; atque intra dies octo castella sexdecim aucupatū. Quo dicto alludere visi sunt ad illud, de quo paucis ante diebus, Alazarachus cum ipso Rege Castellæ agens, fuerat gloriatus. Nam interrogatus, nū aucupio, aut venationi ferarū esset assuetus: minimè verò, dixit ille, sed hominum: nisi etiā mauis castella tibi me aucupari Regis Aragonensis. Hoc dicto, Regi, suisque multus iam fuerat risus excitatus. Per id tempus Alfonsus Princeps, nondum ab incensa cupiditate regnandi liber, sed iniquorum hominum stimulis, fortassis Alfonsi Castellæ eius consobrini, adactus, nouas contra Regem querelas spargebat: quòd Rex non contentus donatione Cataloniæ, Petro, consensu ipsius, paulò antefacta, etiam Valentinum Regnum, & Balearicum, alioqui ad Aragonensium expugnationem spectantia, eoque ipso, primo nato iure sibi debita, Iacobo fratri tanquam successori declarato, dono dederat. Cuius importunis querelis Rex occurrēs, consilio suorum, Alfonsum vniuersę procurationi Regnorū Aragoniæ, & Valentini præfecit. Hæc autē procuratio tametsi antiquis legibus primo filio deberetur, nulli tamen vnquā fuerat, præterquā Alfonso, tradita: sicquē fuit ad tēpus querimonia sedata. Eodē tēpore Aluarus Perezus Aslagra ad Regem venit, vt, mortuo Ferdinādo patre, viro strenuo, multisquē victorijs claro, cui heres ad Principatū Albarrazini successerat, se Regi addiceret: à quo fuit humanissimè exceptus, eiusquē de mortui

mortui parentis nomen commemorandum lachrymis, atque laudationibus Rex fuit prosecutus: ac totidem illum, quibus patrem, militaribus beneficijs ornauit: quinquaginta enim equitum stipendia eidem fuere collata. Post hæc Rex Valentia Biarium profectus fuit: audierat enim Alfonsum generum misisse copias in Murciensum fines: ideoque veritus eius repentinas excursions, sese illi in cōfinijs cū exercitu obiecit. Quo in oppido Alfonsus filius pollicitus Regi fuit, se cum Rege Castellæ, neque societatem, neque foedus vnquam initurum. Castellanis autē, Iacobi aduētū intellecto, inde abeuntibus, Rex quoque Cesaraugustam concessit: paucosque ibi dies commoratus, Stellam nobile Nauarræ oppidum, venit: sequenti que fuere ipsum Arnaldus Peralta, & Andreas Ferrarius Cesaraugustanus, & Valentinus Antistites, cum alijs sex magnatibus Aragonensibus, & copioso equitatu. Eo etiam peruenit Didacus Lupus Pharensis Vizcæ dominus. Nam cum a Rege Castellæ, causis nunquā expressis, desciuisset, Iacobo Regi se suaque subijcere decreuit. Quæ Rex late admodum recepit; sacramentoque apud se dicto, multis quoque beneficijs cumulauit: quinquaginta siquidem equitum stipendia ei conferri iussit; affuere scribendo, ipsi Antistites, & proceres, eum alijs multis nobilissimis viris, quos secum Didacus attulerat, qui que se etiam Regi addixerant. Nec verò id nouum erat Vizcæ dominis quoties a Regibus Castellæ, aut deciscebant, aut relegabantur. Nusquam enim, præterquam apud Aragoniæ Reges, receptum habuere tutiorem, ac honorificentiozem. Nam Didacus, Didaci huius pater, qui Alfonsum eius nominis octauum Regis Castellæ auum secutus, strenuè se in Idubensi prælio gesserat, paulò post ab eodem Rege relegatus, apud Petrum Iacobi patrem exularat. Neque præter institutum admodum me facturum existimo, si præclaram eius relegationis causam hic expressero, quæ ab illis vsque ducta temporibus, magnum raræ profectò virtutis, atque defensæ nobilitatis exemplum posteris est allatura. Proditum enim est Castellanorum historia, eundem Alfonsum, post incredibilem illam partam eodem ipso Idubedensi prælio victoriam, tanta fuisse vsum liberalitate, & magnificentia cum Aragoniæ, & Nauarræ Regibus triumphis socijs, vt prædam, &

vniuersa ex hostibus detracta spolia, eisdem, toti que exercitui diuiserit: ipse verò victoriæ gloria contentus, domum repetens, ærarium exhaustum, atque omnia consumpta inuenerit. Qua de causa deliberauit, noua imperare populo tributa. Iamque, ut a capite inciperet, à proceribus morabatinos duntaxat quinque viritim exigere decreuit: non tam ut grande ab eis tributum penderetur, quam ut eos tributarios sibi efficieret: sperans inde minime futura esse graua, quæ eunque inferioribus imponerentur onera. Cuius instituti, consilijque participem fecit, supra memoratum Didacum cognomento Pharensem: ac, quoniam id pacto fieret, ab eo petijt. Cui Pharensem, rem sane arduam, ac perdifficilem, inquit, suscipis Rex; dum eos, qui aut liberi natura sunt, aut sua dextra, immunitatem sibi, suisque perpetuam pepererunt, tu vectigales facere conaris. Verum ut amoris in te mei periculum facias, iam ego, qui procerum sum princeps, presentibus ipsis, petenti tibi morabatinos primus polliceor daturum. Unde conuentibus Burgis indictis, eoque conuenientibus omnibus Regni proceribus: Rex iustissimas inopiæ suæ causas proponens, nihilque sibi, consumpto ærario, relictum affirmans, quo posset Mauris denuò bellum mouentibus occurrere; necessariū docuit esse pro communi salute, noua tributa populo, atque adeò omnibus imperare. Proinde ut leuia ea fierent inferioribus, ique facilius superiorum exemplo ad pensitandum adducerentur, decreuisse à proceribus, quinque tantummodo morabatinos viritim exigere. Ad quæ Pharensem primus, ut conuenerat, respondit; perquam est, o proceres, ut Regi, cui multa petenti, negare esset indignum, pauca liberet concedamus. Quare morabatinos meos, ecce do libentissimè. Quibus ab ærarij præfecto receptis, proceres obstupere omnes: atque eorū, qui inter primos habebatur Nunnius Comes Laræ, vnus ex clarissimis maioribus Naiarensium Ducum, in Pharensem oculos coniciens, neque Regis rationem habens vllam, indeque ad proceres conuersus, sic est allocutus: Viri proceres, & Regni Barones, qui maioribus vestris, neque virtute, neque gloria inferiores estis; sed longè etiam, potentia, atque armis superiores: qui que pro Rege vestro, non vile tributum, sed pro tributo sanguinem, vestraque omnia, quoties opus habet, liberè, ingenuè que impenditis, libertatem,

quam

quam ab illis naturā, & manu partam accepistis, vos, ne quæso, turpiter amittatis; sed eam potius cōseruatam, & quasi sartam tectam ad vestros minores transmittite: neque omnino, quod absit, tributo vectigales vos fieri sinite. Siquis aliter, atque ego senserit, ac, ob Regiam aucupandam gratiam, suam immunitatem tributo populari contaminandam duxerit: hunc, ut rusticum & illiberalem hominem, neque sua ingenuitate dignū, hic iubeo manere: qui verò, quod in suis fuit nunc esse vult, atque pro ingenua libertate, mori potius quam seruitutem pati, me sequatur. Quo abeunte, tribus tantummodo ex procerum, atque nobilium numero, quorum Pharensem vnus erat, apud Regem manentibus, tria millia eorundem Nunnij secuti sunt, atque in campo Glareano, vrbi propinquo, eum armati circumdederunt: simulque tributo morabatinorum hastarum mucronibus appenso, Regi denunciarunt, tributum paratum esse, si modo eos præcipue exactores mitteret ad colligendum, qui eius imponendi vectigales autores, & consiliarij fuissent. Quod audiens Rex, seque ab omnibus desertum conspiciens, ad Pharensem conuersus, quid facto opus esset, interrogat. Cui protinus sagax, ac prudens ille, me, inquit, Rex tanquam reum, huiusque consilij autorem exilio multato: atque ad hunc modum, procerum conuersa in me ira, fideliore tibi eos gratia coniunges. Ad illos igitur Rex misit, qui significarent, præuo se inductum consilio, petiisse tributum; sed substituisse quidem, ac non solum duxisse nefas, generosos Castellæ viros vectigales fieri; verum consiliarios quantumuis licet potentissimos, tanquam sceleris reos digna pœna multasse. Quo responso, missoque simul in exilium Pharensem, pacati omnes, denuò se Regi addixerunt. Quanquam non multo post, iisdem rogantibus, Pharensem de exilio, quo in Aragonia apud Petrum Regem exulabat, fuit reductus. Interea induciæ à Regibus factæ, cum breui finiretur, atque ob Alfonsi artes, Iacobus controuersias bello decerni cuperet; in idque impense incumberet; opera tamen Antistitum, viro- rumque religiosorum, maximè verò prudentissimi Bernardi Vitalis Besalunensis, qui vtrumque Regem inter Agredam & Turiasonem in cōgressum venire procurauit, sicque de concordia fuit inter eos actum, constitutumque, ut Nauarræ Regnum tuendum Iacobo

I s trade-

traderetur. Sed inconstantia Alfonsi breui fuere renouate contro-
 uersia, atque ad pristinam concertationem, & disidia, non tamen
 ad manus & pugnas ventū. Adhuc cum paulo ante Rex ageret Stel-
 le, Enricus frater Alfonsi, Regis Castellæ, & Lupus Diazus Pharen-
 sis Didaci filius, Vizcaiz dominus, venere ad Regem, quos excepit
 benignissimè, honore regio Enricum afficiens, ei que se offerens, re,
 & armis promptissimum, donec controuersia cum Rege fratre fini-
 retur. Pharensi quoque se obtulit libentissimè, gratumque habuit
 adolescentis aduentum, qui patrem imitatus, perpetua, constantiq;
 voluntate, Aragonensium partes sequeretur, ac se Regi traderet si-
 mul cum viginti tribus primarijs. Vizcaia viris, cognatione illi con-
 iunctis: qui omnes fidem suam ei obstrinxerunt pro Pharensi ado-
 lescentulo: ad id etiam quoque, non cum Rege Castellæ Pharensi
 de pace acturum, donec controuersia inter Regem & generum de-
 cideretur Sancti Salzedi, & Lupi Velasci sententia; quibus tanquā
 primarijs viris, atque omnium Hispaniæ litteratissimis, eius causæ
 cognitio commissa fuerat. Post hæc venere quoque Cesaraugustā
 duo Castellæ primates à Rege ad Iacobum decilcentes, Ramirus
 Rodriguez, & Ramirus Diazus, ei similiter fidem suam obstringen-
 tes: & quia fuere ipsi ab Alfonso spoliati patrimonio; à Iacobo qui-
 dem, & prædijs, & centum equitum stipendijs donati sunt: totq; in-
 dies ex Castella, & Nauarra nobiles, audita Regis liberalitate, ad eū
 deficiebant: vt in ditandis illis, ærarium, & Regium patrimonium
 consumeret. Tanta præterea fuit huius Principis cum liberalitate
 coniuncta iustitia, vt quam liberalissimè, cuique quod suum esset, re-
 stitueret. Nam eodem tempore, Guillermo Moncadæ Raimundi
 filio, eiusque ex fratre filio etiam Raimundo, Fragam insigne oppi-
 dum, quod alluit Cinga fluuius, cum eius arce, iure beneficiario de-
 dit, in compensationem censuum & prædiorum, que illorum maio-
 res ad Ilerdam possederant, ac temporum, & rerum turbatione a-
 miserant: modò defectu legitimorum, amisso iure, Fraga Regno
 restitueretur: quemadmodum postea restituta fuit. Tandem pro-
 curante Alfonso Castellæ, qui maiora quædā animo moliebatur de
 Imperio Germanico (fuerat enim à dimidia electorū parte nomi-
 natus Rex Romanorum) idē ipse cum Iacobo venit in colloquium,
 in op-

in oppido Soria Celtiberorum, vbi fœdera quondam à superioris
 ætatis Aragoniæ & Castellæ Regibus facta, renouata fuerunt: inde-
 que recepit Alfonsus, se arces eius veluti obsides fœderis traditu-
 rum: atque ita pacatis animis longo tempore ab armis cessarunt.
 Ea tempestate mortua fuit Margarita Tibaldi Regis Nauarræ v-
 xor, materque Theobaldi iunioris, & in Claraualle amplissimo Na-
 uarræ cœnobio sepulta. Quæ dum vixit, Rege adolefcētulo, sua pru-
 dentia, pacatè, quietèque Regnum gubernauit. Sed ea mortua tu-
 multus illicò excitati fuere; paulatimq; sedati etiam, factis cum Gau-
 fredo Beamōtio Nauarræ Senescalo inducijs, qui tandem procurā-
 te Iacobo, in concordiam cum Theobaldo Rege venit, illoque ad-
 iutore Theobaldus Regno potitus est quietissimè. Quibus confe-
 ctis, Iacobo nunciatum est, Ludouicum Galliæ Regem intra men-
 sem in Aquitaniam venturum, atque in nobili oppido Carbolio,
 quod est propinquum Mompellerio, ipsum expectaturum. Ad ne-
 gotia igitur vtrique Regi tractanda Rex Mompellerium ire decre-
 uit: relictoque Simone Focio, viro prudentissimo, ac inter Arago-
 nenses proceres adnumerato, Valentiz præfecto, iter ingressus est.
 Cui occurrit Dertosa Petrus Alfonsus, Petri Portugalensis filius,
 Alcanitij præfectus, ibique confirmata prædiorum, siue locorum
 ad eum spectantium donatione, Mompelleriū contendit, vbi intel-
 lexit Ludouicū fuisse iam Corbolium ingressum. Quo illicò Rex
 petens, ipsumque mutuo complexus, antequā de componendis ma-
 iorum suorum inter se controuersijs agerent, in eo conuenerunt, vt
 Isabella Iacobi filia natiu minima Philippo Ludouici filio ad Regnū
 successorī nuberet: atque dotis nomine, vetusto Galliæ more & in-
 stituto, Quinta Regni pars, arcibus & propugnaculis receptis, assi-
 gnaretur. Quo peracto, Reges controuersias omnes vtrinque remi-
 terunt. Ludouicus enim Barcinonensem, Vrgelitanam, Ruscinonē-
 sem, Emporitānam, Ceretianā, Confluentinā, Gerūdensem,
 & Ausetanā ditiones repetiuerat. Noster verò Carcafonensem,
 Rhodensem, Lauracensem, Biterensem, Leocatensem, Albigensem,
 Rhuensem, Fuxensem, Cadurcensem, Narbonensem, Mineruen-
 sem, Fonoliadensem, Saluēsensem, Petrapertusensem, Aimilianā, Cro-
 douensem, Gaualdanam, Nemaufensem, Solonensem, & sancti
 Aegi-

Aegidij, ditiones sibi vendicabat. Itaq. vicissim ambo mutuò iure suo cesserunt. Eo ipso tempore, Iacobus omne id ius, quo etiam repetere in Prouincia Folchalcheriensem, Arelatensem, Auenionensem, & Malsiliensem ditiones poterat, Margaritę Francorū Regi-
næ Raimundi Berengarij Prouinciæ Comitis fratris filiz attribuit. Sed cùm ijs Carolus Ludouici Regis frater germanus, qui Beatricem eiusdem Raimundi Comitis filiam natu minimā vxorem duxerat, esset potitus, eas, siue iusta, siue iniusta possessione, Ludouico permittēte, retinuit. Id quod postea maioris odij causa fuit, & quasi belli semen annis plurimis inter Aragonēses & Gallos, quod nullum fuit quandiu Ludouicus vixit. fuit enim is Rex mirè pacificus, religiosus, & pius, atque ab armis in Christianos semper abhorruit: neque in alios, quam contra impios Christiani nominis insectatores Mahometanos arma tulit: maximè verò de recuperanda possessione Hierosolymorum cogitans, mare cum ingenti exercitu traiecit, primoque prælio sarracenos multos profligauit; sed cùm pestilentiz morbo magna militum multitudo periisset, victus, captusque fuit; vt eius historia refert. Rebus tamen breuī cum sarracenis compositis, liber cum exercitu fuit dimissus. Indeque Aconē Afix urbem profectus, cùm in ea reficiendo exercitui dies aliquot substitisset; suo exēplo & exhortationibus primarios Agarenorū, ac subinde totam ciuitatem ad Christi fidem conuertit. Quin aliquot Christianorum ciuitates in ea prouincia suis sumptibus refecit. Vnde mortua eius matre, domum redire coactus, nullis Reipub. officijs intermissis, in omnibus pietatis, ac religionis muneribus, & studijs, sese vehementer exercuit: quoad denuò, cùm transmisset in Africam bellum sarracenis Tunetanis illaturus, iamque castra in eorum conspectu posuisset, pestilentia discessit: eiusque corpus Lutetiam Parisiorum translatum fuit; ipseque miraculis clarus à Bonifacio octauo Pont. in sanctorum numerum est relatus. Hunc planè Iacobus in extirpandis sarracenis feliciter imitatus fuit, fuisseque multo felicitus, nisi à perpetuo Castellano æmulo impeditus à conatu destitisset. Itaq. compositis rebus, ac Regibus è Carbolio abeuntibus, Iacobus Mompellerium veniens, intellexit Alfonso Principem denuò turbare omnia, non tam sua, quam Aragonensiu pertinacia, qui si-

qui sibi iniuriam factam existimabant, quòd à patre tam indignè tractaretur, vt penitus ab aliorum Regnorum hereditate arceretur; quodque non modò Catalonia separata à reliqua ditione regni, Petro collata fuisset, verum Valentia etiam, & Baleares, quæ Aragonensis expugnationis erant, quasi excise ab stipite, Iacobo ultimo fratrum celsissent. Vnde noui quotidie tumultus ab Aragoniæ proceribus, ac nonnullis Catalanis eocitari coeperunt: necesseque fuit, reuiuiscentem indies conspirationem sic preoccupare; vt Valentinum Regnum Aragonio contribueret, & vtriusque hæredem Alfonso constitueret. Id, vt inuitus Rex fecit, sic deinde alienato semper, atque auerso animo ab Alfonso fuit: vt neque videre eum, neque communicare cum eo quicquam amplius voluerit, ac non nisi obscure, dissimulanterque cum eo agere. Nam concesso eidem in Olsensi agro, Luna oppido insigni, missoque ab Alfonso ad oppidum præfecto, Artalus Alago vnus ex Aragonensibus proceribus, qui tenebat illud, datumque sibi à Rege, beneficiario iure, putabat, præfectum iam ingressum, ex oppido ignominiose eiecit; neque Regij diplomatis, neque Alfonso, qui generalis Regni Gubernator esset, rationem ullam habuit. Quæ de causa Alfonso Legatum ad Regem Mompellerium misit, qui apud eum grauitè de Artali iniuria, & contemptu conquereretur. Cui Rex, se libenter in Artalum animaduersurum, atque curaturum omnia respondit: Legatoque dedit litteras ad Alfonso, in quibus dubiè, obscureque, querelis satisfaciebat: immo iubebat, ne quippiam faceret; rediturum se breui, & Artalum grauitè puniturum dicens. Verum neque venit citò, neque Artalum ad tradendum Alfonso oppidum compulit. Interim Rex, dum se Mompellerij continet, audiit Taurinos cis Padum tumultuantes, Bonifacium Sabaudiz comitem comprehendisse, atque in custodiam tradidisse. Quod sentientes Astenses vicini populi, dolo malo, Bonifacium è Taurinis ereptum ad se transtulerunt, atque in vincula coniecerunt. Sed statim Sabaudienses, vt Bonifacium liberarent, ipsius filios, cū alijs Sabaudie proceribus, quos Astenses petierant, dederunt: quibus apud se retentis, Astenses, antequam Bonifacium restituerent, nonnulla oppida & arces Sabaudiz ceperunt, ipsisque optimè munitis, tum Bonifacium & pro-

ceres, retentis filijs è custodia liberarunt. Sed Bonifacius tot fractus laboribus, quos in vinculis tam Taurinorum, quam Astensium per tulerat, breui mortuus est. Ex quo Astenses in Sabaudienfes oppressos denuò bellum commouerunt. Quæ cum Regi narrata fuissent, tanta ille ira in Astenses exarsit, vt protinus nulla interposita mora, Legatos ad illos miserit, qui ciuitati Astensium bellum suo nomine indicerent, ac etiam prouocarent eos, nisi intra mensem Bonifacij filios, quos in vinculis retinebant, liberarét. Hac prouocatione, deterritis Astensibus, atque quid responderent ambigentibus; minusque dimittentibus Legatos; Petrus Bonifacij patruus subsidiarijs Regijs copijs confusus; bellum in illos mouit, atque oppida & arces recepit, eque vinculis Bonifacij filios liberauit. Vnde magna à Sabaudienfibus gratia Regi & Aragonensibus habita, aliquando etiam relata fuit. Hæc cum ex sententia Petri successisse omnia Rex intellexit, mirè lætatus est; propterea quod in eo bello, tantum fama & opinione, quantum potuisset manu, confecisset. Inde protinus in Aragoniam venit, quam ingressus, in itinere controuersias inter Artalum Lunam, & Gonsaluum Fernandum Assagram ortas super oppido Chodensi in finibus Albarrazini posito diremit, Artalo, quod multis iam annis possederat, illud adiudicans. Post hæc veniens Celsaraugustam, Legatos Regijs Castellæ inuenit, qui ab eo petierunt, vt quoniam commotum iam à se bellum esset contra Granatenses; permetteret nobiles Aragonenses venire sibi subsidio. Sic enim paulò ante in Soriano Conuentu inter eos steterat. Concessit postulata Rex; eos sarracenos tantum modò excipiens, qui vel prædijs, vel militaribus stipendijs, ei essent obæcati: hos enim excepit pactum, & conuentio. permisit tamen, vt bello interessent nobiles, qui non Regi, sed proceribus inseruiebant, aut tanquam comites sequebantur: modò bellum, nõ Miramolino, nec Tunetano Regi inferretur, quibuscum inducias fecerat, in gratiam mercatorum Cataloniæ, & Valentis, qui ad illos frequenter mercimonij causa nauigabant. Cæterùm Alfonso Princeps magnam omnibus admirationem mouebat; vt cui longè diuersa, atque paterna fuit, fors obuenerat: nulla ei matrimonij conditione oblata, cum ætate firmata ià esset, annos natus duos & triginta, ac Princeps salutatus:

cum

cùm tamen Iacobo annos vix nato duodecim, Regnoque nondum stabilito, nupsisset Leonora: nullaque tam imbecillæ ætati subesset proxima spes prolis. Vnde Alfonso res apud Regem in magna obliuione semper fuerunt: Nec mirum id quidem; cum fortassis; & noueræ antiquum odium, & nimius Regis in Petrum amor, & fratrum liuor obstiterint, quominus vllis Regijs, atque potentissimis affinitatibus ad firmandum Regnum iuaretur: quoad Rege permittente, proposita fuit Constantia prima filia Gastonis Moncadæ, Vicecomitis Benearenfis, inclyti illius Guillelmi filij, qui Balearico bello præfuerat; atque, vt fusissimè libro sexto explanatum est, post tot ab eo postratos; ac profligatos sarracenos; gloriosissimè dimicans, interierat. Itaque sponalibus factis, & sponsa magno Moncadarum; eiusque perillustri familia comitatu & pompa deducta; Calataiubij, breui iunctæ nuptiæ, breuius disiunctæ fuerunt. Nam intra paucos dies, fractus, ac debilitatus Alfonso, tum odio, & contemptu patris; tum inuidia & maleuolentia fratrum, qui ad nuptias venire recusarunt; morbo correptus, non sine multorum dolore, & lacrymis interijt: nullis neque patris, neque posthumis relictis; neque testamento obsignato; ita vt vi creptus potius, quam morbo extinctus videri potuerit. Qui tandem Regijs iustis redditis, sepultus est in cœnobio Verolensi ordinis Cisterciensium. Princeps satis quidem moderatus; commodus, sui que cognoscens, sed suorum deprauatis consilijs, aduersaque fortuna, semper confictatus.

BERNARDINI GOME SII MIEDIS, ARCHIDIACONI

SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS

gestis IACOBI primi Regis Aragonum,
cognomento expugna
toris.

LIBER. XVI.



Alfonso mortuo, eiusque inimicorum odio & li-
uore supremo funere extinctis; Petrus & Iaco-
bus fratres, honorem mortuo, cui uio iniuriam
intulerant, facere decreuerunt, ut qui ad frater-
nas nuptiarum faces, tibiaeque accedere nolae-
rant, ad eius exequias, cantu, lamentis, & lauda-
tionibus celebrandas libentissimè conuenerint. Hoc funere, quasi
funesta quadam attracti peste, eodem odio & inuidia, quibus in mor-
tuum olim, in se ipsi exarserunt; quinimmo praeregnandi cupidita-
te, adeo multa in sese machinari mutuo coeperunt, ut ni paterna si-
mul Regiaque autoritas & potestas intercessissent, parum ab fuisset;
quin breui utroque orbaretur filio pater; eiusque odium olim in Al-
fonsum, funestissimis superstitionibus diffensionibus expiaretur. Itaque
iustis Alfonso factis Valentiae, in cuius templum maximum illius cada-
uer è Verolensi caenobio translatum fuit, atque in sacello Regis hono-
rifico tumulo repositum iamque libera Regnorum Aragoniae, & Va-
lentiae potestate Regi restituta; protinus de uxore Petro deligenda
cogitauit. Neque enim quantum in Alfonso, in Petro rem distulit. Nam
inter alias, proposita ei fuit Constantia, filia unica Manfredi Siciliae
Regis, Federici Imperatoris filij, qui sex ante annis, tempore Alexan-
dri III. Ponti. Max. Regio insignitus titulo, in Italiam trajiciens, Ca-
labriam cum uniuersa Apulia in potestatem redegerat, idque inui-
to Pontifice, & Conradino Principe, filio Conradi Imperatoris, &
sororis Manfredi, ad quem Regnum Neapolitanum cum ijs pro-
uincijs spectabat. Cupiens igitur Manfredus sese cum Aragonio
Rege

Rege affinitate coniungere, Legatos è Sicilia Barcinonem misit,
Giroldum Postam, Maiorem Egnatiensem, & Iacobum Mostaciū,
viros prudentissimos, qui de matrimonio Petri Aragoniae, & Cata-
loniae Principis, & Constantiae agerent, quam Manfredus ex uxore
Beatrice, Amadzi Comitis Sabaudiae filia susceperat, dotem illi L.
M. auri unciarum nomine patris dicerent: propter ingentes alias cum
corporis, tum animi dotes, quibus praeditam esse Constantiam, non
solum Legati, sed plerique probatae fidei mercatores Barcinonenses,
qui è Sicilia venerant, pleno ore referebant. Placuit Regi, atque om-
nibus propositum cum dicta dote matrimonium (neque enim an-
tea dos tanta accepta fuerat ab Aragoniae Regibus) ac etiam Manfre-
di affinitas: ijs quippe patere sibi, suisque in posterum, magnum
in Italia ostium; Siciliae Imperio, aperiri quoque horreum refertissi-
mum ad haec sustentanda Regna, prospexit. Quamobrem statim ad
deducendam sponsam misit Fernandum Sanctium filium, quem
ex nobilissima Aragonensi foemina Antilonia susceperat, una cum
pernobilis Aragonensi Guillermo Torrellia, viro prudentissimo,
ut ijs arbitris sponsalia fierent, & Constantiam cum magno Comi-
tatu deducerent. Quibus proficiscentibus, auditum est, Urbanum
III. Pontificem Alexandri successorem in Manfredum tam male
esse affectum, ut non modo diras, atque omnes Ecclesiasticas censu-
ras imprecatus ei fuerit: verum omnium ferè Christianorum Prin-
cipum auxilia implorarit, magnumque coegerit exercitum; ut illum
ab omnibus Ecclesiae ditibus, quas tenebat, expelleret. Qua de
causa Rex ancipiti distractus cogitatione, dolensque tam commo-
dum sibi, filioque impediri matrimoniū, & affinitatem, Legatos Ro-
mam misit ad Urbanum, inter alios, F. Raimundum Penafortium
ordinis Dominicani, virum insigni sanctitate, atque doctrina nobile,
ut honestis rationibus, & quantis posset precibus, à Pontifice impe-
traret, ut Manfredum, supplicem, respicientem, ac misericordiam
implorantem, sibi & Ecclesiae sanctae conciliaret. Verum enim tan-
tum abfuit, ut Pontifex veniam illi daret, ut eò magis obduruerit;
in idque rursus incubuerit, ut Iacobum auocaret à coniunctio-
ne & affinitate Manfredi, Tarentini, ut dicebat, Principis, im-
pij acerbissimi que Ecclesiae hostis ac perduellis: quin & recenseret,

V alios

alios inueniri Principes Catholicos, ac Deum timentes, qui filias suas Manfredinæ, virtute, ac dote pares, Petro filio nuptui traderent libentissimè. Sed neque Regis preces apud Pontificem, neque ipsius monita apud Regem quicquam profuerunt: creditumque est, diuina factum prouidentia, & numine, vt ex nuptiæ alijs omnibus preferrentur; quod ijs maximè fuerint fortunarum, atque dignitatis accessiones factæ Aragoniæ Regnis. Porro Rege Cæsarugustam repetente, dum esset Beruegalij, quod oppidum non distat à Cinga flumine, intellexit, Aluarum Cabreram Pontijolim Vrgelitani Comitis filium, paternis aduocatis amicis, eorumque auxilio & ope, arces & oppida Comitatus, quæ à Rege tenebantur, vi cepisse, atque extra suæ ditionis fines excurrisse: quin & Barbastrensibus vicinis plura detrimenta intulisse. Vnde omnibus circumcirca populis, ijs maximè, qui ab Aluaro, vastatis agris, direpti fuerant, conuocatis Barbastri (quæ insignis est, tametsi parua ciuitas, nostro tamentempore in Episcopatum erecta; cuius ager fertilis, frumento, oleo, & vino, necnon cocco, atque aucupio, & venatione abundans) Martino Perezio Artaxone Iustitiæ Aragonum prefecto iniunxit, vt mediocri collecto exercitu, in Cabreranos inlurgeret, eisque quanta posset detrimenta inferret: Daturum enim se operam, vt breuè Aluarum, ni ab excursionibus, & vastationibus abstinere, de medio tollat. Interea Petrus Princeps paterna abutens indulgentia, qua Alfonso fratrem hæreditario Regno depulerat, regnandi cupiditate semper exarsuans, similiter Iacobum fratrem à reliqua, quæ ei obtigerat, hæreditate conabatur deijcere. Audierat enim patrem indicasse quibusdam, quæ ipse Regna debellasset, Iacobò velle tradere; quod causa maioris odij inter eos fuit. Quanquam Petrus illud, quoad poterat, tunc premebat; quod timeret, ne manifesto in fratrem odio declarato, in paternum incurreret: ac ne ea de causa Rex testamētum denuò conderet, in quo Iacobò nouam aliquam donationē, quæ sibi detrimento esset, faceret: seque ad eam iureiurando confirmandam compelleret. Huic rei vt occurreret, claculum grauisimos viros Ecclesiasticos cum proceribus conuocauit, Raimundum Penafortium, Magistrum Berengarium Turrensem, Archidiaconum Barcinonensem,

nensem, Simonem Focensem, Guillelmum Torrelliam, ac Stephanum, & Ioannem Aegidium Tarinos, ciues Cæsarugustanos sibi fidelissimos, ante quos obtestatus est; si firmum, ratumvè testamentum patris, seu donationem aliquam ab eo factam, stipulatione, seu iureiurando sanciret ipse; se id metu eius perterritum, ac inuito & repugnanti animo facturum: ne, si fortè roganti Regi coram resisteret, indignatione commotus ille, innouaret aliquid, ex quo non modò ipse, sed Aragoniæ Regnum detrimentum caperent: haud immemor eius incommodi, quod Alfonso frater simili de causa olim fuerat perpeffus. Quo etiam tempore occasione dissensionis fraternæ, ab ipsa regnandi libidine orta, non solum procerum; verum infimæ etiam plebis in partes secuta est armorum simul & animorum distractio, alijs in Petrum, alijs in Iacobum fratres, alijs in Regem studia dirigentibus: in tanta veniendi ad arma licentia; vt magna vbique locorum subinde fuerit grassandi, atque latrocinandi audacia subsecuta, vix omnibus, atque saltibus occupatis, ac non nisi armata multitudine oppidanis ex vno in alium locum pergere audētibus. Hac de causa vniuersæ montanæ Aragoniæ ciuitates, & maiora oppida, societatem inter se inierunt, quam vocarunt vnionem, ex qua leges prodierunt longe duriores, quam mores & instituta maiorum vnquam pertulerant; quasi vni; se carivè necesse esset, quod medicamentis sanari non posset; vt tam immoderatæ, atque effrenatæ grassandi libidini obuiam iretur. Quibus breuè effectum est, vt conceleratorum hominum ingens capta manus, grauisimas pœnas exquisitissimis supplicijs Reipub. pependerit. Eodem anno sacro Penthecostes die, Isabella Iacobi & Iolantis filia deducta est in Aquitaniã, ad insigne oppidum Claramontium in Aruernis, vbi celeberrimis nuptijs iuncta fuit Philippo primo filio Ludouici sancti Francorum Regis, qui postea in numero sanctorum, vt supra diximus, relatus fuit. Eo etiam tempore Constantia Manfredi Regis filia in eandem Prouinciam deuecta fuit, ac comitantibus Bonifacio Anglano Montalbani comite, Manfredi auunculo, cum alijs Siculis, & Neapolitanis proceribus, ipsisque Sanctio, & Torrellia; Mompellerium ingressa. Cui Iacobus Princeps, patris nomine, dotem dixit, Comitatum Ruscinonensem cum Ceretania, Cō-

fluente, & Vallespiria, ac etiam Besalunensi, & Prulensi Comitatus: cumque Caldis, & Lagostera oppidis; tametsi earundem ditionum donatio, paulò ante à Rege facta fuerat eidem Iacobo, qui re-tenta possessione, tamen obligata omnia pro dote esse voluit. Itaque conscriptis pactis, eoque Petro Barcinone veniente, nuptiæ cum magna pompa & celebritate iunctæ fuerunt. Ijs Mompellerij celebratis, Rex cum vniuersa curia Barcinonem remigrauit: vbi resciuit Petrum & Iacobum insatiabiliore indies torqueri regnandi cupiditate, atque iccirco maximè inter se dissidere. Ex quo existimans, se ab eis discordiæ, ac seditionum omnium sementem radicitus auulsurum, si voluntate eorum denuò Regna diuideret: præsentibus Barcinonensi, & Vicensi Episcopis, alijsque totius ferè Catalonia, cum nonnullis Aragoniæ proceribus, & ciuitatum Legatis, sic inter eos vniuersa partitus est. Aragoniæ Regnum, & Barcinonensem Comitatum, à Cinga flumine ad Pyrinæi promontorium, illa, nostraque ætate, Caput crucium nuncupatum, vsque in Periliofiu, & Panizatium, ipsius Pyrinæi colles, Petro attribuit: quibus & Valentinum Regnum adiunxit, ijsdem ipsis, quibus antea diuisum fuit terminis ac limitibus, cum Regnis Aragonum & Castellæ, atque Catalonia Principatu. Iacobo verò Balearium Regnum, cum ea parte Pytuifarum Insularum, quam sibi retinuerat Rex: altera scilicet Antistiti Tarraconensi ex oppugnatione relicta, adiunctis Ruscinonensi, Iliberitana, Cõfluentina, Ceretana, & Vallespiria ditionibus, vnà cum Mompelleriensi, quas Iacobo etiam condonauit. Quin & ambos filios orbatos liberis, heredes alterum alteri substituit. Petro nihilominus de paterna iniuriâ conquerente, quòd se, immensa donatione in fratrem collata, defraudasset, diuides quæ à Principatus Catalonia patrimonio seiungi non poterant. Demum eadem partitione cauit, vt minor natu filius, eiusque heredes, earum ditionum, quæ ipsis obtigerant, vsu, & dominatu contenti essent; dum tamen Regia & suprèma potestas, penes natu maiorem, eiusque posteros perpetuò maneret. Iam verò ad tollendas controuersias, quæ in confinibus Regni Aragonensis & Valentini cù Castellano per hos dies obortæ fuerat; indeque inter vicina oppida, & pagos, multa vtriusque dâna & depeculationes cõsecutæ; necesse fuit Reges inter se cõueni-

tenire, atque fines Regnorum denuò definire. Qua de caussa Sex viri finibus regendis sunt designati: è Regno Castellæ, Paschalis Episcopus Giennensis, Aegidius Garcesius Aza, & Gonsaluus Rodericus Atienza: ex nostris verò, Andreas Albalatius Episcopus Valentinus, Sanctius Calataiubius, & Bernardus Vitalis Besalunensis; qui collustratis, ac designatis finibus, de damnis constituerunt; vt Reges ea vtrò citroque, facta æstimatione, vnusquisque sua deperderet. Sed quia tarda est Regum compensatio, adeò magna semper accumulanti, ne soluant; ipsa inter se oppida damna mutuò, aut refecerunt, aut, vt controuersijs finem imponerent, condonarunt. Posthæc Rex veniens Ilerdam, duos nobiles Catalanos, Pontium Peraltam, & Bernardum Mauleonem, ex controuersia inter eos orta, armorum iudicio paratos ad decertandum inuenit: quibus, tametsi de more Rex assisteret, atque ex patria lege certamen permetteret; tamen ex instituto maiorum, eidem præfuit Petrus Moncada Catalonia Senescalus. Cuius magistratus iura, cù ex vetustate obsoleuissent; & de ea re controuersia cum Rege oborta esset; eius definiendæ gratia, quattuor viri delecti fuerunt, Simon Perezus Arenosius, Thomas Senclémentius, Guillelmus Szala, & Arnaldus Boscanus; iuris militaris scientia præstantes. Quorum sententia hæc fuit; Vt Senescalo, tanquam summo Regni magistratui ius suum, quod nulla officij desuetudine potuit antiquari, restitueretur. Huius autem certaminis quisnam fuerit exitus proditum non inuenio. Inde verò Rex Barcinonem veniens, de virgine Iacobo filio in matrimonium ducenda sollicitus, Mompellerium ad Guillelmum Rocafullium præfectum scripsit, vt cum mandatis ad Allobroges iret, ibique cum Petro Sabaudiæ comite, de Beatrice Amadei Comitissæ eius fratris filia, Iacobo in matrimonium collocanda ageret. Sed illud an fuerit confectum, necne; seu puellæ obitu, quauè alia de caussa impeditum, nulla in Commentarijs Regis, neque alibi fit mentio. Ac neque propterea, quod à Rege hæc, aliaque intermitti soleant, præmittendum est illud, quod ab scriptore antiquo, qui Iacobi vitam conscripsit, narratur de Rege Persiæ, magnoque Babylonæ Sultano nuncupato, qui per id tempus apud Aegyptum agens, præclara Iacobi fama commotus, mireque eius amicitiam affectans, Legatos ad

tos ad eum miserit, qui sui erga ipsum studij & amoris testimonium redderent. Hos Rex Barcinone excipiens splendidissime, multis locupletatos donis remisit: ac statim ad Sultatum, Raimundum Richardum, & Bernardum Porterium, viros singulari prudentia; quiq; magnam partem orbis peragrarant; Legatos misit. Qui in Aegyptum nauigantes, cum primū Alexandriam, vbi tum agebat Sultanus, appulere, ipsius iussu, magna cum celebritate & pompa excepti fuerē. Cumq; Bernardus Porterius Iacobi vexillum protulisset; hoc illicō honoris, atque dignitatis gratia, Sultanus in Arfacidarum solio constitui imperauit. Renunciauit prater eā Bernardus legationem amoris simul & officij plenam, quam Sultanus beneuolē, ac studiose audiens, eundem rogauit, vt more patrio, nomineq; Iacobi Regis, filium suum natu maiorem, militaris honoris auctoramento cinctū decoraret (perinde enim se habiturū, ac si ab ipso met Iacobo Rege esset auctorandus, dixit.) Id audiēs Porterius se illi ad pedes demittēs, quōd tanti ipsū auctoradi Principis honore dignum duceret, obtemperaturum dixit. Quare celebrato solenni sacro apud ædiculam Virginis à Christianis Alexandriæ degentibus cultam duobus sacerdotibus, quos secum Legati attulerant, rem bene administrantibus, solita cum ceremonia & pōpa, atque incredibili Sultani, totiusq; ciuitatis lætitia, auctoramentum perfecit. Vnde Legati, magnis à Sultano ditati muneribus, atque nauibus preciosissimis aromatibus refertis, cum maxima Sultani gratia, in Hispaniam re nauigarunt. Barcinonem autem appulsi, atq; renuciare legationem iulsi, de sua felici nauigatione, deq; gratia & magnificentia, qua ab humanissimo Sultano excepti fuerē, multa retulerunt, addētes se ab eo, de omnibus Iacobi rebus gestis accuratè rogatos fuisse; illisq; auditis, tanto erga Regem amore & studio atfisse, vt vexillum, eiusq; insigne mirè cōtemplatus, illud in Arfacidarum solio collocatum penēs se retinuerit. Additū & de auctoramento à legato Regis nomine rite celebrato; deq; illius maximis opibus Legatis magnificè expositis, & muneribus, quibus eos affectos dimiserit. Quæ audiēs Iacobus, collaudatis Legatis, magnaq; ex eorū oratione voluptate capta, sumas Deo gratias egit, quōd talē ac tantū sibi amicum parasset, cuius auxilio, si quādo daretur expeditio

ditio ad Hierosolymitanam terram è Turcarum manibus eripiendā, se multum iuari posse speraret. Cæterū ne vllum Iacobo tempus daretur vacuum ab officio & munere militari, in ipso temporis articulo, quo Legatos audiuit, ad eum venit Petrus Ioannes Caltrauens militiæ magnus magister, ab Alfonso è Castella missus, qui exposuit, Maurorum ex Africa incredibilem numerum in Beticam traiecisse, seq; cum Murciensibus, & Granatensibus adiunxisse, vt similem superiori cladem toti Hispaniæ inferrent. Proinde Regis sui nomine rogare ipsum obnixè, vt è Regni Valentini finibus versus Murcienses appropinquet; & labantibus generi & filiaribus rebus opem ferat: ac neque minores mari, quàm terra copias parari iubeat, vt illorum ex Africa transitus impediatur. Protulit quoque epistolam Iolantis filiaris ad eundem, orantis ne se, ac virum in tam manifesta suarum rerum perturbatione desereret. Ad quæ respondit Rex, se nullo vnquam tempore defuturum suis, sed quanto maximè posset exercitu, terra mariq; pro communi salute, se ducem subsidio iturum. Quo dimisso, protinus mari classem strui, terraq; exercitum conscribi, atque ciuitatibus, & oppidis pecuniam imperari; ipsumq; Bouaticum tam iustis de causis imponi procurauit. Hæc vbi Catalanis Barcinonem conuocatis indixit, docuitq; innumerabiles in Hispaniā ad Granatenses ex Africa Mauros confluxisse, facile persuasit, tutius esse hostes in alieno, atque longinquo oppugnare solo, quàm è proprio depellere. Vnde non solū Bouaticum concedi Regi; verū classem quoq; ei extrui curarunt, vt Mauros transitu in continentem prohiberent: propterea quod occupata ab eis Batica prouincia, maxime verò Murciensi Regno, quō properabāt, illicō conuolatueros illos in Valentinum, & Cataloniā subinde infestatueros, credi par erat. Verū & petitioni Regis, & cōcessioni cōuentus, sese opponēs Raimūsus Folchius Vicecomes Cardonensis, non esse vllō modo consentiendum, dixit, quin prius de more conuentus, & antiquo Regni iure, querelis illorum, qui iniuria, damno, aut fraude aliqua opprimebantur, satisfieret, atq; illata dāna resarcirentur. Quod Rex intelligens atq; tristissimo, difficillimoq; Reipub. tēpore priuatas iniurias cōmuni dāno à cōuentu præferri videns; vsque adeo acerbe rē tulit, atq; ira succēsus est, vt protinus di-

nus dimitti conuentus, atque vrbe excedere, turbataque omnia relinquere decreuerit. Sed vniuerso occurrente conuentu, atque Folchio à conquestione desistente, quæ concesserant, comprobata fuerunt, atque conuentus cum magna Regis gratia dimissi. Verùm quòd Regi tunc in Rempub. à summo discrimine liberandam quàm maximè intento, nihilominus Folchius sese opposuerit, postulata spreuerit, concessaq. illi à cōuentu tributa impedit; ac nisi ab vniuerso demum exoratus conuentu, minimè ab impeditioe destiterit; apertè edocet; à nostri temporis Principibus boni esse consulenda similia, quæ in conuentibus ab vno, aut altero ex proceribus, aut Baronibus, aut Legatis ciuitatum, ipsis opponi solent; donec oppressorum querelis satisfiat, ac Reipub. debita rependantur. Quandoquidem non tam maioris acquirendæ libertatis, quàm iustitiæ (qua vna virtute sustentatur Respub.) exequendæ gratia, id ipsam opponendi ius fuit populis ex plebiscito concessum. Minus enim decet, immò perniciosissimo fit exemplo Principum, ipsos, quam priuatum quemque hominem, suum cuique non reddere: præsertim si eiusmodi sit, vt ob intermissam scelerum punitionem aliquam, Respub. suo quasi iustitiæ debito defraudata fuerit. Hac quippe vna, aut altera dissimulata, permissa vè malorum impunitate, sequi sæpè solet, diuino reposcente iudicio, vt Principum conatus, & magna incepta, quantumuis præclara & heroica, irrita fiant, ac veluti euanescant: ceu tanquam instructa, beneque ornata nauis, quæ fertur secundo vento; tenui subtus contempta rima, sensim penetrante aqua demergitur. Cuius profecto rei, si Rempub. licet cum nauì quàm aptissimè comparare, exemplum nobis natura proposuit præclarissimum; in vno pisciculo Echenei, siue Remora nuncupato; quem nostrum mare fert, atque pedali torpedini, qui piscis petris affigi solet, persimili. Illius siquidem tanta est virtus, robur, atq. à natura innata ad sistendum facultas, vt Plinio, & experimento comprobantibus, medio in mari nauim, suum velis plenissimis cursum tenentem, carinæ affixus contineat, ac remoretur: quoad vrinatorum indagine, tentante manu inuentus, è carina euellatur; sicque nauis tanquàm ferreis soluta vinculis cursum prosequatur. Quid enim Regij conuentus sunt, in quibus totius Reipub. summa continetur, quàm nauis ma-

uis maxima, seu Bucentaurus quedam, Regem tanquam nauarchum, proceres, Baronesque tanquam vectores, simul & nauicularios vehens? Et horum, quod præcipuum institutum? quis vè scopus? quam Rempub. tanquam nauim è maximis procellis, vitæque tempestatibus ereptam, saluam, & incolumem in portum, vbi tranquillè viuì possit, deducere? Quid tum Echeneis tantillus piscis, carinæ adhærens, ac stupentibus omnibus, nauim retinens, quàm occultum sæpè malum, atque inopinatum innuit? quod, quia initio, vt leue negligitur, neq. animaduersione dignum putatur, ideo quidè paulatim, ab innata vi malis, robur, ac neruos sumens, postquam inueterauit, Rempub. non modò inficere; sed felices eius progressus sæpissimè retardare potest? Quid demum vrinatores? quàm aut seueros legum ministris magistratus, aut, qui populi moribus præfunt, censores, significant? vtpotè quibus est proprium, mala Reipub. linceis, quod a iunt, oculis inspicere, indagareque; ac non solum coercere, sed præcauere quidem, atque illico enascentibus illis, cum occurrere, tum illa ipsa, ferrea quasi admota manu, tollere & auerruncare? cum scilicet ab ijs maximè, quæ parua videntur esse delicta, quia neglecta crescant, sit diligentius declinandum? Quamobrem, vt in magnis tempestatibus, summi nauis gubernatores nonnunquam à vectoribus admoneri, horumque monita ab illis non omnino reijci, sed libenter admitti quandoque solent, sic planè in magnis quoque Regijs conuentibus, vbi propositis oppressorum querelis, ob multorum inter se dissentientium contentiones, quæ sæpè, Principum, qui adulari se sinunt; aucupandæ gratiæ causa, tanquam tempestates commouentur, proborum hominum oppositiones, siue procerum, siue aliorum de conuentu, vt optima, salutariaque Reipub. monita à Principibus audienda sunt, nec aspernanda; sed boni, vt dictum est, consulenda. Sanè, vt per ea, tum Principes officij sui admonentur; tum Reipub. necessitatibus occurratur; tum denique conuentus, pari cum illorum, tum populorum gratia dimittantur. Vt igitur redeamus, vnde diuertimus, concesso Regi Bouatico, classiq. nauata opera, eidem Petrum Fernandum filium præfecit, strenuum, ac bellicosum iuuenem, quem susceperat Rex ex Berengaria Fernãdia Aragonensi foemina nobilissima, altera ab illa, inquam, Berengaria

garia Alfonſi domini Molinæ filia, quam poſt Murciēſe bellum, contubernij quoque neceſſitudine Rex diu cognoſcens, nullum tamen ex ea filium habuit, de qua mox agemus. Hic Petrus poſtea oppido & ditione Ixarenſi donatus à Rege fuit, ab eaque ipſe, & eius in hanc uſque diem ſucceſſores nuncupati, qui Belcitano comitatu adiuncto, procerum Aragoniæ, & Regio ſplendore generis, & per ampla populorum ditione habentur præſtantiffimi. Porro quoniam inſtabat bellum, Mauritanis continenter trajicientibus, ac ſeſe in Granatæ, & Murciæ Regna diuidentibus, quin arces & oppida in Regno Caſtellæ capere incipientibus; nec tamen Bouatici pecunia collecta erat, nec quæ expectabatur ab Aragonia, imperata; Hebræus quidam nomine Iaudanus, omnium Hiſpaniæ ditiffimus, Regijque ærarij præſectus, tantam ex ſuo obtulit præſentem auri ſummam; ut & claſſi, & colligendo exercitui, & diſponendis præſidijs ſuffecerit; Bouatici, & aliorum Regionum cenſuum ei exactiōe mandata. Iſ actis, Rex Cæſarauguſtam venit; ibique procerum bellicoſiores, tumultuario inde collecto exercitui duces præfecit: ut uero ſimul tempore, cum iſ, qui è Catalonia exierant, in finibus Valentini & Murciēſis Regni præſtò eſſent Caſtellæ Regi. Cùm igitur tot illi ſumptibus faciendis pecuniæ quoque eſſent Aragonenſibus imperandæ, conuentus Cæſarauguſtæ egit, ad quos vniuerſi Regni proceres, Barones & Magiſtratus ciuitatis, cum aliarum ciuitatum, magnorumque oppidorum Legatis conuenerunt. Quibus in cœnobio maximo fratrum Dominicanorum cōgregatis, ſuam mentem Rex iſ verbis expreſſit: Scio equidem, nequaquam ignorare vos, me ab ipſis incunabilis, omnem vitæ, ſiue domi, ſiue foris, perpetua militia traduxiſſe; fuiſſeque diuina fortaliſis mihi ſorte datū, ut nullam plane ætatem in otio, & tranquillitate; ſed pro communi Regnorum ſalute, & amplificatione, in continuo labore & vitæ diſcrimine exegerim. Nam & totum tyrociniū adoleſcentulus, cū in vitandis domeſticis inſidijs; tum Regnorum ſedandis diſcordijs inſumpſi; & florentem adhuc ætatem, in Balearico bello; & mediā in Valentino tranſegi; neque hæcenus in gerendis rebus à perenni, conteſtataque maiorum meorum virtute degeneraſſe, quin potius eorum laudibus permultum addidiſſe me puto: cū reuera duo-

bus Re-

bus Regnis, quæ ab illis varijs parta ſæculis hæreditario iure accepit; alia duo quoque mea, veſtraque ſimul parta manu adiecerim; neque reſtat aliud ad ea omnia conſeruanda & ſtabilienda vndique, quam tertium, quod eſt Murciēſe, adiungere: protereaquod neque Valentinum ſine illo, neque Balearicum ſine utroque defendi poteſt. Cui rei Catalani ſocij veſtri, prouidi ac frugi homines, maturè, ſolenterque occurrerunt, animaduertentes à tot indies ex Africa trajicientibus Mauritanis, atque ſe Murciēſibus adiungentibus, non modo hiſce propinquis Regnis; ſed toti etiā Hiſpaniæ communi, quale fuit olim, excidium impendere. Quapropter ſatius eſſe ducētes, malum ex longinquo loco, quam ex propinquo vitare: non ſolum ſe, ſuaque omnia obrulere, ſed tributum quoque Bouaticum ad propulſandum hoc bellum, nobis, ut ſcitis, conceſſerunt. Neque video proſectò, cur hoc etiam Regnum, quod eiſdē, vel propinquo-ribus Maurorum excuſſionibus, quam Catalonia ſubiectum eſt, ſimile quoque auxilium pro ſui deſenſione non pendat. Eſt enim illud non alijs uſibus, quam ſacro huic bello, meisque genero & filie, à tam manifeſto eripiendis periculo impendendum. Vnde peræquum eſt, ubi de communi bello pro deſenſione patriæ ſuſcepto agitur, ſocijs tam largè neceſſaria ſuppeditantibus, vos, qui & Regnorum primi debellatores fuiſtis, & eorūdein ſemper eſtis propugnatores, non parcē, ſed largiſſimè, ut vos deceat, aut ſaltem paria conferre. Hæc cum dixiſſet Rex, quidā Franciſcani inſtituti monachus, à ſeipſo impuſus, repente in ſuggeſtum aſcendit, atque ad ſacrum hoc ipſum adhortans bellum, poſtquam Regiam tributi petitionē multis cohoneſtauit verbis & exemplis, adiecit, religioſo cuidam ſui ordinis diuinum obiectum fuiſſe viſum, quo intellexit, inſtaurandā à Iacobo Rege Hiſpaniam, & à ſarracēnorum incuſſionibus liberandam. Hæc proceres tanquam conſicta ſomnia reiicientes, egrius tulere ea, quæ à Rege petebantur; quin etiam & ab eo diuertere cœperunt, Bouatici nomen ut execrabile deteſtantes. Hæc audiens Rex, octo ex eorum principibus uiris ad ſe uocauit, quorum vnus erat Fernandus Sanctius filius, qui à patre, præ cæteris, hac in parte diſſentiebat. Is enim olim Alfonſi fratris partes ſecutus, multa cum alijs eiufdem factionis indigna, illius cauſa, contra patrem machinatus fue-

tus fuerat. Ex quo dissentiendi à patre noua occasione oblata, quasi pugnaturus pro libertate patriæ, insolentius se gerebat; sicq. ad impediendum Bouaticum, cuius nomine, ut ferebat ille, pater Aragonenses in boues ad aratra ferenda cõuertere uolebat; caput eius defensionis seipse constituit, adhzrentibus illi Simone Vrrca, focero, & Bernardo Guillermo Entensa, qui cum alijs uocatis ad Regem uenientes, nullis ab eo rationibus ad subeundum illud adduci potuerunt, neque necessitate belli, neque exemplo Catalanorum, neque fide ac iureiurando à Rege dato, se ratam partem proceribus, ac nobilibus restitutum; & constitutum, ne ullo deinde tempore id imponeretur. Quin potius nouas de Rege querelas habentes, atque priuatas suas quisq. causas publicis, ac cõmunitibus preferentes, non modo petita negarunt; uerum per multa, quæ antea in damnum suum, & iniuriam facta interpretabantur, compertari sibi à Rege petebant: immò ea ex præscripto legum, ac patriæ libertatis, iudicari poposcerunt. Est enim populus Aragonensis, natura tenax; adeoque acer vindex, eius præsertim libertatis, quæ maiorum suorum sanguine parta fuit; ut eodem quoque, illorum exemplo, cum defendere illam; tum pro ea mori non dubitet: Sine libertate enim nullam sibi uitam relictam putat. Indeque est, ut antiqua sua plebiscita & priuilegia (foros uocant) tanquam eius libertatis vindices & custodes mordicus, nimisque præfractè defendat. Quo fit, ut neque aliorum quidem populorum, præsertim uicinarum, effugiat inuidiam; Regum autem in auersum quandoque animum incurrat. Quorum querela de Aragonensibus deque eorum plebiscitis ea summa est, quod nullam illi tẽporum rationem habere uolunt, ac neque illud potissimum animaduertere; non esse equum, ut eorum plebiscita, quæ plerumque priuatis de causis, atque populorum importunitate, à Regibus, tanquam ui expressa, atq. extorta fuerunt, perinde ut sacratas leges, quæ summo Imperatorum, atque peritissimorum Iureconsultorum consilio, pro communi bono latae sunt; perpetuitatis, siue immutabilitatis naturam obtinere. Cum potius aut pro uicissitudine, malitiaque temporum, mutanda essent; aut pro atrocitate criminum, ut leges etiam, exasperanda; atque, ut morbis, pro natura, usu, & consuetudine ægroti adhibenda est medicina;

dicina; sic intabescencia Reipub. membra, ne proxima corrumpant, non lenientis, sed igne, aut ferro nonnunquam sint præurenda. Fit enim obiectu plebiscitorum indulgentiorum, ut pleraque delicta, sceleraque sapius remaneant impunita. Verum respondent Aragonenses, atque pro se non insulte dicunt; iisdem ipsis plebiscitis, tanquam legibus; auctam potius, quam imminutam suam Rempub. fuisse; immò cum uera religione quidem, hætenus multò melius cõseruatam. Esse præterea se, mitiore quam alios naturam, atq. ingenio tardo, potius, quam præcipiti ad mala perpetranda; ideoque quibus non est acceleratus delinquendi usus; tardam quoque, atq. procrastinatam esse debere punitionem; atque ad continendos in officio ipsos, tanquam lenientis, non incisione opus esse. Nec obstat, quod bona Regni pars plana, satisque culta, atque amœna appareat, & ad inhabitandum, & ferendum iugum apta; cum maior quidem perfrigida, horrida, & montosa sit, ac licet cultura uacans, propeque inhabitabilis; solius tamẽ libertatis dulcedine alleceta, cum mirè frequens est; tum paucis contenta: quæ si, aut maioribus, quam ferre potest, oneribus grauaretur, aut truculentioribus, quam solent, pœnis, multis uè puniretur; planè, aut omnino desereretur illa; aut duriore quam usquam paupertate, ac seruitute cultores premerentur. Unde Reges, pro illorum hætenus, Regia simul & diuina inuiolata fide; quarum hi fuere semper obseruantissimi; sic in eorum libertate, liberisque scitis conuiuent, ut iisdem, modò absit abusus, ad eius regionis tum incolumitatem, tum publicam commoditatem, facillè iudicari res permittant. Id, quod Iacobus tunc temporis prudentissimè animaduertit: neque enim tanta oblata occasione, plebiscita ipsa abrogauit; sed ipsis abutentes proceres, ut dicemus, mirè persequutus est, atque acerbè puniuit. Igitur proposito à Rege tributo, magnæ illico seditiones in populo concitatae fuere. Neque enim in tanta rerum perturbatione defuerunt, qui, vel procerum causam aduersus Regem, vel Regis aduersus proceres tuerentur: tãetsi hæc quidem pars præponderaretur eam, quæ pro libertate pugnabat: eaque una libertatis uox à populo emittebatur. Hanc igitur acerrimè defendere studentes proceres, Sanctio, & Vrrca ducibus, Alauonem excefferunt; ubi percusso fœdere, societatem inierunt; indeque omnia raptim

raptim, turbatimq. agi cœperunt. Vnde conuentu non de more dimisso, sed pertumultuose dirempto, proceribus cum populo ad arma conclamantibus, Rex Montionem profectus est; ibique copias coëgit, accersitis è Catalonia militibus, ac nonnullis proceribus, qui præto Regi fuerunt: quibus accesserunt Tamaritani, eoq. paruo exercitu, breui aliquot Aragonensium procerum oppida & arces, tã Petri Massæ, quàm Sancti filij cœpit, promulgauitq. vniuersa oppida & pagos procerum, se, ferro & igni vastaturum. Quę audientes proceres, depositis armis, iure agere maluerunt. Sciebant enim Regem non tam contrario, quantumuis licet potentissimo, armorum impetu, quàm audito iustitię nomine, ab armis discessurum. Iamq. connitebantur summoperè, vt de querelis, de quę controuersijs, ac quibusuis litibus, iudicaret Iustitię Aragonum præfectus, omnesq. iudiciarias controuersias, quę Regem inter & Regni proceres, nobilesq. viros orirentur, Præfectus constitueret, easq. ipse & Regio, & procerum, nobiliumq. consilio, qui Regia in aula versarentur, decideret. Insuper cum is Magistratus, seu præfectura, à se, & à superioribus Regibus demandari, cui uellent, soleret, in posterum promisit, non alijs, quàm uiris, qui equestri ordinis essent, eam mandaturū. Placuit igitur Regi, ac peræquum uisum est, vt cum honesta iuris intercessione, tum ab armis discederetur, tum etiam Magistratui, ac præfecturæ suam quodammodo abrogatum ius, & imminuta iurisdicctio, restitueretur. Erat enim hæc publica Regni dignitas, atque potestas præfecturæ (vt de ipsius origine & facultate, pauca quę ad rem pertinent dicamus) in præsidium & custodiam publicæ Regni libertatis constituta: cæterisq. eius, siue regijs, siue ordinarijs ciuitatum, oppidorumq. magistratibus, præferri solita. Ac, vel ex eo maximè præstans, magniq. semper habita, quod in tanto sibi iure, ac præsidendi potestate collata, nulli fuit vnquam Tyrannidi, neque perturbationi rerum obnoxia, utpote cum non solum, pro equo & bono, quibus ex plebiscito modis solet ipsa; uerum pro summo quoque iure, de quę consilij sententia, cuncta decernat. Neq. enim quærunt quę sua sunt; sed tria potissimum contendit. Primum vt suum cuiq. tribuatur: alterum, ne cui vis inferatur, tertiu, vt Regni plebiscitis stetur. Similis illa quidē tribunitiæ potestati; quem Magistra-

gistratum Romani olim, defensorem, ac custodem populi esse uoluerunt, atque auxiliij causa, contra illatam vim constituerunt. Vnde sicuti apud Lacedæmones Ephori Regibus, apud Romanos Tribuni Consulibus opponerentur; sic apud Aragonenses, ne aut uis ueritati adhiberetur, ne uerè furor, ac impetus aliquando Iudicum, ius opprimerent; & Regibus, & Consulibus; & cuiusque Regni potestati, ut se opponeret, creatus is fuit magistratus. Cuius tanta uis est, tam constans, & iusta quasi dictatura; ut ab eius hucusque origine, & creatione, nullo fuerit vnquam tempore, aut occasione abrogata. Quo maior est profectò admiratio; eaque nos uehementer ad inquirendum incitat; quoniam potissimum tempore, aut Imperante Rege, ac quibus etiam de causis, primi, tam Reges, quàm proceres Aragonenses, tantam, adeoque maiorem, quàm singuli potestatem haberent, quasi abdicarint à se, atque uni soli contulerint. Id quę non solum ad iudicandum de summis, grauissimisq. Regni rebus, cæterasq. infra se habendas iudicationes; uerum in plerisque ipsarum, illius vnico, ac definito iudicio standum. Sed de tempore, ac Regibus, & proceribus, quibus fuit conditus magistratus, non admodum expressa est, neque literis, neque diplomate consignata memoria: seu neque esse permittitur; fortassis, ut eò plus autoritatis, plus fidei, ac iuris eidem ab antiquitate, & inueterato, siue præscripto præsidendi usu accedat. Occasionem uerò, siue causam, haud alias fuisse credunt; quàm par olim primorum Regni, atque procerum Imperium; atq. ab his profectam Regiam dominationē: indeq. frequentes inter eos, super diuisione rerum, hostilium præsertim spoliatorum, controuersias, & cōtentiones: quasi quod par pari nollet iudicio succumbere: hincq. necesse esset ius in armis, quę semper gestabant, ponere. Ex quo, ne cruenta pugna & ferro differētias dirimerēt; ne uerè vlla subinde in Regem conspirandi occasio daretur; tã Rex, quàm proceres, de suo detrahentes; atq. magistratui conferentes; ipsum omnium consensu crearunt; atque ex eo maximè, quod is in suo cuique tribuendo uersatur: toti quę Regno præest, Iustitiam Aragonum nuncuparunt. Ab ea quippe uirtute, quę omnium Reipub. basis est ac fundamentum, iustè fuerat de nominandus Magistratus, qui omnibus Regni iudicationibus, tan- quam

quàm Iustitia iustitiarum, erat præponendus. Per hūc enim Reipub! Aragonensis salus non modò fuit perpetuò retenta, ac vera illius etiam erga Reges fidelitas conseruata: verùm ipsamet Regia dominatio, aut aucta quidem extitit per illum, aut magna saltem ex parte releuata. Siquidem ad subitas tum populorum commotiones sedandas; tum ciuium inter se discordias componendas; tum insolentium quandoque procerum libidines refrenandas (quæ propria sunt Regis munia) num commodiore alto, promptiore uè, quam hoc ipso magistratu, tanquam vnico instrumento pacis, ipsum sibi Regnum conseruauit accurrere? nonne, quod in ea re, sua maximè præsentia fecisset Rex, id ipsum deputatus ab eo magistratus solitus est efficere? An non hinc est, quod Aragoniæ res minus premant Reges; minusque ipsis negotij faceffant, atque in comitijs generalibus minus quoque querelarum ab Aragonensibus, quàm ab alijs socijs Regnis habeantur? Inde quippe superiores Reges huiusmodi magistratus vim satis compertam habentes; necnon & proceres non esse alienam a cōmodis suis, ac neq. contrariam ei potestati, rigide, nimisque seuerè, quam ipsi in subiectos sibi populos, sine prouocatione habēt, perspiciētes; eodem, quo ab vtriusq. cōsensu creatus est magistratus, à consequentibus, progressu temporis, fuit etiam auctus, atq. & potestate, & iurisdictione amplificatus. Ita quippe Iacobus audiēs uelle proceres, exposcereque, ut controuersias, quas tam secum, quam inter se illi haberent, Iustitiæ Aragonum præfectus iudicaret; perquam id esse ducens, prouidit in posterum, ut illud de iurisdictione præfecti, quod antea usu tantummodò & cōsuetudine receptum erat, deinceps scripta lege sanciretur. Demum inducijs factis, de reliquis controuersijs omnibus, Rex, & proceres apud Cæsaraugustanum, & Oscensem Episcopum compromissum fecerunt. Quibus peractis, proceres, se Regi ad Murciense bellum ad futuros promiserunt. Sed obeunte interim Oscensi Episcopo; Cæsaraugustano uerò à pronunciatione abstinente, iudicatio ipsa penès Regem fuit, neque manus ijs bonis iuncta, quæ factò compromisso tenebantur. Præterea paulò post, comitijs à Rege, Exeæ habitis (inclytum id Aragoniæ oppidum est, cognomento equitum, ob eorum frequentiam) plures leges proximis conuentibus scripte tantum, ibi scitz, ac promul-

promulgatæ fuerunt. In primis ne Rex, quique alij postea Reges essent, honores, & militaria officia cōdonarent, nisi ijs, qui agnati procerum essent, non modò iure, sed natura quidem, ac neque exteris illa tribuerent. Ne quis procerum, nobilium uè, Bouatici, aut scripturæ tributum (Herbaticum ipsi appellare consueuerunt) depēderet. In omnibus controuersijs, quæ inter Regem, & nobilitatem orirentur, præfectus Iustitiæ Aragonum iudex esset, easq. procerum, atq. nobilium, quorum nihil interesset, consilio dirimeret: reliquas uerò procerum, & equestris ordinis causas, idem præfectus, Regis ac procerum consilio diiudicaret. Rex liberis iustis nuptijs procreatis honores, militariæ uè officia, ne attribueret. His constitutis, atque inducijs cum proceribus factis, literas è Castella accepit, quibus intellexit, Alfonso expeditionem contra Granatenles suscepisse. Quamobrem ipse quoque Murciensibus bellum indixit; ad quod Clemens III. Pont. sacre expeditionis præsidia, & noxarum expiationem indulxit; atque sacrosanctæ Crucis prædicatione, è tota ferè Hispania multorum fuit militum concursus, Tarraconensi, & Valentino Antistitibus, concionatoribus, & sacri huius belli lituis. Itaque Cæsaraugustæ primùm renunciatis Ducibus, & Signiferis, exercitum ad duo millia equitum conscribi iussit. Duces exercitus fuere Petrus & Iacobus filij; & Raimundi duo, Cardonæ Vicecomes, & Moncada, alijs Aragoniæ proceribus, quod alienato adhuc animo à Rege essent, militiam detrectantibus, præter unum Blascum Alagonem, qui Regi semper adfuit: tametsi Aragonenses postea manipulatim Regem sequuti fuerunt. Sed recensitis equitibus, sexcenti dumtaxat præstò fuere ex bis mille conscriptis, quibuscum collecto passim in itinere peditatu, Valentiam properatum est. Cumque uenirent Turohūm, crescente indies exercitu, ac deficiente comœtu, reque frumentaria, ingressus est Rex urbem; quæ nunc intercedente Philippo II. Rege, concessione Gregorij XIII. Ponti. in Episcopatum erecta est; ubi conuocato Senatu, itineris, atque expeditionis suæ causas aperuit: seque fuisse coactum ad sacrum hoc contra Murcienses suscipiendum bellum; non solum ut Regnum, ob conspirationem Granaten-sibus deditum, eisdem inde pulsus, genero, ac filia recuperaret:

verum vt impediret, ne sese illi cum Murciensibus iungentes, in Valentinum conuolarent, vnde Aragonense Regnum detrimentum acciperet. Atque ideo, instante expeditione, ipse, non tam de cogendo exercitu, quam de sustentando sollicitus, carere se in primis re frumentaria, & pecuaria, alioque necessario bellico com meatu, ostendit. Proinde rogare, vt quæ ad manus haberent, suggererent; habituri breui ex Regijs censibus compensationem. Ad que munus ex primoribus, Aegidius Sanctius Munotius, filius quodam Paschasij, de quo antea diximus, qui senatus mentem compertam habebat, respondit; Non ignorare te, Rex, credimus, ciuitatem hanc nulli ex suis Regibus tuis maioribus defuisse vnquam; neque nos, quæcunque imperata fuerunt, facere recusasse. Quamobrem, quò maiora sunt, quæ tu pro communi re facis, quam quæ illi, eò maiora deberi tibi fatemur; & quæ pro alijs nunquam, pro te nunc facere decreuimus. Offerimus enim tibi nos Valentiam ituros obuiam; cum mille tritici coris, & tribus mille farinæ arietum xx. millibus, bouum verò duobus millibus; ac si opus erit, plura duros. Te autem interim, & exercitum, hospitio excipiemus honestissimo. Hoc Turolensium tam magnificum, atq. splendidum sponte oblatum munus, Rex admiratus, Cæsar Augustanæ non immemor iniuriæ, ad suos conuersus; Nunc, inquit, Cæsar Augustus plus vi dedisset, quam Turolium sponte obtulit. Itaque gratias eis habens, maximeque ipsos de munere amans, petentibus Turolensibus, duos vel tres dimisit satellites, qui per suburbana & pagos, Regio nomine, quæ mittenda essent, colligerent. ipseque, quamuis illi renuerent, ex Regijs censibus, per solui omnia precepit. Cum igitur Valentiam venisset, Turolenses cum omnibus prestò fuerè. Quæ cum pergrata, atque accepta haberet, optimis, variisque Valentini agri fructibus oneratos remisit.



BER-

BERNARDINI GOME SII MIEDIS, ARCHIDIACONI

SAGVNTINI, DE VITA ET REBUS

gestis IACOBI primi Regis Aragonum,
cognomento expugna
toris.

LIBER. XVII.



VM Iacobus Valentiz com meatum & armamenta parat, ac reliquas ex Catalonia, & Aragonia ad Murciense bellum conscriptas copias operitur; graues subinde, atque constantes rumores per urbem spargebantur, de innumerabili Afrorum, qui in Beticam traiecerant, multitudine, vt qui Granatensibus adiuncti centum quinquaginta millium numerum perhiberentur excedere; eorumque omnium mens esset, sese in Murciense Regnum immittere; eoque comparato, protinus in Valentinum conuolare: vt non amissum modò Regnum è Iacobi manibus eriperent, ac Zaceni, suisque recuperarent; sed Iacobum etiam è proprijs sedibus, ac Regnis expellerent. Erat enim iam ab omnibus Hispaniæ sarracenis & Afris, conflata conspiratio in Iacobum: cuius tam florens dominatio & Imperium, vniuersis sarracenis, præcipue Afris, in magno erat ex inuidia concepto odio; nec tamen tam ingens ira, & potentia hostis contemnenda erant. Compertum etiam Rex habebat, ex omnibus à se antea susceptis bellis, nullum fuisse vnquam cum hoc Murciensi comparandum, ac neque sibi magis reformidandum. Nam quamquam tot ipse numero, tamque paratos ad dimicandum contra se, hostes habuerat; nunquam tamen minoribus facultatibus, atque copijs, ipsque inter se diuisis, ad illis resistendum prodierat: nullus denique hoc ipso, belli exitus magis portendebatur exitiosus: propterea quòd non solù Afros & Granatenses ante se haberet; sed Valentinos etiã domesticos hostes post se relinqueret: neque timèdum non erat, ipsum vel præliantem, ab vtriusque intercludi posse;

X 2 seque

seque eis victimam præberi. Quæ omnia à proceribus, & populo, vltro citroque. relata, tametsi à Rege perpendentur; nec paruiducerentur; utpote quæ virum quamlibet constantem honestè possent ab incepto deterrere; tantà tamen erat ipsius cū animi magnitudine coniueta fortitudo, ut hoc vno in bello non modò hostes, sed seipsum superarit, eoque alacrius in eos inuectus fuerit. Quamobrem contemptis rumoribus, commeatum & armamenta præmittens, cum vniuerso exercitu profectus est Setabim: ibique equites leuis armaturæ trecentos assumens, Biarium progressus fuit, vbi congregatis Ducibus exercitus, totius nauadæ operæ, atque bellicæ expeditionis rationem eis significauit: fuitque deliberatum, ut de bellatis primùm Murciensis Regni oppidis citra Vilienam, quæ sunt prope Oriolam, & Alicatum, vltima esset vrbis expugnatio. Vnde missa parte exercitus in leuam, ipse cum altera dextram tenens, Viliensibus, qui contra Manuelem Regis Castellæ generum conspirant, per præconem ad moenia denunciauit, nisi resipiscerent, atque Manueli se dederent, depopulaturum se eorum agros, ac oppidum complanaturum. Ad quem Viliensēs, se, certis conditionibus in potestatem Manuelis redituros dixerunt, modò ratas illas habiturum Manuelē ipse promitteret: promittente Rege, Manueli se dedidere. Quorum exemplum Eldenses sequuti, sese Manuelis potestati permiserunt. Id ipsum imitati Petrencenses, Neupotientes, Illicitani, qui nunc Elgienses, fidem Iacobi sequentes in potestatem Regulorum suorum redierunt: simulque audita Regis benignitate erga sponte se dedentes populos, tradita quoque fuit illi Calagurria turris magna, valdeque munita, quæ præcipua erat Illicitanorum arx, antequam exercitus eò conueniret. Ea fuit enim Iacobus sapiētia & opinione famæ præditus, ut non minus arte, quam ferro vinceret. Misso igitur in eius arcis præsidium Barcinonēsi Antistite, ne ab exercitu illorum ager vastaretur, ipse concessit Orcelim, vulgò Oriolam; quò statim venit præfectus Criuilleni oppidi munitissimi, ut illud, & duas eius arces præmunitas in potestatem redigeret, vna tantum missa cohorte: qua ad eos perueniente, præstitit præfectus quod promiserat. Sicque ab ea parte omnia oppida cum arcibus se Regi, ac suis veris dominis, quos dispulerat, tradiderunt. Iam verò egredienti Oriola Regi, ut in Murciales pergeret cum equitatu, occurrerunt Al-

muga-

mugauares prætoriani milites, quos Rex dudum præmiserat, ut excursions in ea oppida, quæ intra Ilorcim & Murciam continebantur, facerent; prædasque in castra mitterent: quin & per captiuos, quos comprehendissent, consilia hostium inquirerent: ac tandem lustrato, atque explorato vtriusque vrbis agro, ad ipsum reuerterentur. Hi redeuntes renunciarunt, ante horas viginti, sub ipso noctis crepusculo, vidisse prope Ilorcim prætereuntes octingentos leuis armaturæ equites, cum duobus millibus peditum Regni Granatensis, qui duomille iumenta, omni commeatu & armorum genere onusta versus Murciales agebant; quique dissoluto ordine, ac nihil hostile timentes incedebant; facileque esse eos cum vniuersis sarcinis & impedimentis intercipere, si quam celerim, nullaque mora interposita, cum exercitu in loco à se explorato, satisque ad dimicandum expedito, eos præuenirent. Quo ipso tempore Manuel, equitesque ordinis Templarij, Hospitalis, & Vclensis, vna cum Alfonso Garcia strenuo, ac bellicoso viro à Rege Castellæ ad bellum missi, sese Regi adiunxerant: erantque simul omnes equitum ad mille ducetos, peditum verò ad viginti millia, itaque omnibus se, sequi iussis, præeunte Almugauarum cohorte, qui hostium stationes præueniret, traiecto Secura flumine, ut primùm illuxit dies, in pagum quendam fortè deuenerunt, ad radices parui montis, qua illi cum iumentis transituri erant, secundum tumulum non longè ab vrbe; vbi antiquorum Murciales Regum sepulchra sita erant. Ibi ergo Rex Almugauarum consilio, exercitum quiescere, sumptoque cibo, se ad pugnam comparare iussit; eumque protinus ita disposuit. In primo agmine Petrum & Iacobum Principes cum suis à Catalonia copijs collocavit; alterum verò agmen, vbi Aragonensium & Castellanorum permixtae legiones erant, tenuere Vclensis, cum Petro Nunnio Guthmano, & Alfonso Garcia Castellæ proceribus, & Alago cum Aragonensibus; postremum cum Manuele & Almugauares, Regi obtigit, lectissimis centum cataphractis cinctum; præter magnam aliam velitem manum, quos extra ordinem cum amentatis hastis Rex miserat, Duce Roccafullio, pernobilis Oriolensi equite, ad exploranda hostium consilia & iter. In quos descendentes iam per decliuitatem montis, Vclensis, & alij sui agminis vehementer instabant, ut impetus fieret. Verum Rex prohibuit omnino,

X 3

quoad

quoad vniuersi illorum equites in planitiem descenderēt, vt in præeuntes tunc nostri irruerent, seseque inter eos, & montem interponerent, vt à peditibus, atque à sarcinis & impedimentis separarent: sicque equitatus in equitatum, reliqui in pedites conuersi, prælium committerent: & tamen cum Rex, non tam præsentis hostes, quam propinquos vrbanos pertimesceret milites, quos sciebat multos, atque omnium lectissimos in vrbe esse; nec dubitaret, inito prælio, illorum subsidio venturos, ideò aciem sic instruxit, ac si cum vrbanis etiam esset dimicaturus. Prodiens ab nouissimo agmine è medio Cataphraetorum fulgentibus tectus armis, lustratoque primùm exercitu, atque omnibus circūspectis, venit ad primos ordines, quos ducebant Principes filij, ac, vt animosiores ad dimicandum redderet, graui, ac contenta voce cohortatus est, vt meminissent, quo ipsi patre geniti, ac procreati essent, quem simul Ducem & commilitonem haberent, atque facinorum spectatorem: quò magis cœlestem omniumque communem patrem respicerent; gratiasque ei immortales haberent, quòd dimicationis suæ primitias, non contra Christianos, sed contra impios Christiani nominis hostes offerri dederit: eique se tota mente deuouerent, daturò sine dubitatione, & vim suis ad peruincendum, & hostibus ignauiam ad resistendum. Ab his illico ad milites conuersus, propositam, atque oculis subiectam eis prædam, sarcinas & commeatum, si benè strenuèque pugnarent, ipsis diuidendum ostendit: neque dubitare se dixit, ipsos tam assuetos alioqui, hostes numero superiores vincere, inferiores, tametsi non contemnendos, deuicturos. Ijs dictis, in locum suum secessit, ac protinus, dato signo, nostri equites in hostiū equitatum primum impetum fecerunt, quem illi minime sustinere valentes, in eam partem, quâ venerant, sese fugæ mandarunt: hos pedites secuti, in turpem fugam coniecerunt. Quare ad persequendos eos maxime cohortantibus Vclensi, & Castellanis, Rex iussit canere receptui, veritus nè, aut à tergo eos vrbani adorirentur, aut in insidias, pluresve hostes, si persequerentur, inciderent: proptereaquòd fugientes tederent in oppidum Alfamā propinquum, in quo arx erat munitissima, multoque plena milite, qui nostros prædæ inhiates, & dispersos facile superare, ac perdere possent. Itaque direptionem Rege prohibente, sarcinæ & impedi-

impedimenta capta sunt, omniaque manu ipsius distributa Ducibus & militibus, præter iumeta & cibaria, tanquam exercitui & castris necessaria. Sed stupor omnes inuaserat, qua causa vrbani, præliantibus prope urbem Granatensibus, qui subsidio illis venerant, non opem tulerint: latere enim ea pugna minimè potuit vrbanos, cum non longè ab vrbe commissa fuerit. Verum à captiuis deprehensum fuit, esse à Granatensibus certiores factos, opemque ab ijs ferri petitam; non tamen ausos vrbanos eam ferre, proptereaquòd graues rumores sparsi in vrbe essent, Alfonso scilicet, & Iacobum Reges, cum magnis exercitibus venire ad urbem obsidendam; ideoque initum à Iacobo prælium, stratagema fuisse ad eliciendos ab vrbe Murcienses, vt à propugnatore destitutam Alfonso inuaderet. Neque profectò vana omnino fuit eorum opinio: quandoquidem Alfonso per id tempus venerat Iacobum visurus, atque ad præstitutam diem in oppido Alcarracio, non longè ab vrbe, conuenere, vnà veniens Iolans filia, eiusque liberi Castellæ Principes, vnà etiam Berengaria Alfonsina, filia Alfonsi domini Molinæ, & Melæ, insignium Castellæ oppidorum, in confinijs Aragoniz. Quæ cum esset perpulchra, atque cum venustate dignitatem quandam vultu præferret, adeò eius amore captus Rex fuit, vt matrimonij fide data in posterum eam in contubernium acciuerit. Neque mirandum quidem, in tam continuo, prosperoque ac triumphanti bello, Martem subito in procreatricem Venerem incurrisse: proclive enim est ad eam, ab labore omnium hominum ingenium, maxime verò sollicitante communi rerum parente natura, cuius non parum interfuerat, multos orbibus Iacobos edidisse. Itaque postquam de oppugnatione Murciensi inter Reges est actum, atque à Iacobo illius cura suscepta, Alfonso & Iolans, cum liberis reuersi sunt in Granatensia castra; Iacobus vero, vt nonnulla oppugnationi necessaria præpararet, Oriolam regressus. Quò venientes Vilienses Regi dixerunt, se Manueli dedidisse, vt esset promissi memor; statimque Rex, consentiente Manuele, in illorum arce præsidia collocavit; profectusque in oppida Nòpotiū, & Elgiū, ea cum turri Calagurria Manueli tradi fecit; atque iterum reuersus Oriolam, natalitia Christi ibidem celebrauit. Inde Alicantum venit, ubi exercitu congregato, Murcia contendit, in eius conspectum castra po-

fiturus. Ipse quippe primus cum speculatore anteibat regionis sitū exploraturus, aptioremque ab obsidendam, & oppugnandam urbem, locum inuenturus. Mos enim erat Regibus prælium commissuris, Regia id referente historia, in postremo esse agmine, loca tamen ad obsidendum indagaturis, omnibus anteire. Sed cum in locum, qui fuerat speculatore visus aptior, ante lucē ambo venissent: neque ob circumfusas tenebras, quantum ab urbe distarent, agnoscerent; ut primum illuxit dies subito sese in conspectum urbis dedere: tam proximè, ut ad iactum ferè balistæ ea esset, iumenta enim & pecudes urbanorum propè oberrabant. Quo animaduerso Rex ad speculatorem ait; Temere profectò tu quasi loci ignarus, ad designandam obsessionem, me in tam propinquum urbi locum conduxisti: verum ut lubet, iacta est alea, tenendus est locus, ac ne digitum quidem pes referendus. Statimque positus ibi castris, ea undique fossa & vallo cingi iussit: quin & machinas, & tormenta disponi, ac in loco, & ordine suo quemque manere constituit. Nostris igitur operi instantibus, Murcienses irruptiones facere cœperunt, atque frequentibus sagittarum ictibus, saxorumque iactibus exercitū vexare. At verò Rex sagittarios Dertosanos, & funditores Baleares, à læua posuit, ut irrupentes sarracenos, ac sese protinus in urbem recipientes icerent: missa simul Cataphractorum manu, qui suo impetu aggredientium agmen turbarent; nostrisque contra Sagittarios hostes pro muro essent: quò tutius ferire illos possent, atque sagittarum, & saxorum imbrem similiter in eos contorquere. Hæc ergo in modum eorum audacia adeò repressâ fuit, ut totum mentem ab eruptionibus temperarint: nostro interim exercitu, machinas & tormenta muris admouente, ac Rege etiam nihil non, quod strenui ducis esset, machinante, quoad Murcienses ad deditiōem cogeret. Eius enim spe fretus, omnino prohibuit vastari agrū: quo beneficio, plerisque urbanorum animos ad se pelliciebat. Interim ipse ad notos suos, quos in urbe habebat, clam submittebat fidos aliquos ex Valentinis sarracenis, qui ad deditiōem illos inducerent, benignitatem Regiam, suauemque morem in excipiendis, humanissimeque tractandis ijs, qui sese ei sponte dedebant; atque in eos, qui obsisterent, pœnas & supplicia prædicantes: Addebant etiam,

recipere

recipere illum in se, Alfonso generū, quæ ipse ageret cū ijs, omnia probaturū: posseque, eodem deprecatore, in gratiam Regis sui, nullo suo iure imminuto, redire. Quæ cū ad primores urbis relata essent, deque dedenda ipsa Regem perinde agere vidissent, ac si propugnatore vacua, atque fame oppressa omnino esset; tantus vniuersos inuasit timor, ut pro oblatis conditionibus placuerit deditio: maxime verò, augefcente indies Regis exercitu, illorum verò auxiliij spe, Granatensi Rege Alfonso bello impedito, penitus abiecta. Vnde placuit primoribus, sese, ac urbem Regi dedere; iamque pulso inde præfecto à Rege Granatensi misso, cum eius militibus, qui urbanis numero inferiores erant, neque arcem tenebant; Regi significarunt, se ad certam diem, urbis portas patefacturos. Ex quo Rex protinus quinquaginta cataphractus, ac totidem leuis armaturæ equites, cum centum viginti sagittarijs Dertosanis præmisit, qui urbem intrarent; ipse verò ad ripam Securæ amnis, quæ is arcem alluit, constitit; quoad illi vniuersas urbis turres & propugnacula, in primisque arcem tenerent; atque in editiore eius turri vexillum Regium locarent. Quo inspecto Rex illicò cum dimidia exercitus parte urbem ingressus est. Sequenti verò die in arcem ascendens, munire eam, præfidiaque in ipsa disponi iussit. Deinde totam peruagatus urbem, comitantibus antiquo præfecto, cum alijs quinq. ciuitatis primatibus, eam in duas partes diuisit: quarum alteram, quæ arcem, & Mahometi eodem magnam comprehendebat, castris propinquiorem, Christianis habitandam dedit, alteram verò sarracenis reliquit, in qua decem aliæ Mahometanæ ædes erant, satisque amplius ad habitandum locus sarracenis relictus. Verum sarraceni de Rege conquesti sunt, quod magnam eodem illam, quæ erat omnium princeps, ac frequentissima, sustulisset. Tunc iratus Rex, vniuersum exercitum urbem ingredi, atque in armis, & quasi paratum ad eam diripiendam esse iussit. Quod pertimescentes sarraceni, Regem supplices obsecrarunt, ut sibi ignosceret, atque eodem cum omni re, pro libito acciperet. Pacatus Rex, ædem à Carthaginensi Antistite expiari, atque sacre Virgini matri Mariæ dedicari curauit. Ei enim ex voto omnia templa in locis sarracenorum consecrare solebat. Erant autem iam tum permulti permisti sarracenis Christiani, tota ea diœcesi Carthagi-

X 5 nensi

nenſi, chriſtianè viuentes, atque ſacella vnà & Episcopum habentes, qui pietatis, ac religionis iura in eos exercebat. Itaque expiato atque ſacrato templo, Rex, & Barcinonenſis, & Carthaginenſis Antiffites, atque vniuerſi, qui inuenti ſunt ſacerdotes, alijsque Dei miniſtri è tota confluentes diœceſi, cum vniuerſo Chriſtiano populo è caſtris exeuntes, & cum magna pompa, & hymnis, urbem ingrediētes, illud adierunt: vbi pro victoria ſine cruore parta, maximas Chriſto, eiusque ſacroſanctæ matri gratias egerunt. Poſt verò Rex ad exercitum conuerſus, collaudatis omnibus, tanquam bene de ſe meritis, atque victoriarum participibus, eis gratias egit humaniſſimè, ſingulos Duces, ſigniferos, primi que pilos & céturiones, ſumma excipiens affabilitate, eorum virtuti ac dextris tribuēs, quòd non vno, aut altero, ſed quatuor potitus Regnis fuerit. Qui autem ex proceribus præcipui interfuerunt huic bello, fuere Petrus & Iacobus filij, magnus Magiſter equitum Vclenſis, Arnaldus Episcopus Barcinonenſis, vnà cum Carthaginenſi, ac etiam Petrus Gerardus Templariorum promagiſter, Petrus Fernandus Regis filius, Guido Veſpa promagiſter Hoſpitalis, Huguetius Comes Emporitanus, Raimundus Moncada, Blaſcus Alago, Iaſfridus Comes Rocabertinus, Guillemus Rocafullius, & Carrocus Rebolledi dominus: quibuſcum Rex diebus multis egit Murciæ; vbi tanquam verus Rex, ac dominus debellatæ à ſe vrbiſ, domos & prædia veteranis liberaliſſimè diuiſit, eis præfertim, qui ibidem commorari, ac in perpetuo vrbiſ præſidio, & conſeruatione Chriſtianiæ religionis remanere promiſerunt. Poſtremò Legatos ad generum miſit, qui nunciarent, ſe urbem Murciam cū vniuerſis eius Regni arcibus, & oppidis viginti octo, quæ ab eo ad Granatæ Regē defecerāt, vi & armis recuperaffe, ea que omnia cum reliquo Regno ſubegiffe, atque vt totum tanquam ſartu rectum reddat, præſto eſſe. Proinde præſidia mitteret, ad excipiendum illud, & defendendum. Factum proſectò inſigne, ac commemorandum, atque cum maxima Regis laude & gloria concelebrandum. Potentiſſimum ſcilicet Maurorū Regnum, defectione amiſſum, atque à ſocijs protectū; quod ſua dextra, ſuis ſumptibus, & milite, oppugnarat, & recuperauerat, genero magnificentiſſimè contuliſſe; perinde ac ſi hoc ipſum antea filia dotis nomine promiſiſſet.

Demum

Demum arcem cum vrbe Alphonſo Garciae Præſecto ab Alphonſo de lecto liberè tradidit, relictis decem milibus Chriſtianorum militū, qui Regnum, eiusque tutiora ad defendendum loca incolerent, religionem inducerent, ſectamque Mahometanam propullarent; atque potirentur agro amœniſſimo, pinguiſſimoque. Nam vbi ager eſt irriguus, non modò frumento, vino, & oleo; ſed moretis ad ſericum conficiendum bombycinum, ſupraquàm dici poteſt, abundat: vbi verò irriguus non eſt, qualis Carthaginenſis propinquus ei campus verſus mare, ſpartho, & palmis eſt refertus, atque magnitudine paſtionis mirè fertilis, qui etiam vrbe, & portu Carthaginenſi propinquis valde nobilitatur. Rebus igitur Murciensium compoſitis, Rex Oriolam venit, quæ vrbs Valentini Regni extrema eſt, Murcia è regione ad ortum poſita, nobilis admodum, atque ingenijs præſtans, bellicisque olim aſſueta rebus. Eius ager latiſſimus, atque irriguus, frequentibus Securae fluminis inundationibus, inuenitur longè fertilisſimus, atque frumēti, ob irrigationem, feraciſſimus, adeò vt prouerbio vulgatiſſimo fuerit locus, Pluat, aut non, frumentum dat Oriola. Ibi Rex cū eſſet hyems, ſummè delectatus tepore aeris, atque amœnitate agri, dies aliquot fuit. Inde cū iam ver eſſet, Alicantum cum exercitu venit. Quæ vrbs ampliſſimum, non tamen vndique tutum portum habet, in quem magnus ac frequentisſimus eſt nauium è toto Mediterraneo, atque Athlantico etiam mari concurſus, ac magna ſimul mercimoniorum conuectio. vbi Rex retento exercitu, vocatis Ducibus, bellum contra Almerienſes Regni Granatæ proſequi ſe velle dixit, ac iuuare generum, bello aduerſus eos implicatum. Sed obſiſtentibus proceribus, & admonentibus, tutum non eſſe tã diu à proprijs abeſſe Regnis, & aliena querere; maximè verò ob cõponendas res Iacobi filij, præfertim de adiungenda ei vxore, quæ res Regiã omnino præſentiam requirebāt; relictis præſidijs apud Alicantenses, & Vilienſes fines, vt Murciae ſibus, dum opus eſſet, occurrerent; ipſe Valentiam cum parte exercitus reuenit; atque colluſtrata vrbe, mirè delectatus eſt eius amplificatione, atque magnificorum ædificiorum, præfertim templorum, ornatu & conſtructione: necnon validiſſimo muro in orbem perducto, turriumque frequentia, & diſtinctione. Iamque legibus

legibus & plebiscitis denuò confirmatis, Barcinonem progressus est, paucisque ibi diebus commoratus, Gerundam venit; vbi controversias inter Emporitani Comitem, & Pontium Gerardum Torrellam, de diuidendis agris, breui composuit: indeque Mompellerium concedens, intellexit, matrimonium Beatricis Amadæi Sabaudia Comitis filia, cum Iacobo, de quo Roccafullius egerat, aut Beatricis obitu, aut alijs de causis, perfectum non esse; ideoque de Esclaramunda Foxensis Comitis sorore Iacobo iungenda egit. Cum igitur matrimonium placuisset omnibus, Esclaramunda a suis honorifice Barcinonem deducta est; ibique celeberrimis nuptijs, Iacobo iuncta. Rex verò Mompellerio Perpinianum reuersus, inuenit præstolantem se nuncium cum epistola, qua Ferrentius Licianæ, vnus ex proceribus Aragoniæ, Regem ob nonnullas acceptas iniurias ad certamen prouocabat. Quo die contigit, vt legatus à magno Tartarorum Imperatore missus, cum grandi comitatu Perpinianum ingrederetur ad Regem, oratum in summa, ne expeditionem ad Hierosolymitanam regionem debellandam detrectaret: se enim, & copijs, & armis iuuaturum; modò ipse bello præfesset. Has duas, ad eò inter se, & genere, & proposito dissidentes, vno die acceptas legationes Rex perpendens: altera, quam à summo Rege ad Imperatoriam tantæ expeditionis bellicæ potestatem vocabatur; altera, qua à subiecto sibi Regulo prouocabatur, risum vix continere potuit. Vnde Tartaris lautissimè exceptis, atque in patriam iucundissimè remissis; ad Licianæ nuncium conuersus, respondit; Se hæcenus delectatum fuisse aucupio gruum, aut tardarum auium; at nunc, vt ei morem gerat, picarum, seu columbarum vsurum; eius inferiorem ordinem, præ Regio, atque sequuturam fugam prænunciens. Inde profectus venit Ilerdam, vbi tumultuario comparato exercitu, atque Tamaritano populo se sequi iusso, Licianam oppidum, cum alijs Ferrentij arcibus, in potestatem redegit; ac ob læsæ Maiestatis crimen, Regno adiecit, ipso quoque Ferrentio profugo, nulloque certo in loco, metu Regis, consistente. Post hæc Rex Turiasonem venit, vbi denunciatum est ei, per plures passim deprehendi nummos adulterinos, Aragoniæ forma, & Castellæ percussos: è quibus allati fuere nonnulli morabatini ex ære confecti, extrinsecus inaurati, tanta artis subtilitate, vt

à veris

à veris vix discerni possent. Erant autem morabatini aurei nummi, qui dimidium coronatum pendebant. In huius criminis suspicionem quidam Regulus venit, nomine Petrus Iordanus, dominus oppidi Sanctulalix, in confinibus Aragoniæ & Nauarræ siti; vna cum Elfa vxore illius, & liberis, & præterea operis ministris. Sed mortuo Iordano, liberisque profugis, Elfa cum ministris capta, atque iudicio conuicta, à Rege damnata est. Mortis autem genus hoc fuit; ore folliculo inuoluto, saccoque insuta, atque in profluentem Iberum viua proiecta: quæ etiam poena fuit ministrorum, & cæterorum, qui postea eorum crimine conuicti; vno excepto Canonico & Sacrista Ecclesiæ Turiasonensis, qui etiam conuictus, sacerdotijs priuatus fuit; & quia sacerorum minister erat, non capite damnatus, sed in perpetuum carcerem detrusus. Quibus Turiasonæ actis, inde Rex abiit Cæsaraugustam, vbi Mariam filiam inuisit; quæ febricula lacefcete, male habebat. Sed medicis morbum eleuantibus, breuique conualituram afferentibus, ipse profecturus Valentiam, Alcanitium, quâ in illam rectius est iter, venit; ibique diem domini natalem celebrauit: incuntis verò anni primo die, Dertosa egit; inde Valentiam perueniens, nuncium accepit Cæsaraugusta, Mariam post ipsius discessum, ingrauescente morbo, mortuam fuisse. De cuius obitu vehementer Rex doluit; ita vt cogitarit regredi Cæsaraugustam, vt eius saltem nouendialibus sacris, & exequijs interesset. Decreuerat enim, vt Valbonam, vbi Regiæ matris sepulchrum erat, Maria deduceretur, ibique humaretur. Verum altero consequenti nuncio intellexit, ciues Cæsaraugustanos, inuitis proceribus, qui in vrbe constiterunt, cadauer in templum maximum diui Saluatoris intulisse, illudque sepultura honorificentissima affecisse. Quod Rex haud omnino ægrè tulit, ac Valentiam substitit. Post hæc literas à Petro Principe Barcinone accepit, quibus factus est certior, Raimundum Folchium Vicecomitem Cardonensem, aliosque nonnullos Cataloniæ Barones, mortuo Aluaro Cabrera Comite, mouisse bellum contra oppida Comitatus Vrgelitani, in ea præcipuè, quæ à Rege tenebantur. Verum Rex, noua facta iuris accessione Comitatus Foxensis, quod ad Vrgelitani, & Vicecomitatum Castellboni, & Agerensis habebat; rursus bellum in vniuersos commouit; in primis contra eos, quicunque

Vrge-

Vrgelitanum inuadebant, cuius dominatus titulo semper insignitus Rex fuerat. Itaq. cum exercitu veniens Cerueram, in pagis, atq. oppidis, quæ se Regi subiecerat, præsidia disposuit, copiasque adduxit ad prosequendum bellum, & Comitatum defendendum; dumque expectat, quid Vicecomes, alijque faciant: relictis interim Petro & Iacobo filiis, altero qui exercitui præset; altero, qui Mompelleriũ certata de causa abiret; ipse Toletũ à Sanctio filio vocatus, causis, quas mox subiiciemus, proficisci parauit. Quo tempore rumor percrebuit, ac paulò post literis è Sicilia ad Petrum confirmatus est, Manfredum Regem Petri socerum occubuisse, in agro Beneuentano Neapoli vrbi proximo, commisso prælio cum Gallis, Duce Carolo Ludouici Regis fratre. Hunc enim antea Vrbanus III. Pont. magno in Manfredum odio & indignatione commotus, vocauerat ad se; qui veniens Romam cum maximo & fortissimo exercitu, certis conditionibus, Regno Siciliæ, & toto terre tractu, qui est citra Pharam, ad fines vsque ditionis Ecclesiæ Romanæ, vrbe Beneuento excepta, à Pont. perpetuo beneficiario iure donatus fuerat; traditoque de more vexillo Regio, in possessionem missus. Vnde facta donatione, Carolus in Manfredum profectus, quo dictum est, prælio deuicit, pulsus scilicet, atque in fugam conuersis Manfredi copijs; à quibus desertus ipse in medios hostes irruens, non agnitus, telis confusus occubuit: simulque vita fuit, atque Regno priuatus. Verum ab exuentibus eum in campo, inter mortuos cognitus ac elatus, consulto Pont. Ecclesiastica fuit sepultura prohibita. Quo nũcio Petrus, eiusque vxor Manfredi filia, vehementer dolere: ipseque Petrus, cui intestati Manfredi omnia bona iure obuenerant; ad ea quoque armis repetenda, atque in potestatem, vt fecit, redigenda, non inaniter se iam inde animo præparare cœpit. Cæterum causas, cur Iacobus à Sanctio filio vocatus, protinus intermisso Vrgelitano bello, Toletum perrexit, eiusque felicissimum itineris successum, enarremus. Fuerat enim Sanctius à Romano Pont. Archiepiscopatui Toletano, summo totius Hispaniæ sacerdotio, præfectus: ideoque sacris initiatus, patrem per literas rogauit, vt vnà cum Petro, & Iacobo fratribus, ad natalem Christi diem, Toletum in sui, Alfonsi que ac Iolantis sororis gratiam venirent; vt ipsius primis Missæ solenni-

bus;

bus, in sancto augustoque Regiæ vrbis fano interessent. Cui Rex annuens libentissimè, gaudensque illius vrbis visendæ iam diu desideratam sibi offerri occasionem, ac vt vnà etiam Iolantem filiam & nepotes reuideret, se iturum respondit. Petrum verò & Iacobum, quibus dictum est causis, excusatos voluit. Vnde profectus, Ilerdam, & Calataiubium præteriens, cœnobium Hortam venit: vbi ab Alfonso genero magnificè exceptus, cū eo Toletum petijt. Cuius præclarissimè, antiquissimè, maximeque mediterraneæ vrbis situm, quo fuit ea olim, esseque nunc posset inexpugnabilis, sub aspectum subiicere, non erit ab instituto alienum. Est enim ambitu permagna; decem quippe domiciliorum millia continet, atque præaltis, & præruptis montibus tota ferè circumcluditur; ijsque adeo propinquis, ac eidem impendentibus, vt inclusus tumulus, siue mons, in quo ipsa residet, quemque totum implet, ab illis non amplius balistæ iactu, quàm amnis interluit, separetur. Hic mons ab ea parte, qua Oriens respicitur, altissimus est, ac præruptus; Tago permagno Hispaniæ fluuio, qui auriferis, vt fama est, aquis præstat, magno quodam impetu in illũ incurrente: indeque sinistrorsum, tortuoso flexu, totam ferè vrbe circumfluente, & à montibus discriminante. Ab altera verò parte, Septentriones versus, qua in planitiem vergit ipsa, à summo illo fastigio, in quo est arx, haud æqualiter fit decliuus; atq. sumptuosissima ædificiorum frequētia circumfunditur. Quæ tota cum mōte vrbs muniuissimo cinctæ muro, quattuor patefit portis: sed in primis ea, quæ ad ortum Solis, arci subiecta est, quam excipit Alcantaræ pons (sic illum vocant) ex secto lapide, tanta cum magnitudine, tum arte constructus, vt vnico tantum arcu, & flumini, ibi licet altissimo, & infinito ferè concursanti populo, præbeat transitum. Sed illud profectò mirabilius, quòd incredibili artificum ingenio, maximoque sumptu ciuium tracta ab amne aqua, sui quasi oblita ponderis & nature, supra quingentos cubitos in montis fastigium ascendit, arcemque amplissimam Philippi II. Regis iussu instauratam, perenni & amœnissimo fonte ornat. Hic ergo litus natura munitus, sicuti superioribus sæculis, vrbe oppugnantibus cominus, fecit inexpugnabilem; ita rursus eminens inuadentibus, pandente se vrbe montibus, machinarum, atque tormentorum præsertim æneorum emiss-

ionibus

tionibus, atque ædificiorum subinde ruinis, eandem valde subiecit. Verum cum tam potens sit ciuitas, vt quæ, & bellum per se facere, & instruere possit, huic etiam malo potest diligenter occurrere: aut hostes, antequam sit obsessio locus, præueniendo; aut munitissimis hinc inde arcibus, vicinos montes præoccupando. Igitur accedente Rege, tametsi idem in Commētarijs, de suo aduentu, ingressuque in urbem parcè scribit; neque aliud quippiam, quam venisse, vidisse, sacris interfuisse, & alia quædam memorat: mihi tamen credibile non est, ad tanti aduentum Regis, tum Archiepiscopi & Reginae parentis; tum Alfonso quoque socii, de quo ille nuper fuerat benemeritus, ob recuperatum ab ipso Murciense Regnum, atque liberalissimè Alfonso restitutum: quin triumphalis etiam ingressus ei à Toletano Senatu fuerit decretus. Ex ijs enim, quæ nunc faceret Toletum, quæ tum fecerit, libet colligere; ac persuaderi quidem, ciuitatem in excipiendo Iacobo, cunctas suas opes, & facultates ostentasse; ipsumque tandem ouanti similem, quanta potuit cum ostentatione & apparatu, tum sacra etiam pompa, qualis fieri solet in publicis supplicationibus, & triumphis, in templum maximum deduxisse. Vbi post patefactam inæstimabilem sacrarum, adeoque prætiosarum rerum in ea copiam repositam; verisimile est, fuisse ostensa etiam trophæa, insigniaque victoriarum Castellæ Regum, quæ tollis, atque laquearibus templi appesa essent; interque ea, inclyta quoque Petri parentis monumenta inuenta, quæ memoriâ renouarent illius præclarissimi Idubedensis prælij, quod Mariano in saltu, ad Cõualles Tolosæ dictas, felicissimè cum Mauris commissum est, indeque Petrus cum Aragonensi, & Catalano exercitu, vt primo libro retulimus, insignem victoriæ laudem perquam gloriose cõsecutus. Ac neque dubitandum prætereà, fuisse Iacobum, sacrum idem templum supràmodum admiratum; ac veneratum etiam amplissimum illius, Antistitis, Dignitatum, vt dicunt, & Canonicorū collegium; aliosque per plures publicos Dei ministros, qui veram Christi fidem & religionem, nullis vnquam contaminatam erroribus, ab ipsis propè Apostolorum temporibus hucusque conseruarunt. Cum neque Arriana perfidia, quæ in Hispaniam cum Gotthis irrepsit; neque cõmunis illa, & vniuersalis, Roderico Rege, à Mauritanis illata clades, & re-

& religionis perturbatio impederint, quominus sacra Toletana sedes constiterit, atq. Musarabico saltem Gotthorum ritu, sacra perpetuò fecerit, quin & alijs etiam oppressis Hispaniæ Ecclesijs, non modò exemplo, & doctrina, oraculi vice: sed facultate & opibus, solatio, etiam atque subsidio fuerit. Adde quòd diuina largiente manu, tam ingens, propeq. incredibilis eidem facta fuit Decumarum, aliorumque censuum accessio, & incrementum; vt cunctas totius orbis Ecclesias, vna ipsa superet, Archiepiscopo scilicet, Dignitatibus, Canonicis, aliisque sacerdotibus, & sacrorum ministris, hoc vnum in templū oratū & ad sacra facienda conuenientibus, ad sexcentorum millium nummum aureorum summam quotannis interse, pro cuiusq. muneris ratione, diuidentibus. Ex quo in eum dignitatis, atq. amplitudinis gradum peruēnit, adeoq. splendore simul, & religione præstare solita fuit, vt iure quidē non Hispaniensū modò Ecclesiarū principatum obtinere, sed reliquarū totius Christianæ ditionis, nulli præterquā Romaniæ, haberi debeat secunda. Die igitur præstituta, primū solene sacrum summa cū religione & ceremonia celebratū est, atq. ab utroque Rege, Regina, Ferdinando Principe, totq. Castellæ proceribus, illustratū & cohonestatū amplissimè. In quo populus præsentia, & studio Iacobi inductus, haud dubiū, quin ludos etiā apparatus, magnificentissimosq. ac tantis dignos spectatoribus fecerit. Quo ipso tēpore, vt in Iacobi triumphū omnia celsissime videntur, nouorū hominū species, & formæ Toletum inuectæ sunt. Ab oris enim vsq. Scyticis, vt refert historia, Legati Tartarorū Imperatoris Barcinonē appulerant, vnà cū Ioanne Alarico nobili Perpiniensi, quē Rex superioribus diebus, Perpiniāno, quo venerat alius Tartarorū legatus, miserat ad illorū Imperatorē, vt perciperet illius mentē: deq. ijs, quæ per legatū promittebantur, certior fieret. Itaq. reuersus ille cū duobus illius Imperij Principibus viris legatis, Barcinone relictis, Toletū cum nōnullis eorū famulis, Tartarico more indutis, ingressus est, magna totius populi ad eos videndos facta concursatione, vt mediterranei solēt, noua quæq. præsertim transmarina, vehementer admirari. Itaq. Alaricus à Rege lætissimè exceptus, præsentibus Alfonso Rege, & Regina, & Ferdinando Principe, ac etiā Archiepiscopo, multisq. proceribus, sic legationē suā renūciauit. Posteaquā Perpiniāno, me, Rex, legatione ad Tartarorū Principē, magnū Cham, adire iussisti, nihil tam mihi curæ fuit, quam vt sedulo, superatis tot, tantisque

longissimi itineris laboribus, & vix difficultatibus, quæ mihi in mandatis data fuerè rectè obire: factumque est, diuino duce numine, vt & legationis meæ finem feliciter conlectus fuerim, & magnum quòque tibi honorem ex illa, vt nunc audies, attulerim. Perueni namque ad ipsos prope Hyperboreos Scytarum fines, quos nunc Tartarorum appellant, vbi tuo audito nomine, Cuillanus illorum Princeps, cum suis, deposita innata barbarie, humanissimè me exceperunt, atque vt primum de animo, & voluntate tua erga se factus est certior; teque sacram expeditionem Hierosolymitanam libenter suscepturum, modò quæ per legatos tibi promissa sunt, ac ipse tuo nomine, illò lancienda veneram, prestitissent, nimio opere lætati fuerunt; atque triginta diebus manerem ibi, rogarunt, quoad de omnibus certior iam fierè. Quo toto tempore per interpretem nihil tam curarunt, quam vt Imperatoris, sui que exercitus potentiam, opes, propè quæ infinitam mihi ostentarent, ac vt re vera esse comperirem, quæcunque legati de Imperatore suo prædicarunt. Inueni sanè posse illum ducèta millia pedum equitum verò, ad centum millia in campum proferre. esseque gentem pugnacissimam; sed multitudine potius, quam pugnandi arte præstantem. Frigoris quidem patientissimam, vt potè Borealibus assuetam rigoribus, sed tanquam bello semper intentam, non tam domi intra muros, quam foris in tentorijs subdicio agentem. Præterea Christianam illos profiteri religionem, sed eam tot inuoluta erroribus; vixque vllis culta præceptis, adeò vt prope faciant ridiculam. Causam autem tam efflagitatam ab eis expeditionis ad Hierosolymitanam terram recuperandam, non tam pietatem, aut religionem esse, quam liuorè & æmulationem Turcarum gentis, quæ Hierosolymas cum tota Palestina occupat: ac non modo Tartarorum, sed Armeniorum, atque Græcorum magnos contra ipsam missos exercitus, tenuioribus validissimè profligat. Propterea quod ea non multitudine, sed strenua bellandi arte ceteris gentibus, quæ sunt ad orientem præstet. Verum cur à te potius, quàm ab alijs Christianis Europæ Principibus, Tartarus auxilium nunc petat, faciunt infelices illorum conatus, atque inanes hæctenus susceptæ Hierosolymitanæ expeditiones, vt qui neque sese Tartaris adiungere, neque ab eis consilium, auxiliumve capere in aggrediendis Turcis voluerint. Proinde audita fama, & magno rerum à te gestarum nomine, & quòd

quòd cõpijs, & exercitatissimo ad bellandum præstas milite, præliandi que arte superas, atque studio tandè & affectu magno in hanc curam intèdis: iccirco te ad eam prosequendam, adhortatur, promittitque se, & milite & armamentis, & frumentaria re, & cõmeatu, te, quandiu bellum in Turcas fuerit, adiuturum. Ac non modo Tartaros, Armeniosque, sed Græcos, horumque Imperatorem Paleologum, similia prestituros, modò huius cõmunis, & sacri belli Dux fias, atque auctor; vt etiam ex Græcis intellexi. Finita Alarici oratione, Rex illicò collaudato illo, atque pro tantis legationis suæ, qua fuerat egregie functus, laboribus, se illi, cū primum in Aragoniam veniret, largè benefacturum promisit: deinde ostèdit, velle se, Deo fauente, id bellum suscipere. Quod, vt primùm Alfonso & Regina audire, cõmoti valde, precibus, multisque rationibus, ipsum conati sunt ab instituto deducere, in primis tot eius annos, affectamque ætatè, atque tam longam & periculosam nauigationem obijciètes, quin & Turcarum potètiã, atque immanitatè: nec non Græcã gentem esse infidam & fallacem; neque Tartarorum, tanquam barbarorum hominum promissa magni ducenda. Demùm sufficere exèpla tot Christianorum Principum, quibus, suo ferè tempore, tam male cesserit eiusmodi susceptum bellum. Cùmque Rex ad ea omnia rationibus quoque satisfaceret, neque se ab incepto deterreri sineret: tum Alfonso diuinam quasi religionem tactus, se totum ad approbandum Regis cõceptum conuertit; promittitque in eius auxilium centum missurum equites, ac morabatorum aureorum centum millia erogaturum. Magnus etiam Magister equitum Valens, cū alijs centum equitibus, se Regem sequuturum obtulit: Idem à promagistro Hospitalis Hispaniæ Gonçalo Pereira Lusitano, alijsque permultis Castellæ proceribus, pro cuiusque facultate promissum fuit. Celebrato igitur natali Christi die, Rex salute multa Archiepiscopo dicta, atque Regine & nepotibus fausta, feliciaque omnia precatus: quin & proceribus, atque senatui populoque Toletano relatis gratijs, Toletum profectus est, Alfonso comitate, atque in ipso itinere, multa à rege ad bene administrandum Regnum, & continendos in officio populos documeta accipiète. Itaque dū in via essent, Alfonso tributum besatiūm sexaginta milium, tunc à Rege Granatæ sibi missum, in partem morabatorum Iacobo tradidit, reliquam breuè in Aragoniam missurus. Vbi autem ad confinia Regnorum est deuentum, Alfonso Tol-

tum, Iacobus Valentia perrexit. Quo tempore legati Tartari qui Barcinone remanserant, cum alio Legato, tunc a Paleologo Imperatore Græcorum ad Regem missi, Ioanne Alarico Duce, ubi intrarunt. A quibus per Alaricum similis superiori legatio, presenti populo, renūciata, in summa fuit; Magnū Chā optare, ut Hierosolyma terra sancta à Turcarū manibus eriperetur, atque ob honorē Christi, Christianis restitueretur: sequē ad id præstiturū omnia; ac non modò in Turcas per se cōmoturum bellum, sed Regiam classem frumētō, & omni cōmeatu adiuturum: modò Rex cum classe portum Aialazi, aut alium quemuis minoris Asiæ ad ortū teneret, & cursum Hierosolymā dirigeret. Legati verò Paleologi, milites nullos; comēatū, & rem frumentariā ipsū mari abundē missurū Regio exercitui, promiserunt. Quibus auditis, Rex susceptam belli expeditionem promulgari fecit, ac deinde se totū in eā dedit; permultosq. exēplo suo, ad se insequendū pellexit. Itaque Valentia imperatā pecuniā ad eius sumptus belli; ne milite eā expoliaret, Barcinonē profectus fuit, ut instruēdæ classi operā daret: Interea litteras à Iolāte filia accepit, quibus orabat, ut antequā expeditionē susciperet, se inuiseret, apud cœnobiū Hortam ipsū expectaturā. Ei ut morē Rex gereret, ac etiā ut Aragoniæ res præteriens componeret, eò perrexit: iamq. ingressus Cæsaraugustam Petrum Principem, toti Regno, se absente, præfecit; eumque donauit omni iure, quod ad Regnū Navarre habebat, à Theobaldo Rege & parētē eius Margarita Regina, quo uteretur contra eundem Theobaldū, & tā multos Navarre proceres, qui pacti simul, & stipulati fuerant, ac sese ad ea tenendā iuramētō similiter obstrinxerāt. Ceterū Aragonensibus nulla denuò ad expeditionē Hierosolymitanā fuit imperatā pecuniā, quoniā paulò ante, cum primū illa promulgata fuit; spontē ipsi & Ilerdenses, alijq. populi, in quibus erat vsus monetæ Iaccēsis, Regi permiserāt, ut posset quindecim millia argētearū librarū ad eius monetę vsū cudere, numūm aureorū prope quindecim millia cōstituentia. Ut inde planē quiuis possit facillē Regias illius tēporis opes estimare; ac colligere nō tā earū multitudinē, quā militū viribus, & parsimonia, cōsueuisse victorias reportari. Itaque Cæsaraugusta Rex venit Hortā, ubi Regina filia cum Petro & Iacobo, quos Rex adduxerat, itē Sāctio Archiepiscopo, filijs cum nepotibus Regis cōuenēre: qui omnes, quasi cōspiratione fa-

cta,

cta, Regem circumsidentes, nepotes collum amplexātes, ceteri verò sese illius pedibus prouoluētes, magnis cum lamentis & lachrymis ipsum deprecabātur; ut à tālōginqua, periculōsissima, maximeq. dubia profectio desisteret; neque se omni ope, & auxilio destitutos relinqueret; ut cuius faciē nō amplius visuri essent. Ad quos Rex, postquā vniuersos amatissimē cōplexus est; Frustra, inquit, lachrymis & eiulatu vestro, me, vosq. ipsos affligitis, atque ab expeditione hac sancta auocare tētatis: quandoquidē quæ cœlesti ac cōmuni parētī Deo debentur munia, longē præferenda sunt ijs, quæ vobis, tācti filijs charissimis, quauis humana ratione debētur. Præstiti enim hæcenus quæ potui pro vobis, ut quibus longē maiora, quā quæ accepi à parētibus, bona relinquo; ac virtutis, & rerū gestarum gloria, quæ optima, atque omni patrimonio præstātor est hæreditas, vniuersos vos omnes cōhonestauit. Nūc aliō me vocat idē cœlestis pater, qui nō alia, quā sua bella me gerere vult. Quæ enim magis illius sunt, quā quæ suscipiuntur ad Iesu Christi filij sui amatissimi sepulchrū, eiusque vestigijs impressam, & peragrata terram sanctam, recuperandā? utpote quæ ab impijs eius lacri nominis hostibus occupata, tanquā è canū, atque porcorum faucibus eripiēda sit; ac Christo & suis restituenda? Deberi enim me huic expeditioni multis de causis animaduerto. In primis, ob animi mei desiderium, & quasi votū, ab ipso propē Regni exordio factum. Deinde, ob inchoatā toties ab omnibus ferē Christianis Regibus, præter Hispanos, nunquā tamen perfectam expeditionē, si forte mihi primò detur, ut viā aperiā. Postremò, ob occasionē cōmodiorē nūc, quā vnquā, oblatam; duobus scilicet summis Imperatoribus ad eā non modò cohortantibus, sed terra, mariq. re, copijs, cōmeatu, & armis tā abundē iuuantibus. Quibus in re tā valde pia & honesta, nō morē gerere, nō solū Hispano certē nomini ignominiosum; sed impiū profectō esset, & perquā detestabile. Quo ergo magis nostra ingrauescens ætas tēpus mortis nobis affert maturius, eo quoque suadet magis, ut quod reliquū est vite, pro Christo profundamus. Proinde quod ille non recusauit pro me, pro ipso mori non recusabo. Quæ cum dixisset, augefcntibus lamentis, eiulatu, & lachrymis filiorum, paternæ quoque eruperunt; neque amplius loqui valens, salute dicta omnibus, tenerosque suauitatus nepotes; ab eis diuulsus est, & Barcinonem reuersus.

Y 3

BER

BERNARDINI GOME

SII MIEDIS, ARCHIDIACONI

SAGVNTINI, DE VITA ET REBUS

gestis IACOBI primi Regis Aragonum, co
gnomento expuglatoris.

LIBER. XVIII.



Ngressus itaq. Rex Barcinonē, præclarissimam Hi-
spaniæ urbē, quæ olim Fauentia dicta fuit, atq. ad or-
tum in plano explicata, ad semicirculi formam mari
adiacet; continuo classem, quā extrui fecerat, lustra-
uit; eaq. & frumentaria re, & omni comœatu, atq.
armamentis munita inuenta, cum præfecti diligentiam commenda-
uit; tum opes, atq. facultates ciuitatis ad ædificandas & exornandas
classes vehemēter admiratus fuit: nec iniuria quidem; cum in naua-
libus, maritimoq. apparatū belli, nulla totius Hispaniæ vrbs cum ea
tū esse cōparanda: nullæ ad nouas tanquam condendas vrbes, ma-
gis quàm ipsa, Romanæ ciuitati assimilanda. Quot enim illa classes
ædificauit; easq. tū comœatu, milite, & armamētis; tū nauiculario
& remige, alijsq. tot, tantisq. necessarijs rebus compleuit: tot profe-
ctō, quasi vrbes extruxisse, ac veluti colonias deduxisse; in eoque po-
tentiam, & magnas suas opes ostentasse, videri debet. Ijs, alijsq. de
causis, nō immeritō totius Cataloniæ Principatus caput est cōstitu-
ta; ut potē cū nauali nō modō re, terræq. situ, & descriptione edificio-
rū, mœniorumq. amplitudine, & armamentis, alijs præstet vrbibus,
(vt in nostris Commentarijs de Sale fusiùs de ea diximus) sed ma-
ximè omnium, frugalitate, & concordia ciuiū, ac potissimum cha-
ritate patriæ, pro qua se, suaq. omnia, oblata occasione, sic liberalis-
simè deuouere solent; vt exemplo sint omnibus. In eam igitur Anti-
stitibus, ac nonnullis vtriusq. Regni proceribus, ad certā diem cōuo-
catis, dū copias ex Aragonia & Catalonia cōscriptas Rex expectat;
longam nauē, vnā cum actuaria conscendens, cū paucis secundissi-
mè in Balearium maiorem nauigauit. Iamque portum & urbem te-
nens;

nens, mirè delectatus fuit illius ornatu & amplificatione, præsertim
arcis, maximiq. assurgentis templi, & portus munitione. Illud
etiam multo magis admiratus est, nunquam Tunetanum, aliosq.ue
Africæ Reges, ex tam multis sæpè ab eis in Hispaniam expeditioni-
bus susceptis, neque totius Insulæ, neq. maioris vrbs expugnationē
tentasse: vt inde appareat, quanta fuerit huius pij, ac sapientis, egre-
gieq. fortis Imperatoris existimatio, quantusq. ab eo Afris in-
iectus timor: vt qui nō armis quidem, sed sola opinione & fama bel-
li, suos omnino fines, & Imperium à quorumuis hostium incurfio-
nibus tueri potuerit. Itaque lustrata vrbe, cū aliqua parte Insulæ, atq.
imperata pecunia; quinquaginta milia victoriarum argenti acce-
pit, pro eisq. perinde ac si aurei essent, senatui, populoq. gratias e-
git; eorumq. tam fidelitatem erga se, quàm accuratā Regni custo-
diam & defensionem mirè laudauit. Cui etiam Minoris Insulæ præ-
fectus, & magistratus Citadelle, cum mille bobus occurrere: quos tri-
bus nauibus imponens, cum eo comœatu Barcinonem remeauit.
Itaque classe triginta magnarum nauium, cum nonnullis triremibus,
ac plerisq. actuarijs, comparata, octingētos in eis cataphractos im-
posuit; atque cum Almugauare, & vniuerso peditatu, exercitum ad
viginti millia hominum peruenisse, fama fuit. Proceres verò, atque
inhignes equites, fuere trecenti. Vnde, sacris de more factis, atque
Rege, & proceribus, quorum priuata nulla fit mentio, sanctissi-
mum Christi corpus sumentibus, naues conscenderūt. simulq. Bar-
cinonensi Antistite, cum Sacrista Ilerdensi, qui postea Oscensi præ-
fuit Ecclesiæ, alijsq. multis sacerdotibus ad sacra ministranda, conscē-
dentibus. Iamq. ineunte autūno, Rex præstituta die, summo mane
vela vētis dari iusserat, sed quadraginta passuum milibus confectis,
cū ad vespasceret, fieretq. reflāte Subsolano, ne vniuersæ sequerē-
tur naues; consilio Raimūdi Marquetij summi nauarchi, reuersus est
Barcinonē, vt classē colligeret, ac præ se ageret; quæ aduersante ven-
to, dextrorium in proximū Cigense littus depulsa fuerat: vna tantū
triremi in Barcinonēsi reperta; cū qua, sequētib. alijs, postera die
nauigās, triduo in Baleariū minorē peruenit. Sed dū portū se putat
tenere, tā subita exorta vētōrū vis fuit, atq. immoderata tēpestas, A-
frico se cū Boreali cōuoluēte, vt in altū regressis, Regi, ac classi hor-
ribile

ribile naufragij periculum impenderit: quattuor totos dies, noctesque, non modo concertantibus inter se ventis; sed neque Sole, Luna, neque stellis, perpetua quasi circumfusa nocte, vsquam apparētibus. Vnde Regem, qui coarctate tempestate, ipsius Marchetij nauem è trirēmi conscēderat, & qui in eā erant, atque aliarum etiam iactatarum nauium gubernatores, Dūcesque militares, quibus ad eum datur accedere, omnes multis, supplicibusque verbis orabant, ne contra tantam, tamque turbulentam tempestatem niteretur. Fieri enim eandem indices turbulentiorē, ac non ventos, sed diuos nauigantibus iratos apparere: neque insuper posse plerasque naues, temone iam, atque gubernaculo amisso, fractisque malis, ac rescisis velis ultra progredi, maximè verò equis nauis Regia vectis quindecim; ex alijs verò nauibus plus centum, iam in mare deiectis. Cum igitur, persistente Rege, iam iam naufragiū fieret, Barcinonensis Antistes, alijque Theologi, pij, ac literati viri, qui eadem nauī vehebantur, Regem in puppim conuenerunt; vbi Barcinonensis, non exprobandi causa; sed commonendi gratia, sic est eum allocutus; Enimverò Rex, neque Christianæ virtutis, neque heroicæ constantiæ, sed inhumani potius crudelitatis videtur esse; tot, tantisque impendentibus naufragij periculis, tam pertinacem te reddi in nauigando; vè non modo totius quasi Reipub. classis, sed neque nostri, neque tui demum miserearis: ac neque mari, vbi summum rei gerendæ Imperium nauarcho datum est, tui vllum ei permittas: neque demum quam sit dispar terra aut mari gubernandi ratio, quamque diuersus pugnandi vsus, considerare velis. Non enim armatorum in nos exercitus; non homo in hominem; sed imbres, nimbi, turbines, procellæ, & fulmina, atque omnes in vnum tempestates coactæ sunt, quæ in nos irruunt: quibus non ferro, aut armis; sed solius fuga tempestatis licet quam honestissimè occurrere. Quid enim maioris sæpe artis in nauigando est, si portum tenere nequeas, quam tempestati obsequi? Quid prouidentioris naturæ, quam resstantibus omnino ventis, quibus imperare non possis, cum obtemperare; tum quò impellant, maximè verò si in patriam, remigare? Neque profectò est, quòd de incepto, aut expeditione intermissa sollicitus, atque suspensio sis animo: diuina illa potius, quam tua est; neque à te, nisi pro

nisi pro Christi nomine, eiusque propaganda fide suscepta. Sed cum tot eam horribilibus cœli, marisque tempestatibus, quæ haudquaquam sine supremo numine excitantur, tantopere impediri videas, fortassis, aut grata ea Christo non est, aut in aliud quidē tempus, tibi commodius, reseruatur suscipienda. Proinde non quæ euentura, sed quæ in præsentia sunt, cura: ac ne tot clarissimorum Ducum, interitus, miserimique naufragij, solus culpam sustineas: teque inprimis, ac nos cum vniuersa classe serues incolumes, primum, quæ diuina sors portum dederit, nauarchos tenere iube, vt terra potius, quam mari, libero, ac tranquillo animo, quæ agenda fuerint, deliberes. Hæc Barcinonensi admonente, cæterisque illud idem cum lachrymis deprecantibus, mirandum accidit. Nam vt primum flecti, sedarique Regis animus, sedari quoque tempestas cœpit; atque sub ipso meridiano tempore, densissimis dissipatis tenebris, Sol illulcescere: simulque cœlum & terra repentinò apperiri visa sunt; ac etiam Regia nauis cum nonnullis actuarijs, diuino munere, in Galliam Narbonensem, ad Aquas Sextias appulit. Quanquam terræ vento resstare, in Agathensem paulò citra sinum coacta fuit remigare, vbi sequenti die portum est consecuta: ipseque Rex terram tenens, templū beatissimæ Virginis, Vallis viridis nuncupatum, adiit, ei que summas egit gratias, cuius ope è tanto fuerit naufragio ereptus. Deinde oculos in mare conuertens, tametsi pacatum conspexit; vident tamen ex vniuersa classe, vix dimidiam secum appulisse; eamque tam aduersa agitatum, atque conflictatam tempestate, vt egrè vna esset nauis, quæ non, aut rescisis velis, aut antenis fractis, aut malo & temone pessundatis, labefactaretur: quæque ad alleuanda onera, non solum equos, sed machinas, & armamenta bellica, in profundum iecisset; neque de altera parte classis, præterquam, aut naufragium, aut vagam dispersionem suspicaretur; tempori cedere; necessitati que parere decreuit: ac neque renauigandum; sed in aliud tempus, ressecta classe, expeditionem renouandam censuit. Ad eum autem protinus confluxere Episcopus Magalonensis, & filius Raimundi Gaucelini Reguli, qui lautè, abundeque Regi, suisque commeatum & necessaria suggesserunt. Inde verò Mompellerium cōcessit, vbi paucos moratus dies, atque ex tempestate recreatus, quoad naues & armamenta reficeretur, in

tur, in Cataloniam abiit. At verò, pars classis, quæ cursum tenere potuit, ac naues Fernandi maris præfecti, & Ferdinandi Sanctij filij Regis, & Simonis Vrree secuta est, sese à tempestate eripuit. Hi namq. ad oram Africæ, interque eam, & Sardiniam, Siciliamque, tum Cretam, & Cyprum legentes, nauigarunt: atque ad Acrem Palestinæ oppidum maritimum peruenientes, maxima cum alacritate excepti fuere à magno Hospitalis Magistro, aliisque Christianis ab Hierosolymis eò statim concurrentibus; quamuis extrema ipsi pateretur in medio Turcarum positi, atq. omni auxilio destituti. Verùm quoniam oppidum immunum erat, ac proximum alteri munitissimo, quod paulò ante à Turcis fuerat captum; neq. cum tam exigua parte classis manere ibi tutum erat, vndiq. tot iam hostibus ad portum conuolantibus; ideò remigare, atque in itinere Regem quærere decreuerunt. Itaque frumenti, & comæatus partem, magno magistro, & alijs Christianis diuidentes, confirmatis eorum animis, ut potè quos aduentus Regis breui esset subleuaturus, è portu soluerunt, nullis vsquam, neque Paleologi, neque Tartarorum Principis, auxilijs comparantibus. Atq. ita Cyprum, & Rhodum, tum Cretam, quæ venerant, & Corcyram prætereuntes, in Siciliam appulsi, Panormitanum portum tenuerunt: vbi Carolus Rex, qui Manfredum interemerat, intelligens Sanctium Iacobi Regis filium eò venisse, honorificè excepit ipsum, atque diebus aliquot splendidissimè tractauit. Ex quo Sanctius ita fuit Caroli erga se humanitate affectus; ut petierit, militaris auctoramenti dignitate ab illo decorari. quòd fecit Carolus libentissimè; & quæto potuit apparatu ac splendore auctoramenti diem celebravit. At hæc tanta amoris, atque subito conflatae amicitia pignora mutuò data, Petro Principi, Siciliæ Regnum affectanti, magnarum cum Sanctio discordiarum, ac simultatum, occasione postea, ut dicemus, fuerunt. Ceterùm Rege Mompellerio in Cataloniam, indeque Cæsar augustam aduentate, Legati Alfonso Castellæ ad eum venerunt, orantis, ut ad nuptias Ferdinandi filij, eius quoque nepotis, quas in vrbe Burgenfi facturum erat cum Blanca filia Ludouici Francorum Regis, venire dignaretur. Siquidem conuenturi ad eas erant Philippus Blancæ frater germanus, qui eam deducebat, vnà cum permultis Antistibus, & proceribus Galliarum

Galliarum: necnon Eduardus Angliæ Princeps, qui Leonoram sorore Alfonso duxerat vxorem: quin & Marchio Monferratij Italus, ac etiam Legati ab electoribus Imperij tunc missi ad Alfonso, ut renunciarent fuisse eum Regem Romanorum electum. Quæ audiens Iacobus mirè lætatus est, ac se protinus viæ dedit: venitque Turiasonem, deinde Agredam, ibique ab Alfonso expectatus, Burgim deductus est; vbi nuptiæ celeberrimæ, plenæque splendoris, & magnificentia, cum summo omnium gaudio & alacritate coniunctæ fuerunt: tanta cum pompa, & rerum affluentia, ut nusquam visæ fuerint splendidiores, & honorificentiores: cum præter iam dictos, conuenerint etiam Alfonso Molinæ dominus, Alfonso Regis auunculus, vnà cum Federico, Manuele, & Philippo, qui Christinam Noruegiæ duxerat vxorem, Regis Alfonso fratribus: tum etiam Iacobus Rex cū Petro Principe, eiusque fratribus, Ferdinando, Sanctio, item Iacobo, & Petro, ex Vidauria, (hos vix alio in loco cum patre conuenisse antea legimus) ac demum Sanctio Archiepiscopo Toletano Iacobi Regis filijs, quin & cum omnibus ferè Antistitibus, & proceribus Castellæ. Vbi Eduardus Angliæ Princeps militaris auctoramenti dignitatem ab Alfonso accepit, huiusque filius Ferdinandus; ab eodem verò Principe, Ferdinandi fratres, cū Lupo Diazio Pharenfi Vizcaia domino. Hæc nuptiæ magna parte anni, militaribus ludis, spectaculis, scænis, atque iocis fuerunt celebratæ. Fuit enim Alfonso, ibi non modò in suos, sed etiam in exteros largus & munificus, atque cum summa mutuaque gratia, omnes donum remisit. Verùm interim dum nuptiæ fierent, nonnulli ex Principibus Castellæ proceribus, apud Iacobum secreto de Alfonso conuesti sunt: quod is se in gerenda Repub. & administrando Regno, iniquum præberet, atque cū proceribus tam immoderate, fastidiosèque ageret, ut eos non modò à se totos abalienasset; sed in iram, & quandam quasi cõspirationem, præ odio, prouocasset. De qua re multa speciatim retulerunt, quæ Iacobo satis digna visæ sunt, non ad monitione solum, sed prompta emendatione. Erat enim Alfonso omnium superiorum Regum, varijs scientijs, Astronomiæ potissimum, ut diximus, deditissimus, ut cuius summa cura & obseruatione factum sit, ut tabulæ ab eo Alfonso, ad maximū Astronomorum pro-

rum profectum, & artis vsum ederentur. Verum enim quo magis se ille, Solis, Lunæq. & septem Signorum cursibus indagandis implicauerat; quovè mentem & oculos in illis intentius defixerat, eo quidem minus terrestria, & quæ ante oculos erant, cernebat; minusque de regēda Repub. à qua semper abalienato erat animo, cogitabat; indeque inconstans, difficilis, atque impatiēs euaserat. Nec mirum: quoniam animus nimium auocatus ad sublimiū contemplationem, necesse est, vt inferiora despiciat, atq. ad negotia difficulter, & quasi hospes ac peregrinus accedat: neque dignoscat quibuscum agat, neque rationem cuiusquam habeat: sed cum negotia oderit suo quasi contraria otio; sic à negotiatoribus abhorreat, vt ab ipso quoq. omnes abhorreant. Fitque subinde, vt non minus in Rege tyrannis, quam in subditis conspiratio latenter succrescant. Hæc omnia animaduertens Iacobus, neque contemnenda esse, quæ de Alfonso deferebantur, intelligens, proceres meliora sperare iubens, Burgis profectus, Turiaonem vsque comitem habuit Alfonso. Vnde occasione itineris, pro amore, quo illum prosequeretur, tanto affinitatis vinculo coniunctum, dolens ex animo ob eiusmodi iacturam Principum, quam faciunt negotia publica subterfugiētēs; de multis, quæ ad optimam Regnorum gubernationem necessaria sibi videbantur, Alfonso admonuit: ac cum in eo quattuor potissimum vitia notarentur; paria ei consilia & admonitiones, tãquam consentanea morbis remedia adhibuit. Primum, ne à populis mutuo disideret odio. Nam odisse eos, à quibus amari oportet, prouocare in se est; cum nulla re magis in officio, & amore contineri populi soleant, quàm Regū humanitate, benignitate, & continētia. Nihil enim est negotij continere eos, quibus præsis, si te ipse contineas. Alterū, ex triplici, procerum, popularium, & Ecclesiasticorum ordine; si minus, quod est maximè optandum, cum vniuersis, saltem cum Antistitibus & sacerdotibus conueniret; quibus & res suas cohonestaret; & per eos facilius populares ad se alliceret; perq. hos procerum, atque magnatum insolentiam comprimeret, arrogantiamq. comperceret. Tertium, procerum, atq. equitum insolentium ordines, esse quidem, aut increpandos, aut castigandos; nulla re tamen dedecorandos: quoniam & ornāmēta Reipub. sunt, & lacerti belli, & firma

menta

menta pacis, per quos timor semper est hostibus iniectus. Postremum, ne quemquam clam, ac neque indicta causa puniret. Id enim non modo precipitem, atq. temerarium arguit Principem; sed legibus & magistratibus fidem, atque honorem detrahit. Quæ quidem consilia libenter, atque æquo animo excipere visus est, Alfonso, eaque diligenter se obseruaturum promisit: attamen vt catapotia facile sumpta, ab inueterato malis ventriculo minimè retenta euomuntur; sic Alfonso præceptorum oblitus, peiora postea commisit, & in causa fuit, vt Henricus, alijque fratres, adiunctis proceribus, sensim ab eo deficerent, peneque, dum viueret, Regno priuaretur. Itaq. Iacobus dimisso Alfonso, Aragoniam ingressus est. Cū autē procedente tēpore Iacobi monita parū valuissent apud Alfonso, isque pro libidine cuncta gereret; Philippus eius frater, vnà cum Nunnio Gonfatio Laræ domino, ac plerique proceres, nonnullis etiam ciuitatum legatis adherentibus, Lerma in oppido coierunt, atque communi consensu; honestis obiectis causis, ab Alfonso se defecturos iurarunt; si minus ab illis scitis exequendis abstineret, quæ neque in sui honorem; neque in vtilitatem populorum; sed in manifestum ordinem, & procerum contemptum, edi curauerat. Et quanquam Philippo magna interceserat cū Rege Granatæ necessitudo, ad quem ab Alfonso deficeret; tamen quia Nauarræ Rex magnas cum Alfonso inimicitias gerebat, consilio procerū, qui se Philippo nunquam defuturos obtulerunt, ad eum abiit. Hoc tempore auditum est, permultas Mauritanorum copias in Bæticam transfretasse, appulisseque Algeziram illius prouinciæ, atque munitissimam Bejerij oppidi arcem oppugnare. Vnde Alfonso consilij inops, ac perturbatus, hinc Mauritanis ingruētibus, illinc Philippo & proceribus defectionem tentātibus, in Iacobo socero perfugium ac spē omnē collocauit; ideoque, vt si quo pacto illos sedare posset, ac bellum Granatensibus Mauritanorum receptatoribus inferre, consilij capiendi causa, venire vnà cum Regina ad Iacobum statuit Valentiz agentem; qui tum, vt in suis Commentarijs refert, subortas controuersias inter pernobilem Guillerum Scribanum magnum Regnorum Protonotarium; & generalem Regis quæstorem, Bailiuiū vulgò nominatum, de iure vtriusque officij, seu dignitatis publicæ,

vt cre-

vt creditur, agentes; lata pro Guillermo contra Quistorum sententia, composuit. Alfonso igitur obuiam Rex Buriolum vsque iuit; quem vnà cum Regina & nepotibus lætissimè excipiens Valentiam deduxit, in quam magna cum alacritate & pompa à senatu populoque Valentino excepti fuere; atque lustrata vrbe, & indicto iustitio, quot se ibi diebus continuere, Reginz gratia, ludis atq. spectaculis plena omnia fuere. Sed vrgētibus Mauritanis, oportuit Alfonso breui in Castellam redire; quem Iacobus comitatus est versus Murciaes, Vilienam vsque: inde reuersus Setabim, eo in itinere duo parua oppidula condi iussit; alterum Montabernarium, in Albaidensi conualle, alterum Orimbloinum prope Dianium, eaque suo agro, & limitibus circumscripsit. Atque dum esset Fontiniani, quod est nunc oppidum florentissimum Biario propinquum, nuncio Cæsar gusta misso intellexit, Artalum Lunam pernobilem Aragonensem, controuersijs ortis inter ipsum, & Zuerenses CæsarAugustæ propinquos, prælium cum eis commisisse, & viginti septem ex illis in eo concidisse. Ad quos statim Rex iter ingressus est: cumq. prope Turonium venisset, Iacobus filius obuiam ei exijt; petijtq. ab eo liceret sibi in Aquitaniam proficisci, vt de matrimonio antea proposito cum Principe Niuerniensi agere posset. Permisit Rex, atque pecuniam & familiam, quibuscum honestè, ac decenter iret, concessit. Inde CæsarAugustam ingressus, Artalum citari iussit. Interim litteras ab Alfonso accepit, denuò in colloquium venire studente, vt eacoram referret, quæ litteris tutò committi non poterant, essentque vtrique communia. Vnde Rex illicò venit Alicantum, ibique inuentus Alfonso, in summa, confirmavit, aliquot Aragonenses proceres, vnà cum ijs, qui à se defecerant, cum Mauris consensisse, vt bellum clam contra se ambos struant: ideoque quid in tanta rei nouitate facturi sint, exquirere. Præterea num bellum cōtra præfectos Malacitanæ, & Guadicensis ciuitatum, moueret; quod ij quoque Mauritanos receperant; an potius simulata cum eis amicitia, cum Granatæ Rege, autore omnium, illud iniret. Cui consuluit Rex, ne quoquo modo induciarum iura, quæ cum Granatensi Rege pactus fuerat, violaret. Quod verò ad conspirationem attinebat, proceribus omnem conspirandi occasionem tolleret: ac documentorum, quæ
olim

olim in itinere dederat, recordaretur; proque certo sciret, penes se vnum esse ignem & gladium, sed interim sibi quisque prospiceret, ac mutuo alter alteri subsidio esset. Posthęc: abeunte Alfonso, miratus est eum Rex cum tãto scientiarũ vsu, tanta laborare consilij inopia, adeoque timidum, ac suspitosum effectum, vt non suis modo, sed alienis conspirationis suspicionem iniiceret: ideoque de illius rebus subtrahere cœpit, venitq. Oscam, vbi conuentus indixit, vt propter causas ibi relatas, aduersus Artalum, tũ ob facinus ab eo contra Zuerenses perpetratum, tum quia citatus venire recularet, bellum mouerent, ad idque sibi adessent Regij stipendarij equites. Hoc promulgato bello, protinus, non minus in Catalonia, quam in Aragonia seditiones ortæ fuere, ac tumultuari cœptum, nõ tam Artali causa, quam Petri Principis, qui Fernandum Sanctium fratrem, iam nõ occulto, aut simulato; sed aperto prosequeretur odio, post reditum è Palestina, Siciliaq. & in ita ab eo cum Carolo amicitiam: eoque res progressa iam erat, vt sapius illum occidere tentarit: potissimum cum Burriana vterque ageret. Ibi namque quidam Petri famuli distractis gladijs tota domo discurrere, atque Sanctium querere ausi sunt, illum confossuri haud dubiè, nisi se Sanctius foras cum vxore subduxisset. Porro, referente Asclotio, Petri odium creuit in Sanctium, non solum quod amicitias inierit cum Carolo, sed quod sibi ipse persuaserit, Sanctium ope & instinctu Caroli commoliri sibi necem, vt libere is Regno potiretur. Verum Sanctius cognito Petri furore; neq. quieturum vnquã nisi se, quoquo modo sublato, ad eos Cataloniæ Barones, seu Regulos recurrit, qui gubernante Petro, acerbè ab eo tractati fuissent, eoque magis in eum male affecti, quod Guillerum Odenam virum nobilissimum, atque ex per illustri stirpe ortum, in confluentem, acerbiorè, quàm par erat, pœna, demergi iussisset. Quin ope etiam & auxilio Simonis Vree loceri, vnus ex potentissimis Aragoniæ proceribus, qui olim Alfonso Principis partes sequentes, suis fuere a Rege possessionibus orbati, præsidium sibi contra Petrum impetrauit; qui omnes mutuo sese iurè iurando obstringentes, Sanctij partes secuti fuerunt. Itaq. Sanctius, vt primùm se ab insequentium manibus eripuit, confugit ad Regem, eique denunciauit, quæcunque a Petro tentata fuerant; iplum

ipsum obsecrās, vt se ab iniuria, & imminente interitu liberaret: suppliciaque de licarijs sumeret: quibus demum adiecit, si te viuo patre, frater insurgit in fratrem, quid quæro, te mortuo faciet? quid non erepto à te Regno, quod, fortè machinatur, in vtrumque molietur? Debet igitur præceps, atque execrabilis fratris iracundia in fratrem, te communi patre, reprimi; ni vtroque simul, atque vno die, orbari vis filio. Timendus est enim desperatus magis, quàm fortis animus: facile quippe contemnam meam ipse vitam, modò illi suã eripiam. Quamobrem te supplex oro, vt & qua debes pater clemẽtia, & qua potes Rex iustitia, hæc tam impedetia filijs, & Regno mala de medio tollas. Hæc Rex intelligens, ingemuit, tulitque nimium acerbè tam diram inter filios ortam discordiam; quæ planè procerū inter se dissidium, atque vtriusque Regni in partes diuisionem, portendebat: occurrendumque malo esse, quàm citissimè duxit. Vnde Sagunto profectus in Aragoniam, conuentus in oppido Exea equitum indixit. In magnis enim Reipub. malis, tanquam morbis mendendis, hæc vna erat à conuentibus, consilij capiendi caussa, sumptæ medicina. Petrum ergo Principem, & vniuersos Regni proceres eò conuenire præcepit. In quibus inter alia, edixit comiti Pallariensi, & reliquis Catalonia proceribus, nequis comitem Foxensem, tū contra Regem Galliarum bellum gerentem, re, milite, aut armis iuuaret: idq. non tam odio Comitum, quàm vt motum, & strepitum armorū, eius occasione belli gliscentem, è Catalonia tolleret. Ad hæc Petrum generalem Regni procurationem deponere iussit, consilio multorum procerum, qui Regni tranquillitatem optabāt. Præterea in caussa Artali, & Zuerensium, à præfecto Iustitiæ Aragonum sic est pronunciatum. Vt in compensationem damnorum ab Artalo inflictorum, priuaretur omnibus bonis, eorumque possessio, iure dominatus, Zuerensibus traderetur. Verum antequam conuentus dimitterentur, Artalus, interuentu Petri Cornelij soceri sui, & amicorum, Exeam veniens, Regem orauit supplex, vt sibi ignosceretur, aut saltem sententiæ seueritas benignitate Regia leniretur. Cuius oratione permotus Rex, consilio procerum, atque Baronum vtriusq. Regni, necnon litteratorum hominum iudicio, commutata sententia, Artalum sic condēnauit: vt is. xx. millia solidū monetæ Iaccensis,
pro im

pro impensis solueret; atque ad quinquenium ab omnibus Regnis & dominatione Regia relegaretur: criminis verò confortes, Lupus Diazus Sentia, Simon Alanus, Didacus Gurra, & Petrus Ortizius, ad decennium. Dimissis contentibus, Rex Valentiam venire statuit; ingressusq. iter, venit Turolum, vbi simili, quo antea hospitio à ciuibus magnificè exceptus fuit: tenuitque memoria amplissimum illud, ac commemorandum, sibi ad Murcienſe bellum proficiscenti oblatum munus: proque eo, atque ipsorum satis comperta fidelitate, se perpetuam eis gratiam habiturum, exprelsit. Itaq. perueniens Valentiam, ad certam diem Cōuentus Algeziræ indici iussit, Petrus interim iniquo semper animo in fratrem affecto; ac toties exhortāti, atque precanti Regi, vt illi reconciliaretur, morem gerere recusante. Vnde Rex præsentibus Valentino Episcopo, Iacobo Sarroca Ilerdæ Sacrista, ac etiam Petro Granatensi religiosissimo Franciscano, quin & Thomasio Iunquera Iurisconsultissimo, denuò Petrum exhortatus est, vt quas gerebat cum fratre inimicitias deponeret, ni paternas vellet subire; alioqui, iam se, non vt patrem blandè; sed vt Regem, & iudicem, seuerè in illum animaduersurum. Verum Petrus nihilominus factus iracundior, neque ad ea respondens, è confesso abiit, eaq. nocte clam, tribus solum comitatus equitibus, Valentia exiit, fraternas omnino iniurias vindicaturus. Tunc Rex decreuit modis omnibus Sanctium à quouis damno & iniuria defendere, atq. in Petrum, à quo valde alienato animo ob eam re esse videbatur, animaduerrere. Qua occasione Sanctius, socio Simone Vrra socero, venit Valentiam, vbi maximis Regi gratijs actis, profuscepta sui caussa, & defensione: rursus ipsius consilio Casaraugustam reuersus est. Non enim erat ei tutum Valentia sese Petri libidini committere. At Petrus suã conscius insolentiæ, amplius paternæ erga se indulgentia nõ esse abutendū ratus, caussam suã apud Regem, vtcūq. cohonestare decreuit. Quare Ruiziū Simonē Lunam, & Thomā Iunqueram, cum mandatis ad illum misit, atq. præsentibus Bernardo Guillermo Entensa, Ferruzio Lizana, & Petro Martino Luna, Thomas, vt erat instructus, Petri mandatum sic exposuit; Nunquam fuisse Petri animum, Regi, quæ de Fernando Sanctio turpia & acerba sibi nota erant, proderet; sed habuisse illa diutius
Z suppress

suppressa, quod talia essent, vt sine maxima fratrum ignominia, impunita remanere non possent. Verum quoniā ea patefieri sibi tā anxie peteret; certò sciret, Sanctium in hæc verba prorupisse. Regē omnino indignum Regno esse: quin & illum procurasse veneno Petrū de medio tollere, vt ipse Regno potiretur: esseq. plerosq. Aragonie proceres huius consilij, atq. proditionis confortes: seq. ea omnia nō fictā, sed tanquā verissimā, suo loco, & tempore, probaturum. Quibus auditis, Rex nonnullam ijs fidem habens, quod ea consonare quodammodo viderentur, cū ijs, quæ paulò ante ab Alfonso Castellæ sibi fuere enunciata; vnde grauiter comotus fuit, propterea quòd seu vera, seu fallā, infamix non parā suis inferrent. Quare cū eisdem proceribus in partē Aulæ secedens, dixit, non sua, sed illorū intērese, eiusmodi criminationibus satisfacere: cū per eas ipsi nonnulla etiam perfidię maculā notarentur. Ad quæ Simon Vrra, nequaquā satisfactioni locū esse respōdit: cū is, qui talia proferret, sacerdos infimi ordinis esset, deq. suo ea omnia confingeret: aut si reuera de mente Petri referret, eò, se minus obligatos esse ad reuincendum illū, cui, vt successuro in Regna, fidē suam obstrinxerant, neq. licebat ipsum redarguere. Tū Rex legatis respondit, se breui facturum, vt Sanctius obiectis criminibus satisfaceret; alioqui puniturum illum. At verò Petrus Algezira, eo se animo continebat, vt, Sanctio bellū illaturus, secretò copias cōpararet. Quapropter Rex eò ire statuens, Antistites, & proceres conuocari iussit: vt eis præsentibus Petrū ab impotenti proteruitate deduceret: cumq. flumini proximus per palustria ibi loca venatūm iret, Petrus nō longè ab eo cū triginta equitibus vadā Segarrensi præteruectus, Corberā oppidum ingressus fuit. Itaq. conuentibus inchoatis ad quos venerat Iacobus Regis filius ex Vidauria, Bernardus Oliuellanus Archiepiscopus Tarracōnensis, tū & Barcinōnensis, Ilerdensis, & Valētinus Antistites, cū alijs proceribus Regnorū, atq. legatis Cēsaraugustæ, Turōlij, Calati iubijs, & Ilerdæ ciuitatū: proposuit Rex insolentē Petri Principis pertinaciā, maleq. affectū animum in Sanctiū fratrem, quē bello persequi statuerat: quodq. se inuito, copias cogeret, oppidaq. & arces, quæ ab ipso acceperat, milite & armis munire nō desisteret; ac neq. vellet iure cōtēdere; neq. fraternas cōtrouersias patris iudicio, sed bello mal-

let di-

let dirimere. Quæ cū audissent Antistites, & pleriq. ex proceribus; Corberam petierunt, vt Petrū à comouendo bello, contra patrē magis, quàm contra fratrem, deterrerent. Repugnante Petro, ac neq. quicquam in ea re illis proficientibus (tā alte in se derat in animo odij virus in fratrem) Rex ira motus, Algezira exiēs, Setabim abiit, deq. persequendo Petro cogitauit. Id sentiens Antistes Valētinus, vidensq.; irato Rege, conduplicari Petro hostem, maleq. cessura ei omnia, nō respisceret; Petrū iā nō blandē, sed acerbē monere cœpit; de sineret utiq. patri repugnare, qui tā propēso in eū animo fuerit, vt reliquos filios præ ipso contēpserit: quo magis caueret, ne in summi cœlestis patris irā incurreret, qui filios parētibus minus obsequētes acerrimē punire sit solitus. Proinde se totū patri, nulla cōditione, traderet, nihil nō ab eo cū veniā, tum gratiæ & amoris impetraturus. Ijs Antistitis dictis permotus Petrus, se toto animo patri dedere decreuit; qui iā ante Christi natalē Setabim profectus erat, adducto secū Hospitalis ordinis promagistro, quē in vinculis iusta de causa retinebat. Ingressus ergo regiā, illic se ad regis pedes prouoluit, ac dextrū pedē osculatus, supplicis animi verba protulit; nec à lachrymis tēperauit: fuitq. à Rege benignē acceptus; atus enim amor in eū erat, vt nulla neq. exhausti iniuria, neq. debilitari repugnātia potuerit. Quæ reconciliatio Petri, non minus suspecta omnibus, quā Sanctio postea pernitiola fuit: propterea quòd Rex ab eo tēpore, quasi afflatus veneno Petri, pedibus omnino in eius sententiā contra Sanctiū abiit: præsertim cū animo reuolueret quæcūq. Sanctius Cēsaraugustæ vnā cū proceribus fuerat machinatus; quo tēpore fuit propositū Bo-uaticū ad sumptus Murciēsis belli: quantisq. modis regiā Maiestatem contēpserit, eamq. insolētibus, ac odiosis verbis deluserit; seq. totius factionis, siue inite cōspirationis procerū, caput constituerit; ac non Aragonenses modò, sed Catalanos Regulos ad conspirandū concitauerit, quodq. in eo tandē, non filium, sed perduellem habuerit; quæ quidem nullo modo impunita dimittere decreuit. Per id tēpus Theobaldo Rege Nauarræ sine liberis decedente, Enricus eius frater in Regnum successit, qui pactis & conditionibus olim à Margarita, & Theobaldo Rege cum Iacobo initis, stare nolens, ius ad Regnum Iacobo auxit: sed illud tunc armis repetere intermisit

Z 2 Rex,

Rex, filiorum dissensionibus impeditus. Quo etiam tempore, Narbone mortua est, atque ibidem sepulta Berengaria Alfonsi Comitis Molinæ filia, cum qua aliquot annis, matrimonij fide data nunquam tamen præstita, contubernij necessitudo Regi cœlibi fuit, tam libere id quidē, ut ipsemet Rex (quod de se testatur) se penumero, nullius sibi conscius peccati, præterquā Berengariæ, esse diceret: neque aliud sibi, cum hostibus prælium commissuro, confitenti peccatum occurreret; quāquā sub spe cōiugij, nō condēnandum putaret. Sed decedente illa, cū ingrauesceret ætas, non amplius visus Rex fuit simile quidquā cōmississe. Constat etiā nullos ex illa filios suscepisse, tæcti Regē ipsa hæredem constituerit oppidorū Felgosij & Caldela, quæ in Regno Galletiæ sita possidebat. Eodē vertente anno, nonnullis Castellæ proceribus indignitate Alfonsi cōmotis, ad Regē Granatæ deficiētib; aūditōq; rumore de Auēiusepho Maurusiorū Rege, quōd is in Beticam prouinciā breui, ac cū innumerabilibus copijs esset traiecturus, Alfonsus, & Iacobus Requenā conuenerunt, quod nūc celebre oppidum in finibus Valentini Regni positū est: ibi q; auxiliā sibi mutua aduersus trāsmarinos aduētantes hostes polliciti fuerē: adiecitq; Iacobus, se in præliū cū illis descensurū, neque defaturū vnquā Alfonso, & suis. Vnde missis præsidijs ad fines Valentini, & Murciensis Regni, Iacobus cum nonnullis proceribus in Cataloniā reuertens, Mōpelleriū petijt. Vbi pacto inito cū Philippo Francorū Rege, qui Foxesem Comitē tenebat in vinculis, liberatus cōmes fuit, & in gratiā Philippi restitutus: ad idq; Iacobus nonnulla oppidula, pro Foxesē, Philippo concessit. Porro per Mōpelleriensem, & Catalanā ditionē, bellū aduersus Granatensem, & Maurusiorū Reges in subsidiū Alfonsi promulgauit; proceresq; omnes, quorū ditiones & loca, beneficiario iure, à Regibus ipsorū maiores acceperant, ea lege, ut belli tempore Regi præstō essent, accersi iussit, atque indici, se duce, fore id bellum prosequendū, ne se quispiam excusasset. Ex quo Gerūda Vgoni Sentapauio Iustitiæ præfecto, viro pernobilis, belli que experto mandauit, ut conscriptas copias quamprimū Valentiam deduci curaret. Inde verò Ilērdam perueniens, inuentum Vicecomitem Cardonensem rogauit, ut se, ac exercitum sequeretur. Cumque Cardonensis se excusaret, ut qui sibi manere, perinde ac se-

qui, li-

qui, liberum esse arbitraretur; teneri cum ad sequendum se, Rex ostendit tam iure, quā stipendio militari. Sed reuente Cardonensi, cum alijs sex Baronibus Cathalonæ, simili iure, atque stipendijs Regi addictis, dissimulare tamen hæc in præsentī decreuit; ne a proposito itinere impediretur; quandoquidem intellexerat Granatenses, aduentantis spe auxiliij Maurusiorū, ardentius persequi bellum cœpisse contra Alfonsum; ideoque magnam illorum partem exercitus oppugnandis Murciensibus destinarat. Quare Bernardum Oliueliam Archiepiscopum Tarraconensem vniuersæ procuratori Aragoniæ, & Catolonæ præfecit; tametsi prouocationum cognitionem, Regio iudicio reseruatam commisit, ac delegauit: indeque Valentiam se contulit; vbi collectis Aragonensis exercitus reliquijs, cū vniuersis copijs Setabim, inde Biarum peruenit: quō Iacobus & Petrus ex Vidauria filij, cum alijs quoque fratribus, ac multis Aragoniæ proceribus, conuenerant ad Regni præsidium. Cū igitur ad eos Rex venisset, vehementer lætatus est, ipsisque collaudatis, cum omni exercitu Murciam se contulit; vbi ab vniuerso Christiano simul & sarraceno populo, lætissimè exceptus fuit: eique tanquam vero Regni expugnatori, patriæque liberatori, ac domino, Regius omnino honos delatus. Verum neque Granatensibus, neque Maurusijs bellum in eam partem mouentibus, diebus non amplius quattuordecim, ibi substitit; quos tamen partim lustrandæ vrbi, arcique reuifendæ, ac muniendæ; partim aucupio, & venationi impendit; confirmatisque vrbanoꝝ animis, atque præsidijs in finibus dispositis, Valentiam, dimisso exercitu, remigrauit. Sed iam Rege Algeziram ingresso, venit eo Petrus Alcalanamus, vir sanè venerandus, atque Dominicani instituti religiosissimus: quem Gregorius X. Pont. cum litteris & mādatis ad Regē legauerat: eius legationis summa hæc erat; Hortari Pōt. Max. ac præcari Regem, ut Lugdunum contenderet, vbi totius orbis Concilium cogi edixisset; atque maiora, quā vnquā Christianæ Reipub. negotia agenda essent: nempe de Hierosolymitana recuperanda terra; & de Græcorū Ecclesia ad gremium, & sensum Romanæ traducenda. de quibus multis ante annis, quamuis frustra actum fuisset, in præsentī tamen esse summam spem: propterea quōd Palæologus Imperator Græcorum, ac

Z 3 etiam

etiam magnus Cham Tartarorum, frequentibus legationibus ad se, illa cupidissime expeterent: instarentque, ne tanta diuinitus oblata rei occasio prætermitteretur: altero, se, cum vniuersa Græcorum Ecclesia, in gremium Romanæ rediturum; & errores depositurum: altero, milite, & armis, classe, commeatuque, quandu esset expeditio, Christianum exercitum iuuaturum, promittentibus. Quo audito Rex, egregia, qua semper fuit in Apostolicam sedem pietate, & amore, grato, liberalique animo iter eò se facturum promisit: ac protinus Valentiam introijt: vbi confirmato præfecto, & alijs Regijs magistratibus, acceptaque mutuò pecunia ad iter tam honorificum pro dignitate faciendum, Tarraconem profectus est. Eò conuenire iussit Raimundum Folchitum Vicecomitem, Petrum Bergam, Galcerandum Pinofium, Guillerimum, & Maimonum Catalaunos, Berengarium Cardonam, & Guillerimum Ragiadelum, proceres; qui paulò ante, in expeditionem sacram proficiscentem, se qui reculauerant; vt eorum contumaciam, & insolentiam puniret; quibus militaria beneficia ademit, eosque honoribus priuauit: denique arces, quæ illis iure fidelitatis commisse fuerant, restitui sibi imperauit. Ea quippe conditione ac lege, Aragonensi more, arces committi consueuerant, vt hæc Regibus iratis, aut pacatis, cum iuvellent, prohibito traderentur. Cum autem Cardonensis primus aliquot arces traderet, aliquot retineret, tanquam communes, alijque similiter facerent, ad arma cum reliquis Catalanis proceribus ventum fuit. Quanquam interim eo bello Rex super sedendum censuit, ne cepto itinere Pontifici promisso prohiberetur.



B E R.

**BERNARDINI GOME
SII MIEDIS, ARCHIDIAconi**

SAGVNTINI, DE VITA ET REBUS

gestis IACOBI primi Regis Aragonum, cognomento expugnatoris.

LIBER. XIX.



Iteris à Pontifice denuò rogatus Rex, multisque fortius ferè Hispaniæ Antistitibus, qui ad concilium vocabantur, sese illi adiungentibus, profectionem suam Lugdunum maturandam duxit. Itaque Barcinone, nonnullis vtriusque Regni proceribus comitantibus, Perpinianum præteruectus, Mompelieriū venit: ibique octo commoratus dies, quoad nonnulla imperata pecunia, Regio sese apparatu ad iter muniret; ingressus illud, Vienam oppidum peruenit valde insignè, quod alluit Rhodanus magnus Europæ amnis, atque Lugduno vnus diei distat itinere. Adfuereq. illi protinus Legati à Pontifice missi, rogantes, vt in oppidulo sancti Saphorini, quod est in via, ac non amplius quàm passuum vndecim millia Lugduno abest, se cõtineret: propterea quòd non solum ab amplissimo Cardinalium collegio, & vniuerso cœtu Antistitum; sed etiam à senatu populoque Lugdunensi, mandato Philippi Regis eius generi, Regiè, magnificentissimeque esset excipiendus. Est enim Lugdunum vrbs, totius Galliæ potentissima, florentissima, atque ipso naturali situ loci munitissima, hinc montè cum propugnaculo ad occasum, illinc Rhodano ad ortum, aquarum multitudine protecta; circunquaquè verò, non inexpugnabili modò muro cincta, sed Arari quoq. fluuio, qui à Septentrionibus per mediam fluit, omni commeatu referta. Is enim in vnum ibi cõfluens cum Rhodano, eiusque impetu cohibitus, adeò lentus, ac fignis decurrit, vt equè facilis aduerso illo, atque secundo fiat nauigatio. Quo fit, vt non minus per eū à supera vrbs parte, quàm per Rhodanum ab infera, & mari, commodissima sit in vrbe, cõmeatus,

Z 4 tus,

tus, atque mercimoniorum omnium, tum inuectio, tum rursus exportatio. Sed eius demum ager cultissimus, ac fructuosissimus, iunctis opibus, cum tam frequenti commercio & expeditione rerum, satis ostendunt, urbem tunc fuisse, qualis, quantaque nunc est, omnium Europae abundantissimam, atque opulentissimam. Vtpote cum & Pontificem, Cardinalesque, cum vniuersa Romana curia, & tot vndecumque concurrentes Antistites, eorumque innumerabilem familiam: & ipsum denique Regem, totque Principes, proceresque Gallicae, cum incredibili ac promiscua multitudine, biennio, & eo plus sustentauerit, praeter alias varias quoque gentes, & nationes, quae non concilij modo, sed ipsius Regis motus fama, atque visendi gratia, ab vniuersa Gallia, Italia, & Anglia, conuenerunt. In hac urbem à Cardinalibus, Antistibus, & populo, quanto maximo potuit cum honore, pompa, & ceremonijs exceptus Rex fuit: cunctis eius praestantia, atque conspiciendam corporis habitudinem, tum barbam promissam, cum veneranda canitie; adeoque plenum maiestate aspectum admirantibus, minimeque eius personam, quanta erat fama, & nomine, indignam reputantibus. Is ad palatium Pontificium deductus, tamen ei Pontifex assurrexit; nihilominus ad huius pedes se Rex prouoluens, dextrum deosculatus fuit: atque postera die, quod Sessio esset, in Concilium admissus. Quo summo in spectaculo, tria Regem in maximam admirationem, ut ferunt, traduxere. Primum, nunquam ipsi antea conspecta Pontificia maiestas; alterum, Cardinalium purpuratorum, quasi multorum simul Regum confessus; tertium, Antistitum maior quam usquam vidisset, aut credidisset congregatio. Nam, sicuti in suis ipse refert Commentarijs, Cardinalium, Patriarcharum, Antistitum, atque Abbatum numerus, quingentorum & eo maior fuit: ac quoniam vix aliud toto Christiano orbe concilium celebrius ac frequentius eo inuenitur coactum, consentaneum erit congregationis causas, maxime verò, quae ad reductionem Graecorum, & consensionem eorundem Ecclesiae cum Latina (id enim fuit totum eius Concilij opus) declarandas pertinent, hic breuiter enarrare. Cum Michael Paleologus strenuus Dux Laescaram gentem, ad quam Graecorum Imperium iure peruenire poterat, profligasset; ac Balduinum Constantinopolitanum Imperatorem

ratorem, auito Regno, & Philippum eius filium exturbasset; ut tamen Gregorij Pont. Fracorum Regis; quin etiam Caroli Siciliae Regis, qui Philippi Imperatoris generis sui causam contra Paleologum tuendam susceperat, classes, & ingentes apparatus à Bosphori faucibus, & Bizantinae ciuitatis ceruicibus, terra, marique auerteret; mira est usus arte, Graecaque, quod aiunt, permixta fide, cum religionis praetextu, cunctos sic ausus est ludificare. Siquidem nonnullos Imperij Principes, atque Graecae Ecclesiae primates; sumptuosissima cum legatione Romam ad Clementem Papam III. misit, qui nomine suo illi renunciarent, Graecorum Ecclesiam, quae à sacris Catholicae Ecclesiae, & sanctorum institutis defecerat; & à maiorum pietate degenerauerat, se, sacrosanctae Romanae Ecclesiae adiuncturum, & eius canonicis sanctionibus obtemperaturum; atque in eam rem, non modò se, suamque, sed Constantinopolitani Antistitis, ac totius Imperij procerum fidem interpositurum. Quae promissio summopere Christianam Rempub. erexit. Graecorum videlicet Ecclesiam tam diu à capite seiunctam; Romanam tandem adiungi. Quam obrem idem Clemens Pont. notam esse volens scriptis professionem fidei, qualis ab Imperatore, clero, & populo Graecorum exigebatur, in eo summam iudicij, causamque totam constituit, ut innotet, concertationumque plenae de religione disputationes tollerentur; sed nuda tantum, atque expressa ei traderetur fidei professio. Nec praetermittenda est, quae vna cum professionis formula, excepta diplomate illo aureo, missa est à Pont. ad Paleologum his verbis: praemonitio. Porro praescriptam purissimam, certissimam, solidissimamque orthodoxae fidei veritatem Evangelicae doctrinae consonam, a sanctis patribus traditam, & Roma Pontificum in suis Synodis definitione firmatam: sicut nec decet; sic nec volumus, nouae discussioni, ac definitioni subijcere, ipsam quasi per hoc quomodo libet contra fas, & licitum in dubium reuocando. Ideoque licet in praefata scriptura de conuocatione Concilij ageretur; licet per tuas litteras concilium in terra tua conuocari petieris, nos tamen nullo modo proponimus Concilium ad discussionem, seu definitionem huiusmodi reuocare. Non quod cuiusquam faciem vereamur: vel eandem sacrosanctam Romanam Ecclesiam Graecorum superari

» potentia timeamus: sed quia prorsus indecēs foret, immò nec licet,
 » nec expedit, in dubium reuocare premissam verā fidei puritatem,
 » tot sacrę paginæ auctoritatibus, tot sanctorum sententijs roboratam,
 » tot Romæ Pont. stabili definitione firmatam, pro cuius defensione
 » si necesse foret, parati essemus, subire martyrium, & morti etiam
 » exponere corpus nostrum. Quam ideo ad præsens nequaquam au-
 » toritatibus, quarum satis copia nobis pro voto suppeteret, iuuare
 » curauimus: sed in simplicitate veridica, sic purè, sic explicatè, tam
 » prædictis tuis, quàm tibi decreuimus destinandam. Dum igitur cle-
 » mens præmonitionem vnà cum formula professionis fidei, quam
 » mox subiiciemus, ad Imperatorem mittit, vita functus est; atque à
 » prosequendo negotio cessatum. Verùm Palæologus, cōtinuato do-
 » lo cum ipso religionis prætextu, vt Imperiū sibi stabiliret, Ludouic-
 » cum Fræcorum Regem, cuius insignis erat, per id tempus, cum pie-
 » tate, & religione sanctitas, per legatos obtestatus est, vt ipse, in tam
 » pio, & utili negotio, vtramque, Græcam scilicet, & Latinam Eccle-
 » siam iuuaret; & cœptam à Clemente Pont. Græcorum reductionē
 » perficiendam curaret. Quare Ludouicus Palæologi, non tam mē-
 » tem, quàm orationem percipiens, Cardinales, qui per interregnum
 » Viterbij agebant, rogauit, effecitque, vt ipsi Clemētis cœptum pro-
 » sequerentur. Itaque protinus viros doctissimos, & religiosissimos
 » Constantinopolim legarunt, per quos fidei professio solennis eele-
 » brari posset, ex formula à Clemente tradita. Interea verò Grego-
 » rius X. Pont. renunciatus, eiusmodi Lugdunense Concilium indi-
 » xit; animaduersaque Paleologi, vt apparebat, constantia & pietate,
 » inducias inter Balduinum, Regemque Siciliæ Carolum, & Palæolo-
 » gum, fieri quàm maximè studuit: cū interim Palæologus classē, ac
 » militares etiam copias, vt concupierat, à se pelleret. Itaque Legati
 » quattuor summæ autoritatis viri ab eo Lugdunum venerunt; quo-
 » rum vnus, tum Imperatoris, tum eius filij Andronici successoris; tū
 » etiam sex & viginti Ecclesiarum Metropolitanarum Patriarchatui
 » Cōstantinopolitano, subiectarū, cū earum permultis suffraganeis,
 » ac totius demū Græci Ecclesiastici ordinis nomine, publicè in me-
 » dio concilio, Schisma ex tradita sibi formula, his verbis abiurauit.
 » Ego Gregorius Acropolita, & magnus Logotheta, nuncius Do-
 » mini

mini nostri Imperatoris Græcorum, Michaelis Angeli, Ducas Cō-
 » nini Palæologi, habens ab eodem sufficiens ad infrascripta manda-
 » tum, omne schisma prorsus abiuro, & subscriptam fidei veritatem,
 » prout plenè lecta est, & fideliter exposita, nomine dicti domini no-
 » stri, veram, sanctam, catholicam, & orthodoxam fidem esse cogno-
 » sco; eam accepto, & corde, & ore profiteor, ipsamque, prout eam ve-
 » raciter tenet, fideliter docet, & prædicat sacrosancta Romana Eccle-
 » sia, ipsum inuiolabiliter obseruaturum; nec ab vllò vnquam tempo-
 » re recessurum, quoquomodo deuiaturum, vel discrepaturum, pro-
 » mitto. Primatum quoque ipsius sacrosanctę Romanę Ecclesię, pro-
 » ut in præmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesię obedientiam, no-
 » mine ipsius, & meo spontaneus veniens, pro ipso, & pro me fateor,
 » recognosco, accepto, & sponte suscipio: & ipsum omnia præmissa,
 » tam circa fidei veritatem, quàm circa eiusdem Ecclesię Roma. pri-
 » matum, & ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem,
 » obseruantiam, & perseuerantiam seruaturum, præstito in animam
 » ipsius, & meam corporaliter iuramento, promitto, & confirmo: sic
 » ipsum, & me Deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia. Cū autē
 » Gregorio vita functo, Innocentius V. postularet, vt idem ipse Pa-
 » læologus Imperator cum Andronico filio, per se, atque ore proprio
 » abiurarent; in idque tres alij consequentes Pont. maximè incumbere-
 » rent, Palæologus in eadem sententia permansit, seu bellè simulauit,
 » quippe qui, non in concilio præsens, vt nonnulli autumant scripto-
 » res, cui nunquam interfuit; sed Constantinopoli, publicè, præsentibus
 » Pontificijs Legatis, & Antistitibus Græcis, iisdem, quibus Lega-
 » ti sui, verbis antea in Concilio, abiurauit. Promisitq. præterea, se, &
 » milite, & armis, cum classe, omniq. comœatu, adiuturum expe-
 » ditionem contra Turcas, ad recuperandam terram sanctam, & glo-
 » riosum Christi sepulchrum. Abiurantibus deinde cæteris Antistiti-
 » bus, atque vniuerso Ecclesiastico ordine, solus Patriarcha Constan-
 » tinopolitanus abiurare renuit; tametsi abiurasse postea, feratur. Ve-
 » rùm Palæologus abiurato schismate, multa in Concilio proponi fe-
 » cit, quæ nisi præstarentur sibi, iam tum se, contra facturum, quàm
 » professus, pollicitusque fuerat, significauit. Nam in primis, quæ sua
 » essent quærens, petijt, vt pax ab omnibus Latinis Principibus sibi
 » promit-

promitteretur: atq. Philippi Imperatoris, Balduini filij, & Caroli Siciliæ Regis eius affinis, vim arceret; quod ij præpotentes ipsius imperio nimis imminere viderentur; alioquin iura omnia, vt fecit, se violaturū dixit. Vnde nefariæ eius mētis, atq. simulate religionis causa prodita; neq. aliō, quā vt Imperium sibi stabiliret, atque in tyrannide permaneret, relata: accedente etiam Iosephi Patriarchæ Constantinopolitani proteruitate; quin & summo quoque Andronici scelere ac impietate adiūcta, natio Græca ad suū tandem ingenium versa, sacra omnia religionis fœdera in Cōcilio facta, violare cœpit. Ex quo erroribus inueteratæ prauitatis denuò inuolata, totq. subinde imparissimis carnis, atque concupiscentiæ vitijs immerfa, diuina manū vindice factum est, vt grauissimas impietatis suæ pœnas expenderit. Vtpotè quæ & Palæologorum nō multò post excisa stirpe, & Græcorum simul amisso Imperio, Mahometanis omnium hominum impurissimis, Christianiq. nominis sempiternis hostibus, turpiter in seruitutem, atque vtinam non perpetuam, data fuerit. Cæterum per id tempus, nonnulli ex Principibus Tartarorum viris Lugdunum venere, qui coram Pontifice & patribus, in Concilio fidem orthodoxam, suo, & nationis nomine professi fuerunt; atq. magno etiam gaudio & alacritate omniū, sacro baptismatis fonte abluti. Cū igitur eò venisset Rex, antequā mala mens & animus Palæologi reiectus fuisset; de quæ expeditione contra Turcas ageretur se ad eā promptū, expeditumq. vt primū omnia essent parata obtulit; & ad ineundā illam, consiliū, quod Pontifici, alijsq. optimū, ac consentaneum visum est, dedit: adiecitq. se, vel senē, non de futurum summo Pontifici, si eò, vt dicebatur, is pergeret: atq. vnā cum exercitu, ipsum sequeretur; sin minus, mille lectissimos in expeditionem equites cum classe missurum. Ad hæc cōfiteri peccata sua Pontifici deliberauit, vt à summo sacerdote eorum expiationem, & veniam obtineret: quæ vbi genibus flexis confessus fuit, tum Pontifex vice animaduersionis, seu satisfactionis, vt dicunt, duo ipsi maxime seruanda, vt historia refert, documēta iniunxit; vnum, vt a malo recederet; alterum, vt amplecteretur bonū, in eoq. & constans, & perseuerans esset. Demum de suo reditu in Cataloniā agens, à Pontifice petijt, vt quoniam non minus ipse, quā maiores sui Reges, de

ges, de Apostolica, & Romana Sede benemeritus esset; daretur Regiæ coronæ insignibus, se ab eius sacratis manibus decorari. Quod Pontifex libenter se facturum respondit, modò prius Aragoniæ Regna, simili de causa, eidem Sedi obrata redimeret; nempe si tributa à Petro Rege eius parente olim imposita, dum Romæ coronatus fuit, denuò sanciretur; & quæ persolui in singulos annos desierant, ante omnia penderentur, indignum esse, inquiens, hærica tanti Regis magnitudine, & conscientia, Sedem Apostolicam, quæ tūto eius patrē honore, atq. insignibus decorauit, iure suo, ac debito, permittente filio, fraudari. At Rex cū potius gratiosam mercedē à Pontifice expectaret, pro tot sarracenorum Regnis cū debellatis, tum Christianæ fidei, atque Apostolicæ Sedis obedientiæ traditis; quā vt à maioribus suis partam Regnis immunitatem immitti permitteret; ab incepto desistit. Ac tandem pro libertate Erici, Regis Castellæ fratris, quem Carolus Siciliæ Princeps in vinculis tenebat, Pontificem, cuius causa tenebatur, rogauit: cui Pontifex se id curaturū promisit. Iamque elapsis viginti tribus diebus, ex quo Rex Lugdunum ingressus fuerat, infecta prope re omni, Mompellerium reuersus fuit; indeque Perpiniā venit; vbi denuò Cardonensi Vicecomiti edici iussit, vt præcipuam Cardonæ arcem sibi traderet, erepturo alioqui armata manu. Id, vt primū Cataloniæ proceres, & Barones intellexere, congregati Solsonæ in oppido, non minus suas, quā Cardonensis partes agentes, Regis edicto responderunt; non Cardonensis tantummodo, sed omnium Cataloniæ procerum interesse, illius arcem, perinde ac proprias cuiusque defendere. Proinde ipsum rogare omnes, vt ab ea vi desisteret; neque summa ipsorum, adeoque probata fide, abuteretur. Tum Rex Barcinonem veniens, bellum Cardonensi, & eius partes sequentibus iudici curauit, eo prætextu, quòd Cardonensis apud se reciperet, suisque in oppidis defenderet quendam Bertrandum Caneliā, qui immane facinus, & quasi maiestatis, commiserat; vt qui Rodericum Castellæ iolum, præfectum Iustitiæ Aragonum, nulla eius Regiæ quasi dignitatis ratione habita, contrucidarit: atque, quò magis Rex bello instaret, in oppidum Terraciam migravit: eò confluentes illic Berengarius Almenara Promagister Hospitalis, & Maumo-

Maumolius Castelauius, Regem rogarunt; vt diem Cardonensi, & alijs ad comparēdum prorogaret. quod Rex in eorum gratiam, libenter concessit. Verū elapso die, non comparentibus illis, sed diē ex die differentibus, quoad vnā cum Ferdinando Sanctio cōspirarent, apertē iam tum Petrus Princeps aduersus eos, & Sanctium fratrem bellum suscepit. Tametsi interim, noua ex occasione, necesse fuit eo bello superfedere, nūcio allato de obitu Enrici Regis Nauarræ, qui iam iam moriturus, Ioannam vnicam filiulam vel bimam, quam ex Roberti Atrebatensis Comitis Ludouici Francorum Regis fratris, filia susceperat, à Nauarris iurisiurandi religione obstrictis, Regni hæredem constituerat. Itaque illo mortuo, cum inter Nauarros summa partium contentio in Repub. versaretur, alijs Ioannam Regni hæredem, Regi Castellæ tradendam, alijs in Gallia deducendam, pluribus Regem Aragonum ad Regnum asciscendū esse contendentibus. cum igitur tumultuarentur omnes, Regina, ne quid detrimenti Ioanna filia caperet, in Aquitaniam ad Regem Galliarum, vnā cum illa contendit. Vnde Nauarris in Reginarum ponte (id oppidi nomen est) Conuentus ineuntibus, de pacatis Regni tumultibus acturis Petrus Regis filius Turiasonem cum parte exercitus venit: indeque legatos ad conuentus misit, qui renunciarent, Iacobum Regem, id ius, quo Sanctius illorum Rex olim ipsum filium adoptauerat, ac Regnum promiserat, nunc venire repetitum, accedentibus alijs quoque pactis cum Margarita Regina vxore Tibaldi Regis, Sanctij sororis filij relicta vidua, atq. Enrici nuper defuncti matre factis: & ea de caussa potissimum, quod Castellanis sæpè Nauarram inuadentibus, ac Reginam, eiusque filium Theobaldum è Regno expellere intentibus, continuò Iacobus cum exercitu occurrerit, ipsosque vnā cum Regno strenuè conseruauerit, atq. omni posthabita ratione Alfonsi Castellæ Regis, generi sui: pro defensione Nauarræ, illum semper vi & armis hostiliter repulerit; qui que demum pro eis sexaginta millia marcharum argenti impenderit. Nec verò ipsum aliud petere, quam vt Ioanna Enrici filia Alfonso filio Iacobi nepoti nubat. Quibus auditis, Conuentus cum Petro consenserunt, responderuntque, se duros operam, vt Alfonso Ioannam vxorem ducat: quod si ad eam conditionem adduci illa non

possit

possit; cum sit voluntati matris, & potestati Francorum Regis, apud quem versabatur, subiecta; curaturos, vt vnā ex alijs puellis Enrici Regis ex sorore filijs eidem nubat. Quin & pro defensione Pompeionensis Regni cc. millia marcharum argenti, se ei soluturos spoponderunt; atque ex Nauarris proceribus, & primarijs Regni, viri plus triginta, præter alios ciuitatum, atque oppidorum Regni legatos, se illicò ad ea omnia præstanda, Petro sponcione deuinxerunt. Quæ tamen pacta, inania, atque irrita fuere: quando quidem, industria interim, & arte Philippi Francorum Regis, apud quem sese Regina, & Ioanna filia receperant, factū est, vt præcipuis Nauarræ arcibus Philippo à Regina traditis, in easque presidijs missis, Ioanna quoque præmaturis nuptijs illius Principi filio traderetur; sicque paulatim toto Regno potiretur. Vnde Petrus hæc in præsentia premens, atque gratissimam se habere Nauarrorum voluntatem ostēdens, abiit in Cataloniam, vt Sanctio fratri, & Cardonensi, alijsque proceribus Catalanis, simul in se, & Regem conspirantibus, occurreret. Sanctius enim in Aragonia coniarationem nobilitatis fecerat; eratque plebi prætereà maxime acceptus; cuique se addixerant omnes olim Alfonsi fratris sectatores, qui de Petro male sentiebant: ac sese illi etiā adiunxerant Cardonensis, alijsque Catalani & Aragonenses proceres, quos noua Petri dominatio, ac Regis quoque nimia illius locupletandi, & ad augendi cupiditas, male habebant. Velle quippe videbatur Rex, vt dicebant; omnes procerum ditiones, & oppida Regno adiungere, ideoque turbari valde omnia cœperant. Quamobrem Petrus aduersus fratrem apertò iam Marte pugnaturus, militares copias coegit, atque ad oppugnanda quedam eius oppida contendit. Quæ quidem Petro Cornelio Aragonensium procerum, vt diximus, potētissimo, qui Sanctij partes accuratè tuebatur, adiutore; se ad defensionē pararūt. Tum Cardonensis, & Vgo Emporitanus Comites, ac penè omnes Cataloniarum proceres, à Regio se subtrahere imperio, ausique sunt Regem, more patris, ad certamen prouocare. Sed eos Rex, equis, ac honestis conditionibus, ad se perducere studebat, ne ad grauiora contra eos supplicia progredi, necesse haberet; haud ignarus, quanta ex eiusmodi dissensionibus incommoda, & rerum perturbationes oriri consueuerint: nihilominus tamen in

men in proposito, susceptoque illi consilio permanserunt. Ac quoniam Catalanorum longe maior in Petrum, quam in Regem odiū & ira erant; Comes Emporitani Castellonem oppidum Emporijs proximum, quod habebat, muro, milite, & armis munitissimum, adiit, ibique iunctis cohortibus, cum ijs, quas secum attulerat, Figueras oppidum, quod Petrus magno studio colebat, atque eius amplificandi causa, colonos multos conduxerat, oppugnauit, diripuitque, eiusque solo æquata arce, atque vastato agro, eadem oppidum igni succendi iussit, tanta celeritate, ut Regi cum copijs aduentati Gerūdā, iam non fuerit locus ad illud defendendum, neque ad interceptum Emporitani; quod is protinus sese Castellonē recepisset. Porro dū Rex agit Gerūdā, similiter Petrus Berga, aliorū more procerū, illum per litteras ad certamē prouocauit; idem & reliqui fere proceres fecerunt. Nam aut prouocarunt, aut minime se se adiunxerunt, eratque in maxima rerum perturbatione, & armis vniuersa Catalonia, idemque malum per Aragoniam longius serpebat. Qua de causa Rex Barcinonem reuersus est, ubi Antistes, & magnus magister Vclensis, qui tum ibi erant, tantis Regni miserijs, atque calamitatibus commoti, summa ope nixi sunt pacare proceres, & ad rationi consentaneam Regis voluntatem reducere, procurantes denuo, ut quotquot essent controuersæ & dissensiones, sententia ac iudicio Antistitum, & aliquorum Baronum deciderentur. Id Regi placuit; commisitque præfecto Montalbanensi, atque Vgoni Mataplano, Archidiacono Vrgelitano, ut suo nomine induciæ decem dierū fierēt cum Cardonensi, & Berga, eorumque sectatoribus; ut compositioni esset locus. Hæc postquam acta fuere Barcinone, litteræ ex Aragonia ad Regem allatæ significarunt, Aragonias res, perinde ut Catalanas, in maxima esse perturbatione. Nam Sanctius coactis copijs, Petrum fratrem, non minus lædere, quam sese ab eo defendere nitebatur, ad ipsumque cum milite & armis, confluebant plerique proceres, qui se à Rege nimium premi querebantur, tanquam cœdifrago, & legum perturbatore. Ea nota intiri se Rex, duce, atque auctore filio, tulit quam acerbissimè, fuitque ab eo die omnis ex eius animo paternus amor exhaustus, atque iniustum & debitum odiū conuersus. Quamobrem in Aragoniam statim ire decreuit, Con-

uentus

uentus acturus, ut querelis eorum satisfaceret, & antequam ad arma esset ventum, sui cœpti rationem pleno in Conuentu redderet. Sed cum induciarum dies terminaretur, & Cardonensis, alijque proceres audiendi essent, manendum censuit, atque Petro filio illorum celebrationem commisit, volens intra Aragoniæ limites agi illos, ut à conquerentibus iudicio sisti posset. Itaque eodem die, quo induciæ cum Cardonensi factæ sunt, litteras quoque cum mandatis Petro ad Conuentus agendos dedit, existimans fore, ut Sanctij, aliorumque querelæ deliberationi Conuentus relinquerentur, sicque omnia pacarentur. Veruntamen res aliter euenit: quando quidem Sanctius, eiusque sectatores, ad eò sese indies à Petro ablegabant, ut nobilem virum quendam Raimundum Andream, Provincialem, ad Regem miserint, qui nomine Sanctij, Ferrentij, Iordanij Pinnani, Simonis Vrræ, Artali Lunæ, & Petri Cornelij procerum, singulas cuiusque querelas proponeret, & ipsisque propositis, ab eo, eiusque obedientia, & Imperio discederet. Quæ cum Raimundus publicè, multisque astantibus Regi renunciaisset; ac nisi satisfaceret, discessionem facturum se, minaretur; post biduum Rex ad ea omnia respondit; se, ab æquo & bono nunquam discessurum; tametsi facile posset eorum querelas omnes sigillatim in vnumquemque retorquere. Verum quoniam illarum caput constituerant; quod in Sanctium filium, cui se omnes addixerant, ipse, & Petrus inueherentur; scirent, maxima id Sanctij culpa fieri, eaque tam graui, ut non modo paternum animum à se penitus alienarit; verum etiam fraternum multis modis distraxerit, seque vtriusque hostem, ac perduellem exhibuerit. Proinde, aut iudicio, deliberationique Antistitum, ac probatissimorum Regni virorum stare; aut in armis ius constituerent; se enim ad vtrumque paratum esse, ac neque sibi vnquam defuturum. Hæc à Rege excipiens Raimundus, neque amplius redarguendi copia à Rege data, Cæsaraugustam reuersus, Sanctio, ac suis retulit. Interim Barcinonensis Antistes, & Vclensis magister, modis omnibus contendebant, ut antequam Aragoniæ res cum Catalanis commiscerentur, ac malum con duplicaretur; Cardonensis cum Rege concordaret, & controuersia dirimeretur. Cumque Rex Barcinone Tarraconē veniret, ut Alfonso Castellæ

Aa Regem

Regem, & Reginam filiam venientes exciperet, essetq. Villafranca, medio in itinere, Raimundus Cardona, Berengarius Puiguertius, alijque proceres Cardonensis sectatores, Regem conuenerunt: supplicesque veniam ab eo petierunt: ac, vt arbitros nominaret, qui de mutuis controuersijs iudicarent, obsecrarunt. Annuit Rex; vtq. benignitatem ipsius agnoscerent, Tarraconensem, Gerundensem, & Barcinonensem Antistites, & Abbatem Fonfredæ, cum Baronibus Raimundo Moncada, Petro Berga, Gaufredo Rocabertino, & Petro Cheraltio, illorum amicis, & cognatis, arbitros nominauit. Deinde iter profectus, cum esset Tarracone, de tempore, & loco arbitrij interrogatus, mensem Martium, dum sacrum ieiunium esset, locum verò, Illerdam ciuitatem, in qua conuentus ea causa indixit, assignauit; vt præsentè Petro filio, sententia ab arbitris pronunciaretur. Qua causa, pacata tum fuere omnia in Catalonia. Itaque Rex Alfonso, & filiam Barcinonem deduxit, vbi solennem Christi natalem diem cum eis celebravit. Verùm de inopinato aduentu Alfonso sollicitus; ab eoque causas tam inauspicati itineris intelligens, vehementer improbauit. Quas planè, quoniam variè, ac scitu dignæ sunt, atque, vt veritas rei innotescat, quæ vix potest ex historicis Castellanis magis quam ex nostris comprehendi, non arbitror alienum, eas hic leuiter attingere. Mortuo Federico Imperatore, conuenientibus ad electionem Regis Romanorum Imperij electoribus in Germania, atque variatis sententijs, sese in duas partes diuidentibus, alterà Richardum Comitem Cornubianum, fratrem Enrici III. Anglorum Regis elegit; eumque protinus hæc ipsa pars tantùm, Aquilgrani, Romanorum Regis diademate coronauit. Ab altera verò parte, Alfonso Castellæ & Legionis, fuit quoque Romanorum Rex renunciatus, qui etiam ex Beatrice matre Philippi Imperatoris filia, ex inclyta Ducum Sueuiæ stirpe erat oriundus. Vnde vtroque, se pro vero, & legitimo Rege gerente, causasque abundè allegante; mortuo interim Richardo, electores omnes, præter Bohemiz Regem denuò, haud consulto Alfonso, Rodolfum Comitem Aspurgensem, virum quidem strenuum, atque Imperio dignum, in illius locum successerunt, & illicò Aquilgrani similiter coronarunt. Id Alfonso intel-

intelligens, Legatos misit Lugdunum, ad Gregorium X. Pont. quum in Concilio agebat, cõtra electionem Rodolphi iure acturos; ac etiam eius opem & auctoritatem ad infirmendam illam, suamq. cõfirmendam imploratuos. Verùm causis, & rationibus hinc inde agitatis, à Pont. & Cardinalibus decretum fuit, electionem Rodolphi ultimo ab omnibus, aut à maiori parte electorum probatam, non posse vlla causa infirmari; quòd legitima, & canonica ea esset, ideoque priori, tanquam dubia, & controuersa, præferenda. Quare Legatis, re infecta, discedentibus, Gregorius paulò post, Legatum ad Alfonso misit Fredulum Lunelij Priorem, cum mandatis, vt ipsum ab ea postulatione deduceret. quòd si discederet, decumam Ecclesiasticorum Castellæ reddituum ad Granatense gerendum bellum triennio eidem concedendam promitteret. Cui Alfonso parum animaduertens electionem Rodolphi consentaneam visam fuisse Pontifici & Cardinalibus, respondit, se facile in sententia Pont. mansurum, modo sibi, honoriq. suo, in re tam graui deliberanda, consuleretur: atque hæc de causa, se breuè, Pontificis conueniendi gratia, Mompellerium, aut in alium Prouinciæ locum iturum dixit. Quo solo verbo, ac neque denuò cõsulto Alfonso, Pontifex matura totius collegij deliberatione, electionem Rodolphi in Concilio approbauit, & confirmauit: atque ad electores Imperij, & electum, diplomam cõfirmationis aureis scriptum litteris dedit. Hanc subitam, atque præproperam sanctionem Pontificis, Alfonso, se minimè audito, promulgatam fuisse, grauitè, & iniquo animo tulit: ac licet occasione, & tempestiuitate amissis, tamen Pontificem adire decreuit: nondum Regni rebus bene cõpositis, neque proceribus pacatis; cum iam Abeniusephi Miramamolini cum potentissimo exercitu in Baticam traiectus immineret, Alfonsoque leuitatem, animique mobilitatem ille, ad inuadendam Hispaniam, suam occasionem putaret. Sed relicto tandem Ferdinando maiore natu adhuc adolescente, vniuersorum præfecto, iter, vt diximus, cum Regina ingressus fuit. Cum igitur Iacobus nullis potuisset rationibus Alfonso à proposito deterrere, iter prosequi præmisit. Erat enim Alfonso consilijs præceptus, magisq. litterarum scientia inflatus, quam prudentia, atque moderatione animi præditus: ideoq. prudentissi-

mis Iacobi consilijs nolens acquiescere, præterquam quod nihil à Pontifice consecutus est, penè etiam ridiculus, ac imprudens fuit habitus. Itaque Barcinone profectus, venit Perpinianum, vbi relictis Regina & filiis, loco, & die à Pontifice prestitutis, in oppidum Belcairum Prouinciæ accessit, quò deductus fuit mandato Pontificis, ab Archiepiscopo Narbonensi, atque cum pompa comitatus: statimq. eò venit Pontifex, qui Alfonso excepit honorificentissimè. Vbi cum egisset Alfonso tribus fermè mensibus, neque negotium Imperij confecisset, tria quidem, vel quattuor damna, seu detrimenta proposuit: quibus reficiendis ac instaurandis Pontificis auxilium implorabat. Primum, vt Ducatus Sueuiæ, qui obitu Conradini, iure sibi obuenerat, quemq. Rodolfus electus occupauerat, restitueretur. Alterum, vt ius ad Nauarræ Regnum, quod Philippus Francorū Rex, retenta Ioanna Enrici filia, vsurpauerat, sibi stabiliretur. Tertium, vt Enricus ipsius Alfonso frater, què Carolus Siciliæ Princeps tenebat, è custodia & vinculis eriperetur. Postremum, vt ab eodem Carolo ingens pecuniæ vis sibi debita solueretur. Quorum omnium tanquam à Pontificio alienorum officio, Alfonso nihil retulit. Ex quo, re omni infecta, vacuus ac inanis, valde tamen iratus à Pontifice discessit: reuersusq. Perpinianum sumpta Regina, Barcinonem ad Regem remigravit. Vbi tribus & quattuor quadraginta diebus commoratus, accidit sacro Epiphaniæ die; vt Raimundus Penafortius, tertius à beato Dominico, eius ordinis generalis Magister, ibidem è vita excefferit. Quo planè viro nullum summæ eruditionis, religionis, ac veteris sanctitatis illustrius exemplum in Hispania, tempora illa tulere. Vt pote qui natione Catalanus, Theologiæ, Canoniciq. iuris peritissimus; tantam apud omnes sui temporis Pontifices auctoritatē habuit, vt à Gregor. IX. eius cōfessor, ac pœnitentiarius electus fuerit, eiq. iniunctū onus, vt magnū illud Decretalium opus ex varijs, innumerabilibusq. voluminibus collectū in vnū cōferret. Ac non modò Christianæ libertatis contra Iudeos acerrimū se vindicem præbuit: sed Hæreticorum etiā per totā Hispaniam cōstantissimus insectator fuit. Cuius etiā sapientissimis cōsilijs Rex sepe vsus, factus est, in exequendis illis, tum nihil non optimè successisse sibi; tum se à malo sapius, quasi diuinitus liberatum fuisse. Demum, qui vt

vita eni,

vita enituit per sancta, & inuiolata: sic postquam ea excessit, probatum fuit, ipsum miraculis claruisse: atq. ea de causa duo Tarraconēsia Concilia, vt in sanctorum numero referretur, à summis Pont. postulasse. Quod tametsi concessum nō fuit, aut in aliud tēpus fortè dilatū; scimus tamen Paulum III. Pont. nostris tēporibus, anno M.D. xlij. Dominicanis fratribus Prouinciæ Aragoniæ Apostolica auctoritate permisisse, vt eundem ritu solenni colat. Ad eius igitur honestandas exequias, Reges, Regumq. filios, & ingentem Principum, atque procerum multitudinem, cum infinito populo conuennisse, liquidò constat. Ijs autē laudatione, & pompa celebratis iustis, Alfonso & Regina, cū bona Regis gratia in Castellā reuerterunt. Verum postquam Toletum ingressus est Alfonso, iisdē, quibus antea Imperij, siue Regis Romanorum insignibus, & sigillis fuit vsus; atque eodem titulo, scita, decreta, ac edicta omnia edi, atq. diuulgari mandauit. Inde q. à nonnullis putatum fuit, Toletanam ciuitatē, ac Regnū, tanquam Regnorum caput, pro insigni habuisse Imperatorem in solio sedentem, sceproq. & diademate decoratum. Quin & Italiæ, atque Germaniæ Principibus suis sectatoribus scripsit idē, se, ius suum ad Imperij obtinendum prosequuturum omnino, atq. sui electionem defensurū. Hęc vbi intellexit Pontifex, Archiepiscopo Hispalensi per litteras mandauit, vt Alfonso ab inani, & proterua, tantoq. indigna Rege iactatione auocaret: quòd si faceret, cōcessurum se ei decemam Ecclesiasticorum reddituum Castellæ per sex annos bello Granatensi. Quæ concessione Rex omnes in posterū Imperij cogitationes abiecit. Eodē tēpore, cum Iacobus exacta fermè iam ætate esset, vt Petro Principi, què vnicè præ omnibus filijs diligebat, firma, pacataq. omnia relinqueret, solum ipsum, & Iacobū ex Iolante legitimo matrimonio procreatos esse declarauit; reliquos vero excludi volens, promissum Teresiæ Vidauriæ matrimonium adimplere noluit. Cumq. Pontificio iudicio illud, vt decimo quinto libro ostendimus, legitimum, Iolante mortua, haberetur; atque sollicitantibus iisdem Iacobo & Petro ex Teresia filijs, decretum Regi Barcinone indiceretur; ab eo Rex, suorum consilio habito, iustissimis, atque necessarijs de causis, proq. Reipub. bono, eundem Romanū Pont. appellauit; propterea quòd declaratis Te-

resia filiis legitimis, perniciosissima sequi posset tot inter fratres discordia, vno quoque iusta, se, vxore natum existimante, ac Regna patris singulis oportere diuidi, reposcente: ex qua noua diuisione, quā manifestissima, tristissimaq. sequeretur rerum perturbatio, ac permagna confusio: Ideoque verendum esse, ne Petrus Princeps, Regnorū iam renunciatus successor, populisq. ei sacramēto addictis, necem in vnumquemq. ipsorum machinaretur: aut fortasse, quod conscientia Rex motus, nullum connubij ius cū Teresa reuera intercessisse inueniret, appellatione interposita, rē distulit. Ac insuper neq. rationē eius habuit, quod in testamenti tabulis, quas Mompellerij paucis ante annis, Iolante mortua, ob signauerat, quibus susceptos ex Teresa filios legitimos decernebat: nisi quod Teresiā, & eius filios, Exeriana, & Aterbia ditionibus, alijsq. oppidis, Pontificis monitu, donans (vt libro sequēti dicemus) de cetero Teresiā in hoc morē gessit, quod nullam sibi amplius sceminā in matrimoniū duxit. Posthac Rex, Ilerdæ, vt promiserat, Catalanorum & Aragonensium Conuentus, ad medium sacri ieiunij tempus indixit. Ad eos conuenerunt Tarraconensis, Gerundensis, Cæsaraugustanus, & Barcinonensis Antistites, & multi Regnorum proceres, ac Barones regiarū partium, cum Legatis ciuitatū Cæsaraugustæ, Calataiubij, Turolij, Olicæ, & Darocæ. Quō Rex & Petrus conueniētes, se in summa arce collocarunt: nouissimi venerūt Cardonensis, Emporitanus, & Pallariensis Comites, cū Ferdinando Sanctio, Artalo Luna, Petro Cornelio, & alijs horū partes secutis: qui se omnes ab ingressu vrbs continuerunt, minimē se tutos à Rege & Petro esse putātes, ideoq. in Corbinum oppidulum suburbanum receperūt; ac neq. Regi fidem danti crediderunt. Miserunt autem Legatos ad Conuentum, Guillelmum Castellaulium, & Guillelmum Ragiadellium, qui à Rege poscerēt, vt ante omnia restitueret Sanctio, omnia oppida, & pagos, quos ei Petrus abstulerat. Quibus satisfecit Rex, scēdi fragos appellans eos, propterea quod, se promittēte, & volente cum illis iure contendere, fide data, tandem Petrū prouocarint, & occupauerint quædam eius oppida, quæ Sanctius penes se retinebat; neque restituerint: ex quo arbitris in conuentibus declarantibus, non esse legitimam illam procerum exceptionem: atq. illis contra reclamātib; simulq. supe-

superiorem quemuis iudicem appellantibus, conuentus perturbari cœperunt: ipseq. Petrus Princeps cum parte exercitus vrbe excessit, quod existimari, Sanctiū prius inducias, ac scēdus rupisse; quin etiā dānum suis intulisse; atq. nullas secum inducias haberi ratas voluisse. Vnde dimissis conuentibus, Rex etiā suo ac Petri nomine, Cardonensi indixit, vt factas cū eo, eiusq. socijs inducias in posterum infestas haberet, simulq. Petro iussit, vt sese in Aragoniam cum exercitu immitteret, Sanctiū, & eius sectatores proceres, vsq. ad internecionē omniū bello persecuturus: constituitq. vt Petrus Iordanus Pina cū parte exercitus in cōfinio vtriusq. Regni collocaretur, ad subitos orientes motus reprimendos. Ipse verò Ilerdæ manens, oppidorū cōcilia, & proceres, cū præfinito cuiq. numero militum ad præstitutam diē sibi, præsto esse imperauit, bellū contra Cardonensem, & Emporitanū Comites, sed præcipuē contra Sanctiū filiū, atrox moturus. Neque defuere interim nonnulli optimates, viriq. boni Ilerdenses, qui Regem à tam immani cœpto cōtra Sanctium, rationibus deducere conarentur: obijcētes, oportere quidem ad custodiam, & defensionē Regnorū, Regum augeri potius, quā imminui filios, & stirpē Regiā dilatarī; ipsosq. aliqua fortassis perfidia distractos, rursus in priuam concordiam reducere. Nā si pater filios disiungat, atq. tā horribili (quod absit) exēplo, discordias inter eos seminet, quid aliud tādē fratres, quā commune in patrē odium concipiēt? Quid ipso mortuo, iactū semē illud, nisi fratrum cædes, quasi malorum segetē effundet: Proinde desineret in se, non minus quā in suos scēuire, ac clementiā, qua semper in externos, etiā hostes, vsus esset, in domesticos exerceret: vt ex horum concordia, pax sese in vniuersos diffunderet. Verū enim, Rex cū tam exulcerato esset animo in Sanctium, nihil ei optimatū consilia, neq. monita profuerunt: quin potius eò impensius mandauit Petro, vt Sanctium, eiusq. sectatorū oppida & pagos oppugnaret, cūcta diriperet, neminiq. parceret: adeoq. celeriter hūc illucq. discurreret, vt in obsidendis arcibus, nequaquā diutius se vno in loco contineret; ne hostes expectare, sed eludere videretur. Cui etiā iniunxit, vt Mariam matrem Lupi Ferrentij, qui vnus erat ex coniunctissimis, atque amicissimis Sanctij, iuberet sese Cæsaraugustam recipere; eiusque oppidulum Magallonem, apud Quastorem

Regium deponere. Misit quoque litteras cum mandatis ad oppida, & ciuitates, vt Petrum, re frumentaria, comitatu, milite, & armis perinde, ac semet iuarent: nec dici potest, quanto studio, & sollicitudine cœptum profœqui, atque Sanctium, aliosque vlcisci cuperet. Nunquam enim ille hostes inuadens, tam animosè milites in eos cohortatus est, quàm fratrem in fratrem pater concitauit; tametsi neque Petro calcaribus ad id esset opus, qui immani & crudeli odio in Sanctium vehementer exardebat. Vnde cum Sanctius cum paucis, castella, & arces suas muniturus reuiferet; rescissetque Petrus illum in arcem Antilionem venturum, centum leuis armaturæ equites in insidijs collocauit; in quas Sanctius incidens, ab eisque elabès, sese in Pomarium, suum castellum proximum, aufugiens recepit. Quò protinus veniens cum exercitu Petrus illud obledit. Vbi desperante Sanctio, vt refert Asclotius, ac neque quâ elaberetur habente; ne tamen se Petro dederet: arma te, inquit armigero, armis meis, mea que defer insignia; atque admissio equo, per medios hostes irrue, teque defende, quoad ipse habitu pastoris indutus illos eludam. Sed armigero irruente, ac statim capto, Sanctiumque prode re coacto, tandem miser ille, qui nisi prohibuisset flumen Cinga, minimeque pedes fuisset, haud dubiè euasisset; ab insequentibus comprehensus fuit, & ad Petrum deductus. Quem Petrus videre nolens, malensque fratris nece foedari, quàm haberi clemens in impium suum, atque communis patris perduellem, ac proditorem, de repente illius ore folliculo inuoluto, in Cingam demergi ipsum, atque omnino suffocari imperauit. Diuulgata nece, protinus sese Petro vniuersa Sanctij oppida & arces tradidit. Sed miserabilem filij exitum, vbi intellexit Rex, vix est côm Memorandum, ac neque credibile, nisi Rex ipse suis in Commentarijs expressisset; ipsum non modò, ne doluisse quidem; quin potius mirè læratum fuisse, vsque ad eò iusta superante ira, natura victa fuit, atque iniquissima, diutinaque conspiratione filij, iustissimo quoque odio paternus præponderatus amor. Relictus tamen ex Sanctio fuit puer infans ex Aldoncia Vrrea vxore, Philippus Fernandus dictus, qui paternam hæreditatem redditam, atque restitutam postea adiit; ex eaque stirpe, Castrorū familia Regia & perillustris propagata fuit. Post hæc Rex, altero præcipuo con-

spira-

spirationis capite abscisso, ad alterum illicò excindendum properauit: nempe ad Cardonensem, & Emporitani comites. In namque denuò atque publicè Regem ad pugnam prouocarunt. Qua de causa, accepta à Petro, qui in Aragoniâ manserat, copiarum parte cum ijs, quas Iacobus frater in Lápurdanensi comitatu ducebat, atque in obsessione Rochæ oppidi ad Emporitani expectantis, se continebat, cuncta illius oppida & pagos depopulari cœpit, exiensque. Perpiniano copias Barcinone missas recepit, atque oppidum Calbugium obsessurus venit, quod vi captum diripi, atque solo æquari imperauit. Deinde appellente clâs sicula Barcinone, cum altera parte exercitus arcem Rhodæ munitissimam, ad mare sitam, quæ Emporitani erat, cœpit obsidere. At verò Comes in Castulonem oppidum premunitum, à marique semotum, vna cum Cardonensi, & Berga se recepit. Ad quos protinus, Rege ire parante, omnesque neruos in hoc bellum intendente, Comitum consiliū fuit, ne iratum, adeoque male affectum Regem, contumacia in sese magis irritarent: neve in eandem, quam Sanctius, pœnam incurrerent: quare ad ipsum vna omnes Rhodam venerunt; ei que, cui innata semper fuit clemencia, & benignitas in supplices, neque denegata vnquam venia petentibus, liberè, ac sine pacto sese dedidit: tantum orantes, vt Couentus Ilerdæ Catalanis simul & Aragonensibus indiceret, vt de omnibus controuersijs cõponendis, nulla amplius concessa facultate appellandi, ageretur. Id Regi placuit, atque ad consequentem omnium sanctorum diem festum conuentus indixit. Admirabilis profecto, atque inuicta Regis patientia & magnanimitas; vt qui nullis procerum neque tergiversationibus prouocatus, neque procrastinationibus offensus, tamè cum eisdem, non impetu & armis, sed iure quidem contendere, ei que se submittere honestius duxit, donec paulatim eos, de Alfonso nepote Petri filio, successore ad Regna declarando, in suam sententiam pertraxit. Nam Ilerdæ conuenientes ipsi, & reliqui vtriusque Regni proceres, atque Antistites, cum Valentinis, quos secum Rex habebat, tametsi de componendis controuersijs plenè actum non fuit; consensere tamè, vt Alfonso (quod summè Rex concupierat) ab Aragonensibus, Catalanis, & Valentinis proceribus, ac etiam Ciuitatibus, legitimus hæres, & ad Regna successor, auo & patre vita functis, haberetur; ad idque tenendum iureiurando sese omnes obstrinxerunt.

A a s BER

BERNARDINI GOME-
SII MIEDIS, ARCHIDIACONI-

SAGVNTINI, DE VITA ET REBUS

gestis IACOBI primi Regis Aragonum, co-
gnomento expugnatoris.

LIBER. XX.



Alfonso Petri filio, ac nepote Regis, communi Antistitum, procerumque, ac ciuitatum consensu (quod patri, auoque maximè fuerat in optatis) ad Regna successore declarato, eique omnibus sacramento addictis, Rex Cardonensem, & alios eiusdem factionis proceres, quod supplices inuenisset, non amplius bello laceffere, sed clementia, & benignitate, prosequi decreuit. Quamobrem dimissis comitijs, Ille da Barcinonem abiit; ut denuò illis conuocatis, ex æquo & bono controuersia omnes iudicarentur, atque in perpetuum dirimerentur. Verùm quodie ingressus est ciuitatem, nuncius è Castella missus à præfecto Murciensi nunciauit Abeniusephum Miramamolinum Maurusiorum Regem cum incredibili exercitu, quem ex vniuersa ferè Africa coegerat, in Beticam traiecisse, atque vnà cum Granatensi milite, eam prouinciam vastare cœpisse: ac non ei solùm; sed toti Hispaniæ vniuersum, quod fuit olim, inuectum malum, minari. Quin esse, maritima etiam loca deserta præsidijs, & mediterranea armis, atque bellico apparatu omnia destituta: necnon absentem Alfonso Regem ab Hispania, eiusque absentia, procerum discordias ardentius inter ipsos, cum maxima Regiarum rerum despicientia & diminutione, reuiuiscere; perturbataque cuncta esse, ac, ni occurratur opportunè, breui omnia ruitura funditus: propterea quòd subacta Bætica, certum esset vtrumque omnino hostem quamprimùm in Murciense, & Valentinum Regnum conuolaturum. Hæc Rex audiens, etsi non mediocriter contristatus fuit, iniquè ferens Alfonso generi tam intempestiuam absentiam, vel potius ignauiam turpissimam, quæ

sola

sola erat, domi forisque tantorum malorum causa; minimè tamen despondit animum sed licèt affecta iam, atque ingrauescente esset ætate, quæ mortales tardiores, atque in otium & quietem propensiores reddit; tamen ad hoc suscipiendum bellum, quouis iuvene visus est longè animosior & feruentior: ac vel ex eo, quòd contra sarracenos inibat, ardentius quam pro ætate, sese ad illud cōparauit, eique præesse decreuit. nec mirùm quidem; cum omnem ille ætatem à puero, in armis, atque exercitatione bellica contriuisset; generosamque iram, quæ addit animum, in hostes semper exercuisset; ac tales subinde senes esse soleant, quale cuiusque studium in superiore vita fuit. Vnde ad Murciensem præfectum respondit, se, aut illicò ad ipsum venturum, aut quàm citissimè Petrum Principem cum vniuersis copijs, subsidio ei missurum. Ipse interim Alfonso, vbi esset, per litteras grauissimè increpauit; deque reditu ad suos, atque reparandis rebus vehementer admonuit. Quanquam quònam ille abierit, quibus uè de causis motus, difficillimo, periculotissimoque Reipub. tempore Regnum deseruerit, nulla sit mentio, neque in historia Regis, neque alibi; quod sciam, nisi quod, vt fama fuit, is, propter insolentiam, superbiam, & fastidium, Philippo fratri, ac proceribus Castellæ adeò fuerit infensus, vt eorùm tentatam sæpè conspirationem metuens, se in aliquam Regni partem, aut cœnobium abdiderit; quando abiens, tacitè Ferdinando filio Regnum tradiderit, vt otiosus, & omni cura solutus, in Astrorum contemplatione, cui, vt diximus, apprimè fuerat à puero deditus, reliquam vitam traduceret. Ex quo Iacobus ad Ferdinandum nepotem, Alfonso filium natu maiorem, qui Burgis agebat, legatum misit, vt eum ad suscipiendam Regni contra Abeniusephum defensionem adhortaretur: quantoque maximo posset exercitu in Beticam properaret: se enim per Murciense Regnum contra Granatenses, eius belli tuatores, simulque auctores, bellum commoturum, vt de diuiso hoste facilius esset victoria: quãdo quidem multis antea diebus explorata habuisset, tam Abeniusephi, quàm Granatensis eius fautoris, ad occupandam Beticam inita consilia, & machinationes, quibus se, modis omnibus occurrurum promisit. Proinde bono esset animo, modo ea omnia præpararet. Sed interim tam repentini Abeniusephi aduentus, atque Bætici

fulci-

suscipiendi belli causa ostendenda est; ut inde sarracenorum amicitia & fides quam sit Christianis habenda semper suspecta, colligatur. Fuerat Abeniusephus multo antea à Granatensi Rege clam sollicitatus, ut breui, quantoque posset exercitu, in Bzticam traiceret; quod eam ipse, cum multis de causis, tū potissimum occasione absentis Alfonfi Regis, facile esset occupaturus: ac non modò Bzticam, sed vniuersam Hispaniam suorum exemplo maiorū quam gloriosissime debellaturus. Esse enim Beticam præter absentiam Regis omni quidem præsidio, & armis destitutam, ipsosque Regni proceres, & Regulos, non modò contra Regem couiurasse; sed inter se pugnare; neque cum Ferdinando filio primo nato adolescentulo tyrūculo satis consentire. Se quoque ad futurum ei cum exercitu equitū decem millium; peditum verò triginta millium, recepit. Quin etiā Aragonium Regem non esse extimescendum, tot domesticis suorum bellis implicatum; moturum enim se bellum in Murcienses, & Valentinis, ut venientem illum distineret; sicque interim facilius Bztica à Maurusijs occuparetur. Ea libenter accipiens Abeniusephus, atque tantæ laudis occasione gaudens, postquam Granatensibus Legatis, se expeditionē suscepturum dat fidem, meditari quoque cœpit, quo pacto melius imparatos Bzticos furtim, atque ex improviso adoriretur. Quare diulgato bello, finxit, se illud in potentissimum quendam Maurusiorum Regulum, qui Ceptom urbem munitissimam, & maritimam Regni, è Regione Granatensis positam occupauerat, sibi que tributa negauerat. Quin & eodem quod dolo, Legatos ad Iacobum misit, rogatū, ut eius recuperandę urbis gratia, ex nobilitate Aragonensi lectissimos quingētos leuis armaturę equites ad se mitteret cum classe viginti nauium, offerens, se ducenta millia besantiorum Ceptinorum statim numeraturum; quo citius in armis illi essent, Maurusiamque appellerent. Quod si oblesio ultra annum protraheretur, modò capta vrbs esset, missurum ad Regem bisantiūm quinquaginta millias; atque ipsos etiam equites, non solum conduplicato stipendio, sed equis, armis, atque preciosissima quaque re oneratos, in Hispaniam remissurum. Præuiderat enim Abeniusephus Iacobū, absente Alfonso, curam totius defendendę rei, vnā cum belli mole, esse suscepturum; ideoque amicitia no-

ta no-

tiæ nomine, classem, & equites ab eo petierat, ut ijs præoccupatis, Iacobi vires ad Alfonso iuuandum extenuaret. Vnde patefacto dolo, quem Granatēsis machinatus fuerat, Iacobus protinus Legatos Abeniusephi, nullo dato responso, toto iussit Regno excedere. Ea re intellecta, Granatensis veritus, ne commoto bello, elapsoque induciarum die, quas cum Malacitano, & Guadicensi præfectis, sibi que aduersarijs Alfonso fecerat, bellum; fauentibus ipsis, contra se suscitaret, cum eisdem præfectis communicato aduentu Abeniusephi, pacem iniit, eis que persuasit, ut tanto freti auxilio, omnes simul cum bellum Alfonso inferrent; tum Iacobo, si veniret subsidio, tot auxiliarijs muniti copijs resisterent. Quibus in sententiam perductis, literas ad Abeniusephum dedit, rogans maturaret aduentum, datum se illicò Algeziram, & Tarifam, Bzticę oppida munitissima, portui, in quem esset descensurus, proxima nunciauit præterea, Alfonso absentem, neque venire, neque expectari; resque bellicas deteriori quam vnquam in statu apud Bzticos esse; Iacobi que auxiliū, Catalanis nouas res molientibus, indies tardius fieri. Itaque nihil moratus Abeniusephus Herculeum fretum transmisit, atque Algeziram, & Tarifam promissa oppida cepit, tanto cum exercitu, ut, sicuti Castellana refert historia, equitum leuis armaturę decem & septē millium fuerit, peditum verò prope infinitus. venitque Abeniusephus, relicto exercitu Algezirę, cum paucis Malacam, ut eius, atque Guadicensis præfectorum, initam cum Granatę Rege concordiam confirmaret. Inde prouinciam inter se diuidētes, Abeniusephus versus Hispalim, & eius confinia, Granatenses in Giennenses, & eorum propinqua loca, aciem direxerunt: conuenientes in hoc maxime, ut si Iacobus Murciensibus subsidio veniret, Granatensis cum præfectis, eius propulsandi partes susciperet. Sed antequam exercitus diuideretur, in prouinciā immisi simul, agros, & vniuersos pagos misere depopulare, atque vastare cuncta cœperunt. Agebat tunc Cordubę præfectus Nunnus Gonçalus Lara, qui ut primum Abeniusephus portum tenuit, Ferdinandum Principem, Burgis consistentē, de repente illius aduentu, cum innumerabili exercitu, certiore m fecit; tantaque Maurusiorum multitudie circumfundi Bzticam; ab eis que vniuersam vastari; ut, ni protinus accurreret, deleri omnia

necesse

neceſſe eſſet. Quamobrem Ferdinandus turbatus; tametſi Iacobi aui litteris & auxilio recreatus; conuocatis totius Regni proceribus; ac conſcripſo exercitu, Sanctium fratrem cum mediocribus copijs, & magna parte procerum, Cordubam in ſubſidium Nunnij miſit; ipſe vero paulò poſt cum pari exercitu ſecutus eſt illum. Sed antequam Sanctius Cordubam veniſſet, Nunnius tumultuario collecto exercitu, ſciens Abeniuephum Aſtigim urbem (nunc Ecija) petere, ſeſe prius in eam immiſit, & cum magno, & excelſo animo eſſet, non paſſus, ſe intra oppidum contineri, hoſtes aperto in campo, licet numero ſuperiores, aggredi eſt auſus. Conſertis ergo manibus, uſque adeò à Nunnianis viriliter pugnatum eſt, vt diu fuerit prælium anceps: ſed multitudine Abeniuepho ſuperante, Nunnius, & cum eo ducenti quinquaginta equites; peditum quattuor millia ſimul occubere: ac neque vnus ſuperuiſſet, qui tantam renunciaſſet cladem, ni propinquum oppidum ſuperſtites fugientes recepifſet. Quo die, ſi Abeniuephus ſuos à præda cohibuiſſet, ac victoriã proſecutus fuiſſet; haud dubium, quin tota etiam prouincia in eius deditiõem veniſſet. Sed timor de Ferdinandi, & multorum procerum aduentu, atque à ſuis accepta plaga, à lõgis eum excuſſionibus repreſſit. Interea Sanctius Iacobi filius Archiepiſcopus Toletanus, de quo antea diximus, ſuis quidem ſumptibus, magnã militum manum ex Turdetanis coëgit, atque vnã cum equitatu Toleti, Madritij, Guadalajaræ, & Talaueræ, quæ inſignia ſunt Archiepiſcopatus oppida, conſcripto, inſcius proximæ Larenſis Cladis, verſus Giennenſem urbem fuit proſectus: in quam etiã venerat Lupus Diazus Pharenſis; ſicquæ deliberatum, vt expectatis ſocijs, ſimul adorirentur hoſtes. Verum Archiepiſcopus Martoſij cuiuſdam Vclenſis ordinis adulationibus irretitus, aſſerentis Lupum paucos deferre ſecũ, ac neque eſſe expectandum, neque amittendam occaſionem, qua ſolus ſine Lupo glorioſam reportare victoriã de hoſtibus poſſet, qui magna facta præda, non longè, ſparſi, ac turbato ordine incedebant; conſilium laudauit, ſtatimquæ, minimè vocatis exercitus primoribus, ſed reliquis, ſe ſequi iuſſis, ad hoſtes præceps, tantaquæ contentione properauit, vt ne expectatis quidem ſuis, prælium commiſſerit. At Iarraceni paucos illos eſſe, ac turbato venire ordine ſecũque

multi-

multitudine ſuperare, videntes, in eos impetum clamore ſolito fecerunt, ac circumactos vndique, breui tam miſerè deuicerunt; vt ne quidẽ ex eis eualeſcit quiſpiam, quin aut mortuus, aut captus fuerit, vnã cum ipſo Archiepiſcopo. Eo capto, ſubitus in caſtris Iarracenorũ tumultus exortus eſt, & commota ſeditio, diuiſo in duas partes exercitu, quæ de Archiepiſcopo contendebant, vtra eum duceret captiuum, Granatenſes ne, à quibus captus ille fuit; an Mauruſij, qui potiores in exercitu erant; cumquæ ex cõtentione, vt ſepè fit, ad arma iam eſſet conclamatum, Præfectus Malacitanus, animaduërſa ſeditiõne, quæ omnino in communem totius exercitus ruinam vertebatur, iratus ad Archiepiſcopum acceſſit, ipſumquæ telo punico, perſoſſo humero, occidit; Abſit, inquit, vt pro vno cane tot ſtrenui militares Duces occumbant; ſimulquæ abſciſſo ceruicibus capite, & manu dextra, qua Põtificios annulos geſtabat, direptis caſtris, cum victoriã & opima præda abierunt. Hac ipſa tempeſtate Ferdinandus Princeps, qui Burgis cum exercitu in Bæticam pergebat, audiens Nunnium Laræ, & Archiepiſcopum auunculum, cum omnibus copijs, in prælio occubiſſe, oppidum Villæregalis in itinere ingreſſus eſt, ſequẽtem expectaturus exercitum, vbi febr̄i correptus, tandem in ipſo iuuentutis flore, atque iniquiſſimo Reipub. tempore, vita exceſſit, Alfonſum filium paruulum ſucceſſorem Regni teſtamento relinquens. Verum Sanctius Ferdinãdi frater germanus, iuuenis ſtrenuus, ac bellicoſus, ſucceſſionem ad ſe pertinere ratus, Regnum occupauit, ſeſeque pro Rege geſſit: ac conuocatis Regni primoribus, præſidia cum præfectis, in omnes Bæticæ vrbes, & munitiora oppida miſit: ipſe vero Hiſpalim venit, vt Regnum ſibi ſtabiliret. Nam Alfonſus pater abſens, tunc vel obierat, vel, vt dictum eſt, aliqua de cauſa Regno exulabat; ex quo eius filij liberè de ſucceſſione decernebant. At verò Iacobus, auditis proſperis Abeniuepho excuſſionibus, quibus adiuncto Granatenſi exercitu, bis Caſtellanorum copias cum magna eorum ſtrage fudiſſet; ac Sanctium filium crudeliter interemiſſet, & Ferdinandum nepotẽ vita exceſſiſſe; remquæ omnem proſus iri perditũ; Petro Principi iniunxit, vt protinus cum expedito exercitu mille equitum, & peditum quinque millium, quem Valentia paratum habebat, magnis itineribus

in Mur

in Murcienses contenderet, Castellanisque subsidio esset; atque, ut hostes distineret, Granatensibus bellum inferret. Inde discedens Petrus Murciā venit, ubi aucto exercitu ijs, qui in presidijis erāt, Granatense ingressus Regnum, cuncta, in Almeriensi præsertim, & Malacitano agro, ferro, flammaque vastare cœpit. Tunc Granatæ Rex, & Præfecti copias suas, quas ad Abeniusephum miserant, redire ad se iusserunt, ut Petro obuiam irent. A quibus subito destitui se videns Abeniusephus, atque intelligens, Sanctium Principem classem mari parare, ut Maurusios trajicientes interciperet, & auxilia impediret, dimissis excursionibus, cum omni exercitu Algeziram regressus fuit. Interea Iacobus de interitu Sanctij Archiepiscopi filij charissimi valde dolens, magisque in Abeniusephum commotus, novas quotidie copias cogere, atque expeditionem, se duce, contra sarracenos suscipere promulgauit; quod animaduerneret, Alfonso absente, Castellanis tam male rem gerentibus, non modò Bætiæ, sed totius Hispaniæ, propugnationis curam ad se vnum deferri: esseque non modò perutile Regnis, sed perquam honorificum & gloriosum, vniuersæ Hispaniæ libertatis, se vindicem, ac custodem fieri. Quid enim sibi profuisse, aiebat, tot, tantasque de sarracenis, superiore vitæ tempore victorias reportasse; per easque sacrosanctam Christi fidem & religionem feliciter tot in locis propagasse; ni iugiter, ac sacro quoque in eos bello, parta sustentaret? nisi etiam pro augenda, promouendaque religione, vitam libèter profunderet? Quibus de causis, ac ne inultum relinqueret Archiepiscopi interitum, quem acerbissimè tulerat; animosus, quàm credi potest, sese ad expeditionem præparauit; simulque literas cum mandatis dedit, ad vniuersos proceres, & ciuitates suorum Regnorum, auxilium implorans; sibi que ad tam necessariam expeditionem, è qua totius Hispaniæ salus, & propugnatio pendebat, cum omni re adessent; deprecans, atque obnixè rogans, ad proximum Resurrectionis Dominicæ diem festum Valentiam conuenirent. Per id tempus Cæsaraugustæ magnus inter ciues tumultus subito exortus est, & ad arma conclamatum, atque tantus furor populi in Magistratus cœcitatus, ut in concurrentes ad tumultus sedandos cum sarcibus & lictoribus cōsules ciuitatis, indicta causa, manus iniectæ fuerint à coniuuratis; &

Agi.

Aegidius Tarinūs primus Consul enecatus. Quod, ut primū Regi innotuit, protinus Iustitiæ Aragonū Præfecto mādauit, ut quàm acerbissimè in delinquētes animaduerneret: è quibus ille, quotquot potuit comprehendere, capitis supplicio damnauit. Similis quoque Valentiz exorta est seditio inter populares: atque ut neq. prioris, sic neque huius vlla inuenta causa, præter furorem, & exoptatam populilicetiam; fuit enim cum magistratibus vrbis pessime actum, ipsis vrbe pulsus, eorumque domibus euersis; auctore quodā Michaële Perezio, magni apud populares nominis. De quibus factus Rex certior, Dertosa Regnum ingressus, duce Petro Fernando filio, persecutus est latrunculos illos, atque vniuersos cū eorum duce Perezio, breui vrbe, ac toto Regno expulit. Eo tēpore concurrere plerique proceres ad bellum Granatense à Rege conuocatis; quibus iussu Regis publicè fuit factum hospitium. Cæterum dum Abeniusephi, & Granatensis Regū res prosperæ in Bætica erant; nō nulli Sarraceni Valentini Regni, a Granatensibus sollicitati; quod nullum vnquam tempus opportunius ad conspirandū habituri essent, coniuratione facta cum Granatensibus, castella, & arces, quæ ab ipsis concessione Regia tenebantur; munire quidē; atq. à Christianorum Imperio deficere cœperunt. Id autem Abeniusephi & Granatensis industria factum fuisse creditur: cum habuerint comperitum, nisi impedito, atque domesticis implicato bellis Iacobo, se, numquam Bætica potituros; ac vel eò maximè, quod initio conspirationis, protinus ex Maurusijs simul & Granatensibus, nonnullæ equitum turmæ confluxerint, quibus indies Valentinorum conspiratio augebatur; ac passim Christiani iter faciētes diripiebantur. Sarracenorum præterea vnus, nomine Habraimus, instaurare, munireque cœpit arcem Serrafinestratiæ dictam, quæ paulo antè Rex, tanquam nouis eiusmodi rebus moliedis opportunam, euerti iusserat. Primi igitur ex omnibus, qui conspirarant; fuere populi Touenses, atq. Alcalanz, Gallineriæ, & Peguanz cōuallium; tum & Guadalestani, Confridentes, & Finestratienses, antequam ad eos auxiliarij è Granata equites venissent. Post eorum autē aduentum, paulo honestiore de causa conspirarūt Montefani, & Valladenses, cum alijs nonnullis proximis Setabi populis; serpebatq. malū indies: quoniam

Bb niam

niam Granatenses nouas quotidie copias, arma, & pecunias Valentini clam suppeditabant, ob quam causam Rex, qui Valentiam uenerat, conuocatis primoribus Aragoniæ, Cataloniæ, & Valentiniæ, præparatoq. cõmeatu; & armamentis, bellũ rebellibus indixit; nec non Principem Petrũ accersi uoluit, qui paulò ante, dimissis præsidijs apud Murcienses, in Cataloniã reuersus, bellum cum Emporitano gerebat. Hic Emporitanus, non obstãte eo bello, relictis suis oppidis milite & armis munitis, cum magna manu militum Valentiam uenit, Regi non modo opem laturus, sed de cõtrouersijs, quas habebat cum Petro acturus; fuitq. propterea Regi usque adeò gratus eius aduentus, ut illico in Catalonia edici Rex iusserit, ne quispian Petrũ in eo bello contra Emporitaniũ sequeretur: neq. dampni quippiã illius agris, & populis inferret: qui secus faceret, capite pleteretur. Itaq. magno coacto exercitu, atq. ab vrbe egredi decernente Rege, ut in rebelles excurreret, pleriq. ex ijs de reconciliatone egerunt. Horum primi fuere Montefani, & Valladẽses cum alijs propinquis populis, quibus hoc ipso promissa fuit impunitas, quòd statim resipuerunt: quodq. non antea rebellarunt, quam Granatenses, & Maurusij equites Regnum ingressi sunt; quasi tum fuerit iustior rebellionis occasio. Verum alijs, qui antea cõspirauere, nempe Touensibus, Alcalanis, Gallineranis, & alijs, quorũ supra mẽtio facta est, nõ modo negari ueniam, sed atrocissimũ inferri bellũ imperauit. Vnde Valentia profectus, Algeziram uenit, ubi intellexit, Touenses arcem muniuisse, seq. in eam propugnãdi causa recepisse: ad quos misso centurione cum cohorte militum, ut dederent se Regi, cuius tam nota erat benignitas, atque resipiscentibus ad parcendum procliuitas; illi freti quidem auxilio Alazadrachi, qui Regno fuerat in exilium pulsus, ac tunc, cum Granatensibus reuersus, quemq. iam iam auxilio sibi ad futurum sperabant, responderunt, se non alium, quam Granatensem, & Abeniusephum Reges tanquam ueros dominos habere; Iacobũ quidem uirum bonũ, nõ tamen sarracenorũ propriũ, ac uerũ Regem esse. Igitur reuersus Centurio, renũciato respõso, adiecit, se nõ arcis munitione, sed auxiliariũ accursu impeditũ abstinuisse ab illius oppugnatione. Tũ Rex Algezira Setabim uenit, ut præsidarios milites, qui per arces &

Castella

Castella distributi erant, sua præsentia recrearet, eisq. animum adderet. Inde uerò partem equitatus Alcodium, & Cocentaniã, insignia Contestaniæ oppida misit, ut subsidio illis essent contra ducentos quinquaginta leuis armaturæ equites Granatenses, quos ad oppugnandum Alcodium uenisse intellexerat. Nec mora, insidijs non longè ab oppido collocatis, duce Alazadraco, oppidum oppugnare ausi, cum graui iactura repulsi sunt, atque eorũ strenuus dux Alazadracus sagittæ ictu interemptus: qui tamen non diu inultus relictus est. nam sarracenis abeuntibus, atque cum eiulatu maximo humeris cadauer efferentibus, Alcodiani elati uictoria ex oppido proruperunt, illosq. imprudenter, ac turbato ordine insequentes in eorum insidias inciderunt; à quibus ferè omnes trucidati sunt. Magna igitur surgente fama de tam aduerso Alcodianorum successu, arte & industria Granatensium consecuto, animosiores effecti sarraceni, castella & arces Christianorum aliquot oppugnare tentauerunt. Cũ igitur indies malum ingrauesceret, ac cresceret conspiratio, Rex in urbem reuersus, denuò proceres, qui iure beneficiario illum in eo sequi bello, atque in præsidijs esse tenebantur, conuocari iussit. Quorum primi conuenere, Garcias Ortizius Assagra Albarrazini dominus, tum & Promagister Templariorum (quem Asclotius in sua historia, Petrũ Moncadam fuisse asserit) cum nõnullis cohortibus, ubi cũ intellexissent uenisse sarracenorũ mille pedites in campum Lyriæ, decimo ab vrbe milliario, ut excursiones in occurrentes pagos facerent; protinus Templarius, & Garcias, sumptis centum & uiginti equitibus, ad eos urbem exierunt: quos tam strenuè ac fortiter aggressi sunt, uiriliterq. cum eis dimicarunt, ut ex ipsis ducentos & quinquaginta occiderint, reliquos, paucis captis, ad unum profligauerint; uo tantũ armigero ex nostris desiderato, & quinque equis occisis. Interim Rege Setabim reuertente, auditum est plures sarracenos equites præterisse proximam Albaidensem uallem, ireq. subsidio Beniopanũ, quos numero duorum millium Petrus Ferdinandus Regis filius obsessos tenebat. Verũ Ferdinandus cũ esset excelso animo, atque uiribus, & paterna magnanimitate præstaret, hostes tanta celeritate præuenit, ut planè antequam Beniopani munire possent arcem, atque subsidia-

Bb 2 rios

rios recipere, arcem ipsam expugnauerit, oppidum intrauerit, cunctosque inter necione deleuerit. Vnde equites, qui subsidio uenerant, de expugnatione facti certiores, in Lucentum Christianorum oppidum descedentes, illud ceperunt, ac diripuerunt. Tum Rex qui Algezira Setabim uenerat, ira commotus, quanquam effoeto iam esset ob senectutem corpore, uiribusque deficientibus, prae graui quodam morbo, è quo uix adhuc conualuerat; tamen hostes insequi decreuit cum equestribus simul & pedestribus copijs, quas secum habebat. Sed Hospitalario promagistro, & Ortizio, ac etiam Olicensi Episcopo, impensè illum obsecrantibus, ne urbe exiret, tot, tantisque fractus laboribus, atque recenti ægritudine conflictatus; ne uè in manus desperatorum hostium se dederet, totiusque Regni salutem cum propria amitteret; tamen illius cursum retardare non potuerunt. Cumque iterum reluctante illum reprimerent, ac se in hostes inuolatuos promitterent, si domi se contineret, sin aliter, ipsum deserturos affirmarent; se, uel solum illos aggressurum, dicebat; quoad tandem, tum medicis nouum quoque morbum ex tam æstuosa uia, & caniculae tempore, praenunciantibus: tum Theologis, & Antistitibus, ni tam euidentis uitae discrimen effugeret, eternas poenas comminantibus; tum demum reliquis religiosi uiris cum uniuerso populo collachrymantibus, atque ipsius conatum impedire nitentibus, in urbe mæstus, atque sollicitus remansit. Illi uero turbato ordine, nimioque fatigati calore & æstu, Lucentum peruenerunt. Quibus occurrentes hostes, uisi sunt numerum quingentorum equitum, & trium millium peditum, satis bene extructorum explere. In quos subito irruentes nostri, tametsi diu anceps pugna fuit, tamen augefcente hostium numero & multitudine, ex concurrentibus undique sarracenis, uicti, fugatique fuerunt, mortuo Ortizio, & filio Bernardi Entensæ, cum maiori parte equitatus. Tam ingens etiam afflixit clades Setabitanos, qui, ut continerent Regem, similiter incaute, ac turbato quoque ordine ex oppido in hostes irruerunt, ut, referente Marsilio, prouerbio fuerit trito uulgatum Setabitanis, Martis infaustus ille dies. Fuereque in eo praelio capti, cum multi equites pernobiles; tum Hospitalis promagister, qui in arcem Biarj, quæ tum fuerat auxilio Granatensium equitum

ab oppi-

ab oppidanis recuperata, in custodiam missus: tametsi protinus à sarraceno transfuga, qui multo tempore sub Rege militauerat, mireque colebat promagistrum, liberatus fuit; ac paulò post, mortuo Rege, ad Petrum Principem reuersus. Igitur tantæ cladis audito nuncio uehementer cõturbatus Rex fuit, eoque grauius rem tulit, quòd rescuuit suos, neque seruato ordine, neque coniunctis uiribus, neque satis exploratis hostium consilijs, in eos irruisse. Itaque paucis post diebus Petrus Princeps cum nonnullis proceribus ad Regem uenit, cui illicò exercitum Rex tradidit, ut in praesidia arcium, & oppidorum, maximè uerò Murciensi Regno confinium, distribueret: quandoquidem, aut quia Abeniusephus in Algeziram, ut diximus, redierat, aut quia Castellani sese iam contra Abeniusephum erexerant, & Granatenses oppreslerant, euanuere equites illi exteri, qui Regnum infestabant. Sed angore animi, agitationeque corporis conflictatus Rex in morbum incidit grauissimum, à medicis multò ante denunciatum. Quamobrem Setabi, quam ille urbem magnopere coluit, profectus, uenit Algeziram; ubi, ingrauescente morbo, peccata sua meditatus, profusis lachrymis, intimoque de illis animi affectu dolens, Antistiti ac religiosi uiris aperuit; moxque sacrosantum Christi corpus sumpsit. Sed medicis, post multa adhibita remedia, omnino de ipsius uita desperantibus, Petrum accersi iussit, cuius aduentu, & praesentia non mediocriter recreatus, insequenti die, sacro religiosissimè audito, praesentibus Antistitibus, & qui tum aderant, Regnorum proceribus, ipsum cum primis admonuit, ut animo, atque oculis perpenderet, summa & immensa beneficia, quæ diuina bonitas sibi Regi tota uite periodo contulisset: cum & sexaginta, ac eò plus, annos regnauisset; & nullas non ex hostibus uictorias cum summa Christi laude reportasset: maiores sanè se reportaturum speraret, si tria potissimum semper secum animo uersaret; Primum, si Deum tota mente timeret; ei que se, suaque omnia toto pectore commendaret. Alterum, si populos in officio & concordia contineret, ex quibus Regnorum non modò incolumitas sequitur, sed incrementum & amplificatio; huc enim Regum tota refertur foelicitas. Tertium, si fraternum concordiae uinculum cum Iacobo ueterino fratre retineret. Iccirco enim ei secundo loco Baleari-

Bb 3 cum

cum Regnum cum adiacentibus Insulis, atque Mompelleriensem, & Perpignanensem ditiones suis Regnis propinquas, se contulisse; ut fraternis iunctis viribus, non modo omnibus terrori esse ambo; sed concordibus inter se animis, maiora moliri, ac totam Lybia oram debellare possent. Adiecit deinde, nihil fore, neque Christo acceptius, neque sibi gratius, neque Regno, & Regibus tutius, quam sarracenos cunctos à Regno expellere: quòd idem usque adeò natura impij, ac Christianorum perpetui & intestini hostes sint; ut nulla unquam cum Christianis devinciri pace possint: ac neq. precibus, neque humanitate flecti, ut in Christum dominum animo firmo, atque fideli sint; sed infido, & ab eo semper auerso. Adhuc Offensem Episcopum, quem à puero domi aluerat, & tanquam moribus, ingenio, & consilio præstantem, magnum Regni Cancellarium constituerat, necnon Sacristam Ilerdentem, eius fratrem, & Vgonem Mataplani Archidiaconum Vrgelitanum, viros consilij Regij probatissimos, ac fidelissimos, eidem plurimum commendatos haberi voluit, una cum antiquis Aule Regiæ alumnis, quos reliquis omnibus præferri iussit. Demum cauens omnino, si eo morbo decederet, ne extra Regnum efferretur, ne scilicet eius cohonestandi funeris causa, Petrus Princeps bellum intermitteret; sicque, eo absente, augendæ cõspirationis noua daretur occasio; statuit, ut si mors ipsum Algeziræ occuparet, in Aede Virginis, quam ipse ibi exædificari curauerat: si Valentia, in templo maximo, cadaver deponeretur, quoad finito bello, in cœnobium Populetanum deferretur. Hæc cum dixisset, ab humanis rebus omnibus se abdicare volens, Regnum liberè absolutèque Petro concessit: ipse verò monachalem vestem Cisterciensis ordinis suscepit, animo abeundi in cœnobium, ibique, & proficendi religionem; & quod reliquum esset vitæ, Deo, atque cœlestium contemplationi impendendi. Itaque Petrus, ut patri morem gereret, ad extrema Regni versus Murcienses perrexit: Rex verò Valentiam progressus fuit; quò simulac peruenit, testamētum ob signatum Episcopo Valentino, postquam ille vita functus esset resignadum, tradidit. Sed ex vi morbi, cum iam vox, viresq. deficerent, se totum Christo & Virgini matri commendans, ac cœlestia suspiciens, vitam Deo reddidit, vij. Idus Iulij, anno Christianæ salutis M. cc. lxxvj. ætatis verò

sua

sua lxxvij. cui iusta & exequiæ mediocri pompa, & cœrēmonijs redditæ fuere, ob Petri & Iacobi, aliorumque filiorum absentiam; nullus quippe ex eis obeunti patri adfuit; sed exemplo Petri vnusquisque abiit in præsidia. Cadaver autem in templo maximo deponi iussum est, quoad Populetum cum magna pompa, Regioque more deferretur. Eo mortuo, fuere illicò recitatæ tabulæ testamenti, quod ipse Mompellerij, ad vij. Calendas Septembris fecerat ante annos quattuor, suaque manu & sigillo ob signauerat. In quo donationes, Regnorumque diuisiones, Petro & Iacobo legitimis ex Iolante tanquam iusta vxore filijs factas, approbavit. Iacobum & Petrum ex Teresa Vidautia filios ante Iolantem susceptos, eodem testamento legitimos declarauit; quorum natu maiorem, Exericanos oppido & arce, cum vniuersa eius ditione ac territorio in Valentino Regno: minorem verò, Aierbio oppido cum eius quoque arce, alijsque oppidis in Aragonum Regno donauit: ea conditione, ut alterutri sine liberis decedenti superstes succederet; utroque autem orbato liberis, amborum oppida, arces, & ditiones, Regno adiungerentur: necnon Petro, & Iacobo prioribus, sine filijs decedētibus, illos ad Regna vocari, atque omnino fœminis, etiã ex Iolante natis, præferri voluit. Tametsi post conditum testamentum, Teresiæ matrimonium, ut antecedenti libro diximus, grauissimis de causis irritum habuerit. Alios etiam filios non iusta vxore natos suscepit, Fernandum Sanctium ex Antilonia, miserè in profluentē proiectum, qui domo una cum ditione Castrensi in Aragonia fuerat à Rege donatus, ab eaque eius filius Philippus Fernandus, & successores nuncupati. Tum & Sanctium Archiepiscopum Toletanum: vltimum, Petrum Fernandum ex nobilissima Aragonensi fœmina Berengaria Fernandia dicta, altera scilicet, ab illa Berengaria Alfonsi domini Molinz filia, quam Rex etsi habuit charissimam, nullos tamen ex ea filios procreauit. Fuit autē Ferdinando ditio, siue Baronia Yxarësis in Regno Aragoniæ condonata, ab eaq. ipse, eiusq. hucusq. Regio conseruato stēmate, heredes ac successores Belcitano post aucti Comitatu, denominati. Itē filias quattuor ex Iolante habuit, quarū natu maxima Alfonso Castellæ Regi nupsit; altera Constantia, Manueli ipsius Alfonsi fratri germano; tertia Isabella, Philippo Regi Galliarum; quarta Maria;

Bb 4 quæ

quæ religionis septa est ingressa. Quarum filios, prioribus quattuor natis prole carentibus, ad iucceptionem vocari voluit. Denique omnibus modis prohibuit, ne vllò vnquam tempore foemina in Regna succederet. Vnde colligitur, annumeratis foeminis, ac etiam Altonso primo nato ex Leonora priore vxore, Regem tredecim progenuisse filios, qui penè omnes, non modo Regnis, amplissimisque ditionibus ab eo ditati fuere: sed generosissimo eius cum lati sanguine, tum exemplo, atque virtutibus imbuti, tanto quidem progenitore digni euasere. Cuius planè herois animum tot stipatum benefactis, totque pietatis, ac religionis defunctum muneribus, sicuti ex corporis vinculis, tanquam ex carcere euolantem, coelestis (vt credi par est) excepit gloria: ita dimissam quoque vitam inclytam, viuorum memoria, in qua est vita mortuorum, retinebit in omne eum sempiternam: cum ali quidem hæc possit, sustentarique quam facillimè, tot, tantarumque admiratione, atque contemplatione virtutum, quot, quatafque ex præclarissimis ipsiusmet Regis factis nunc erit colligere.

Quamobrem vt extremum iam habeat historia, & aliquando peroremus, atque vniuersis demum Regibus, dominisque terrarum, qui Reipub. ac summis præsunt Imperijs, non magni modo Principis, ac Imperatoris; sed etiam optimi, persanctique viri imaginem, tanquam in speculo contemplandam, imitandamque proponamus, heroica ipsius facta, ac præcipuas, quibus eximie præstitit, virtutes breuiter in hanc summam referemus. Pietatem enim ac religionem, quæ omnium sunt fundamenta virtutum, si in primis intueamur, habemus quidem contestatas ipsas, non solum singulari illius studio, quo se totum defendendæ religioni dedit: sed confirmatas etiam exædificatione bis mille templorum, quæ in expugnatiss à se sarracenorum Regnis erigi, exornarique curauit. Si magnanimitatè spectemus; ab ipsa prope infantia Regiæ maiestatis personam, cum Imperatoria belli administratione grauissimè sustinuit. Si consilium in decernendo; nemo ipso attentius alienum adhibuit: proprii autem exitus nullius extitit felicior. Si prudentiam; ex tam consideratis eius actionibus, ac æquabilitate vniuersæ vitæ, summam in eo fuisse deprehendimus. Si Reipub. administrationem; qui leges composuit, scita sanciuuit, ac iussa populis descripsit, à consentanea rationi,

rationi ac legibus administratione discedere, qui potuit? Si verò prouidentiam, summamque in bello diligentiam perpendamus; quamquam mirè quidem incredibilem in præueniendo hoste celeritatem suspicimus, minime tamen maturitatem in deliberando desideramus. Quod si de admirabili illius temperatione, figura, & sanitate corporis agamus; nemo ipso inuentus est, suis in Regnis, neque statura procerior, neque habitudine præstantior, neque membrorum robore firmior, non denique valentior, sanior, atque speciosior. Oris enim venustate alliciebat cunctos, maiestate conterrebat, comitate verò & affabilitate deuinciebat: eaque insuper salubritate fruebatur, vt vitam prope indolentem transegerit: egrotasse siquidem nunquam, nisi appropinquante obitu, vitus fuit. Quin, tanta etiam modestia, & tēperantia præditus erat, vt Regum nullus in cibo & potu fuerit illo parcius; nullus in voluptates delapsus tēperantior; atque in dictorum simul & factorum moderatione nullus circumspectior. Ad hæc, si ad fortitudinem, & armorum tractationē, vnde expugnatoris cognomentum adeptus est, deueniamus; quem triginta contra sarracenos prælijs interfuisse, præfuisse, ac vicisse comperimus, num clarissimæ fortitudinis, reliquarumve virtutum bellicarum expertem iudicabimus? Aut eum etiam, qui nihil non magnum aggressus est, ac neque vnquam ab incepto desistit, sed voti semper compos euasit, inconstantem dicemus? Verum neque à clemente seiungemus, propterea quòd in vnum dumtaxat impium, aotum, & conspirantem filium, iuste se præbuit acerbum; cum in reliquos omnino homines, & populos, præsertim supplices, semper mansuetus fuerit, ac perbenignus. Ijs adde humanitatē, qua virtute excelluit tantoperè, vt nūquam insolens ac superbus; sed omnibus facilis ac indulgens, atque cum grauitate semper extiterit humanissimus. Iam vero liberalitas & magnificētia, debitæ Regibus virtutes, ab eone abesse poterāt, qui nihil ferè sibi in expugnationibus retinuit, omnia diuisit, cunctos locupletauit? Patientiam, cum vbi oportuit, semper habuit; tum incredibilem cum Sanctio & Ferdinando patris, perpetuis suis æmulis, atque insidiatoribus sustinuit. At, si veram eius in amicos fidem, constantiamque promissorum in hostes, consideremus; eximia in vtrofque, pluraque, tum officia, tum grati animi

animi beneficia contulit. Ac si iustitiam & misericordiam, præcipuas Principum virtutes, adiungamus; vtramq. sic coluit, vt per eas, nullus, neque magis amandus, neq. magis timendus Rex fuerit: ex quibus maior illum, quam quemquam Regum consecuta fuit felicitas; cum & annis plus sexaginta regnauerit; & posteris non modò duplo maiora quam acceperat, pacata Regna reliquerit: sed ea etiã quæ posteà apud exterarum gentes, & terras vltimas, ab eisdem adeptæ sunt, illi vni accepta ipsi referre debuerint. Totius enim Hispaniensis Imperij fundamenta posuisse illum, cum ex historijs, Regumque Annalibus compertum est, tum in ipsa operis præfatione satis superque à nobis probatum. Quod si tandem non minor est virtus, quam querere, parta tueri, quid nobis, quæso, felicius? quid illi etiã gloriosius? quam, ne vnum quidem palmum, quod dici solet, terræ, quam semel cepit, atque in ea pedem posuit, amisisse vnquam? quin immò suis successoribus Regna vsque adeo fixa tradidisse; vt ea, diuino munere, post tot sæcula, in hunc vsque diem, tanquam facta te cta, & summa cum religione Christi firmata, & magna cum Regum gloria conseruata videamus?

¶ *Law Deo:*¶ *Errata:*

Pagina 17. linea 9. inuectio, non inductio. pag. 34. lin. 4. incolumem, non inoffensum. pag. 62. li. 22. itaque, non ideoque. pag. 67. lin. 22. aggreditur, non aggrediens. ead. lin. post breui, adde q. pag. 73. lin. 33. non consulto, dele inconsulto. pag. 96. lin. 7. dele per. ead. pag. lin. 23. huncque ad Regna, non huiusque Regni. ead. pag. lin. 26. dele Regni. pag. 97. lin. 13. remiserunt, non remisit. pag. 98. lin. 21. dele quæ. pag. 102. lin. 1. Colubrariæ, non Columbariæ. pag. 109. lin. 6. ostendendo, non ostendens. pag. 110. lin. 33. dele tenus. pag. 119. lin. 31. ducendam, non ducendam. pag. 120. lin. 1. discesserant. pag. 123. lin. 17. tricenos. ead. pag. lin. 22. ephippijs. pag. 128. lin. 6. dele se. pag. 131. lin. 10. descuerunt. pag. 136. lin. 7. adde significauit. pag. 144. lin. 19. detrectandâ. pag. 158. lin. 5. progrediētibus. pag. 168. lin. vlt. dele nullo impediēte. pag. 179. lin. 3. dele sese. pag. 183. lin. 16. oppida. pag. 188. lin. 2. dele fit. ead. pag. lin. 16. propugnatione. pag. 190. lin. 2. sarracenis. pag. 194. lin. 8. dele se, pone nos. pag. ead. lin. vlt. adiuturus. pag. 214. lin. 14. transgressum. pag. 222. lin. 19. dele sibi, pone Regi. pag. 227. lin. 24. eadem non infidem. pag. 233. lin. vlt. dele in se. pag. 236. li. 33. dari. pag. 266. lin. 2. post Valleolum, adde igitur. pag. ead. li. vlt. dele interea. pag. 268. lin. 19. eripuerunt. pag. 272. lin. 8. pactione facta. pag. 278. lin. 24. persuadens. pag. 279. lin. 23. ipsos, non illos. pag. 283. lin. 15. dele nos, pone se. pag. 297. lin. 34. dele sicque. pag. 345. lin. 17. Aquæ mortuæ, non aquæ sextiæ. pag. 389. li. 18. dele de illis.

Finis.

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QUÆ HISCE 20. LIBRIS CONTINENTVR.

- A**
Abeniusephus Miramamolinus magnum in Baticâ exercitum parat. pag. 378. Eiusdem aduentus, doli, & machinationes. 380. Eiusdem exercitus, equitum septedecim millium, peditum infinitus. 381.
 Abeniusephus praelio capit Sanctum Archiepiscopum Toletanum, qui à præfecto Malacitano obruncatur. 383.
 Idem cum Granatensi Rege subsidia mittit sarracenis Valētinis ad conspirandū. 386.
 Abuzethius portoria Iacobo dat, vt ab obfidione Peninsula discedat. 59. idē à Zæne pulsus ad Iacobum venit. 92. eius aduentus causa 93. idem etsi Christianus ritum tamen viuens Mahometico, ab Antistite Cesaraugustano reprehenditur. 173.
 Aetas nostra non minores triumphos nostris attulit, quam olim Romanis sua. proce.
 Affinites amicitiarum conciliatrix. 172.
 Alamanij vehemens oratio pacem dissuasit cum Reia boigo Rege Balearico. 118.
 Alazadrachus, parum absuit, quin in insidijs, Iacobū caperet. 287. eiusdem genus, mores & ingenium, atque dolosa cum Iacobo familiaritas ibidem. eo duce sarraceni Valentini conspirant contra Christianos. ibidem. eodem à Iacobo è Regno pulso, Alfonsi Castellæ astutia & artes coniderunt. 294. eiusdem interitus. 387.
 Albarraxini descriptio, & obsessio. 41. eiusdem oppugnatio intermittitur, insidiarum causa. ibidem.
 Albarraxini dominus abeunti Iacobo occurrit, eique se dedit. 42.
 Albarraxinense bellum feliciter confectū fuisse ostenditur. 43.
 Alberi, & Licianæ expugnatio primū belli tyrocinium Iacobi. 39.
 Albigensum heresis Lateranensi concilio damnata. 28.
 Alcanizij perinsignis in Aragonia oppidi descriptio. 149. ibique à Iacobo Valentini Regni deliberata expugnatio. 150.
 Alcalana Arx cum propinquis oppidis se Iacobo dedit. 166. eadem Vrræ & illius posteris à Iacobo datur. ibidem.
 Alcocerij territorium pinguisimum, & oritur affluens. 168.
 Alcodiani Contestani. & strenuè se defruderunt, & Alazadrachū ducem interimunt. 387.
 Idem fugientes hostes insculti in eorum insidias incidunt & trucidantur. ibidem.
 Alexandro, Pyrrho, & Cesari Iacobus comparatur. pag. 1.
 Alfambra oppidū Turolio propinquū. 153.
 Alfonsus 2. Iacobi auus Matildam Imperatoris Græci filiam vxorē petiit. 4. eius matrimonij Sanctia Regis Castellæ filia intercipit. 5. idem mortuus in Zenobio Populeano sepelitur. 9. quot reliquerit filios, & quæ eis bona diuiserit. 10.
 Alfonsi Regis Castellæ liberalitas in spolijs bello Idubedensi partis diuidi. 16.
 Alfonsus Leonoræ filius, legitimus à Legato, instate patre, declaratur. 261. idem hereditario iure omnia paterna Regna repetit. ibidem. idem Princeps Aragoniæ constituitur. 262. à patre disidet, eiusque partes multi sequuntur. 263.
 Alfonsus Princeps patrem Barcinonem comitatur, eidemque & fratribus reconciliatur. 286. ad seruanda promissa quo pacto à patre deuinciatur. ibidem. Aragonio & Valentino Regno proficitur. 294. heres Valentini Regni constituitur. 301.
 Alfonsus Constantiam Moncadam vxorē duci,

I N D E X.

ducti, & post nuptias in morbum incidens moritur sine liberis. 303. eidem mortuo Petrus & Iacobus fratres iusta persolunt. 304. eiusdem cadaver in templi maximo delatum est, & in sacello patris conditum.

Alfonfus Castellæ Rex mortuo Ferdinando patre ab auita generositate coepit deflectere. 284. odio Iacobi Iolantē uxorem repudiare tentat, filiam Noruegiæ Regis uxorem petens. ibidem. mouens bellum contra Iacobū, ab eoque repulsus ad noua parta descendit. Christianam Noruegiæ Regis filiam fratri suo in uxorem dedit, & cur. ibidem.

Alfonfus mortuo Tibaldo Rege Nauarræ bellum infert. 285. Iacobū inuitat ad nuptias Blanca filia Burgis celebrandas. 346. eiusdem in nuptijs munificentiæ & liberalitatis singularis. 347. idem à suis exorsus quia difficilis, & à negotijs publicis abhorrens. 348. Astronomiæ peritissimus. ibidem. eius ingenium & mores. ibidem. præceptorū quæ ei Iacobus ad Remp. benegerendam tradiderat oblitus, insolentius se & deterius gerit. ibidem.

Alfonfus & Iolans Valentiam ad Iacobum veniunt. 350. idem apud Alicantiū Aragonenses proceres Iacobo suspectos reddunt. ibidem. idem ad Pont. in Galliam profecturus Barcinonem venit, eiusque aduentus causæ futiles redduntur. 370. 371. idem à Pont. re infecta discedit. 372.

Alfonfus Toletum reuersus, Regis Romanorum insignibus & sigillis utitur. 373. idem ob concessas à Pont. decimas, Imperij cogitationes abiicit. ibidem. fratris & procerum conspirationem metuens Regno excedit. ibidem.

Alfonfus Petri filius Ilerde ab omnibus successor in Regna admittitur. 377.

Algemexinum oppidū insigne moretis & serico. 168.

Algezirani territorij descriptio. 167. ibi fossa aquaria è Sucrone deducta Iacobi opera. 168.

Algezirani in suspicionem Iacobo veniunt cum Castellanis agentes. 264. eorum præfectus cur oppidum deseruerit, & in Castellam abierit. ibidem.

Algezirani à præfecto deserti sub certis conditionibus Iacobo se dedunt. 265.

Algezira insignis oppidi descriptio. ibidem.

A honesti cum Iacobo iurgium, comprellesio, fuga, interitus, & tumultatio. 62. 63.

A honesti interitus, Sanctij & Ferdinandi insidie, & consilia euersa. 64. indeque multa secuta commotiones. 65.

Alicantum vrbs cum eius portu describitur. 331.

Almenara oppidum Sagunto proximum olim Alcymene. 167. Iacobo cum arce sub pactis deditur una cum castellis Vallis Vxonis, Nulesio & Alsendeicho. 201.

Almazora oppidum Burriana propinquum capitur. 169.

Almuguares prætorie cohortis unde dicti, eorumque præbandi vsus. 202.

Almuguares exploratore aduentantes Granatenses Iacobus insequitur. 325.

Aragoniæ Reges in Xenobio Populetano sepelebantur. 9. Idem Pont. Max. priuilegio ab Archiepiscopo Tarraconensi diademata sumebant. 12.

Aragonensium quevela de plebiscitis Valentinis non Aragonensilingua scriptis. 225. eorundem lingua unde profecta, & cui propior. ibidem. Ideo sermo eorum purior & Latinus magis, quod Aragonenses vicinarum confusionem linguarum studiosissime declinarint. 227.

Aragonensium mores & ingenia. 316.

Ares oppidi descriptio. 153. idem à Turulensibus præditijs capitur. ibidem.

Aspurgus Antistes Tarraconensis discordias inter Iacobum & Ferdinandum frustra componere studet. 68.

Aurea Chersonesus à Lusitanis peragrata. proæ.

Aurembaxis Vrgelitani Comitum filia auxilium petit à Iacobo ad recuperandum Comitatum

I N D E X.

mitatum. 78. Recuperat eundem Iacobi op: & exercitu, quem contra Gerardum, & alios comparauerat. 82. Nubit Petro Portugalsi, Iacobo procurante. ibidem. Mortua eadem Portugalsensem Comitatus Vrgelitani relinquit heredem. 138.

Axem alterius orbis Romanis ignotum, Hispani perlustrarunt. præfa.

B

Blagnerium, & alia oppida à Iacobo in gratiam Aurembaxidis expugnantur. 80. Eius descriptio, & obsessio. ibidem. Eiusdem ager & Suburbana vastantur. 81. Traditur tandem Iacobo, & Aurembaxidi. ibidem.

Balearici suscipiendi belli occasio. 85. Eiusdem à Retaboigo Rege data. 86.

Balearium maior omnium rerum copia affluens. 113. 114. A Cosmographis aurea depingitur. & cur. 87.

Balearicum in bellum à Iacobo propositum bonaticum conceditur. 88. idem bellum quibus initum fuerit pactis, & qui nam electi iudices ad spolia diuidenda. 90. Qui nam Proceres, Antistites, & Barones se se Iacobo ad illud obtulerint. ibidem.

Balearici belli exitus quantus fuerit. 98.

Balearium maioris descriptio. 100.

Balearici fortissimi sarraceni conflictus cum Iacobo & socijs. 103.

Baleares proceres Retaboigum ad diditionem adhortantur. 116. vrbs expugnationem, & diremptionem, Vide in dictione Maioris.

Baleares in montanos bellum mouetur. 127.

Balearium montana vberissima, & fertilissima, Crypta, & spelunca asperissima, & inaccessa. 129.

Balearicos sarracenos consultius visum est in Insula retinere, quam expellere. 130.

Balearicus cognominari voluit Quintus Cœcilius Metellus, ob deuictas à se Baleares. 131. Eadem ad Christianam Religionem à Iacobo traductæ nunquam ab ea desciverunt. ibidem.

Balearium commune odium in externos hostes, & in se inuicem intestinum. ibidem. In vindictam propensio, & quibus eam modis exercebant, eorumque canes efferati, & ad dilaniandos homines assueti. ibidem.

Baleares qui dicti Cerniorum lingua, ab Aristotele cur mulierosi appellati, eorumque præcipua arma funda, & canes contra Piratas. 132.

Baleares Insula à multis olim expugnata, sed à solo Iacobo expugnata, & retenta. ibidem.

Balearium maiori præficitur proprius Antistes, & Decima à Iacobo conceduntur: ac Templum, & alie sacre edes per Insulam adificantur. 133.

Balearium Minoris descriptio, & in expugnanda ea stratagema. 146. 147. Eiusdem intellecta expugnatione, montani Maioris sponte se dedere. ibidem.

Balearium Minor Iacobo ad Hierosolymitanum bellum proficiscenti mille boues dat. 343.

Balearium maiori imperata pecunia quantum acceperit Iacobus. ibidem.

Bairena, siue Gandiana, atque Oliuana conuallis descriptio. 253. 254. Eiusdem arx Iacobo traditur. 255.

Barbastrum ciuitas cum eius agro describitur. 306.

Barcino vrbs Hispania nobilissima. 29. ubi conuentus fuere indicti ad Balearicum bellum. 88.

Barcino vrbs. describitur, caput Catalonia Principatus esse ostenditur, & quibus maxime præstet. 343.

Baronia Arenosa in Montanis Exericani agri posita. 260.

Bellum sacrum contra Valentinos Mau-

I N D E X.

ros à Iacobo struitur. 56.
 Bello quam pace delictis conuere longè per-
 nitio, fuis. 259.
 Benefacianum cœnobium in montanis Der-
 tofani agri cur à Iacobo ex. edificatum.
 277.
 Benearnensis, & Nunnij dissensio, quo pa-
 cto à Iacobo fuit sedata. 46.
 Benearnensis, & Raimundi Moncada cum
 alijs suæ familiae Balearico in prælio inte-
 ritus. 105. Eorundem cadauera magnum
 planctum mouent. 108. Eadem magna
 pompæ elata conducuntur in castris. 109.
 Berengarius Entensa morte Guillelmi dux
 belli præficitur apud Eneasam. 199. idem,
 qui à Iacobo defecerat, reconciliatur.
 256.
 Berengaria Emanuelis filia à Iacobo data
 fide, in contubernium admittitur. 327.
 Eadem moritur, & Iacobum heredem
 relinquit. 356.
 Bernardus Argentona primipilus Baleari-
 co bello, Pontia oppido meritis à Iacobo
 donatur. 103.
 Biarum oppidum Iacobus à primatibus
 sollicitatus, obsidet & oppugnat. 279.
 280. oppidani ijsdem quibus Setabitani
 conditionibus Iacobo se dedunt. ibi-
 dem.
 Biarum cur à Romanis dictum Apia-
 rium, melle circumfluit excellentissimo.
 281.
 Blasius Alago procerum nobilissimus. 37.
 idem cum Abuzethio Valentinum Re-
 gnum ingreditur. 93. idem captam Mo-
 rellam Iacobo tradit, & compensationem
 habet. 155. Idem Morella dum uiuit do-
 nat. 171.
 Boatellana turris Valentie oppugnatur, &
 succenditur. 212. ac una cum presidarijs
 comburitur. ibidem.
 Bona triplicita, sicut & tempora, quomodo
 sibi diuisa habeant Aragonia, Catalonia,
 & Valentia. 238.

Bouaticum tributum, quid, & quibus de
 causis Regibus à Catalanis concessum. 31.
 illud Iacobo Montioni è custodia egresso
 datur. ibidem.
 Burrianensis planitie vndique montibus &
 mari conclusa descriptio. 158.
 Burriana oppidum obsidetur, multis adhi-
 bitis machinis. 159. Eius solum cur agen-
 dis cuniculis ineptum. 160.
 Burrianensis in obsidione exercitus fame pre-
 mitur, & liberatur. magna etiam labo-
 ratur pecunie inopia, cum alijs multis bel-
 li difficultatibus. ibidem.
 Burrianensi obsidioni Guillelmus Aquita-
 nus ex causa præficitur: idemque sagit-
 ta ictus à Iacobo curatur. 163.
 Burrianensi in bello Iacobus cum multa a-
 lia, tum facinus stupendum pro salute &
 honore exercitus in se ipsum aggreditur.
 154.
 Burrianenses nimia fatigati obsidione de-
 ditione agunt. 165. Nullesum cum
 omni re abeunt, & oppidum Iacobo re-
 linquunt. ibidem.
 Burriana tertia pars datur Templarijs, e-
 iusque præsidio. Petrus Cornelius præfici-
 tur. 165.

C

CæsarAuguste in custodia Iacobus
 & Regina recluduntur à Ferdi-
 nando, & Ahonesio, semotis omni-
 bus Regijs seruicij, atque solis relictis. Et
 quanta fuerint in ea passi. 52.
 CæsarAugustani ciues odio fuere Iacobo ob-
 disimulatâ Regie personæ reclusionem. 55.
 CæsarAugusta, privilegia, & plebiscita Iac-
 obus confirmat. 55.
 CæsarAugustanus conspiratorum exerci-
 tus in insidijs incidens, à Regio intercepti-
 tur, & trucidatur. 67.
 CæsarAugusta & ciuitatum montaneorum
 conspiratio. 73.

Cæsar

I N D E X.

CæsarAuguste à popularibus subito favore in
 magistratus iniecta manus, & eorum pri-
 mus consul necatus. 384.
 Calataubium oppidum insigne secundas te-
 net in Aragonia. 92.
 Calatrava summa præfectura apud Ara-
 goniam, Alcantarij sita. 116.
 Carolus V. Cæsar Mediolanensem Princi-
 patum obtinuit, atque Occidentales In-
 dos debellauit. præf.
 Carrozius præfectus maris militare aucto-
 ramentum à Iacobo accipit. 112.
 Castides CæsarAugustana præcellent. 104.
 Castellia oppidum Biarro propinquum Ia-
 cobo deditur. 281.
 Castra militaria non plures, aut diuerso-
 rum sunt, sed una perpetua domus Imper-
 atoribus. 259.
 Castrorum familia à Ferdinando Sanctio Ia-
 cobi filio ducta, & à Castro oppido de-
 nominata. 376.
 Castulo, & alia oppida planitie Iacobo se
 dedunt. 166.
 Catalanorum mos in conuiuando, raro, sed
 splendide. 86.
 Catalonia descriptio triangulo demonstra-
 tur. 90.
 Catalonia abundè suppeditat omnia ad ex-
 truendas classes. 98. Eiusdem, & A-
 ragonie limites circumscribuntur. 263.
 Cauus per magnus Aragonie mons. 45.
 Cerebellonium oppidum Guillelmi Monca-
 da à Iacobo receptum. 48.
 Christina filia Regis Noruegie, accessit in
 matrimonium, ab Alfonso Castelle,
 Philippo fratri datur in uxorem. 284.
 285.
 Christianorum acerrima cum sarracenis
 pugna, & victoria apud Eneasam. 189.
 Cillia oppidum ab Vrrea, & Assagra oppu-
 gnatum deditur. 208.
 Chiua oppidum insigne, fonte insignius.
 256.
 Ciuitates coniuratorum quibus pactis Iaco-
 bo reconciliantur. 78.

Classis xl. nauium ad Balearicum bellum.
 98.
 Classis Barcinone struitur in expeditionem
 contra Hierosolymitanam terram.
 347.
 Cloacarum Valentinarum admirabile opus.
 233.
 Cocentanea oppidum insigne Contestano-
 rum. 293.
 Coelebs in Rege vita improbat. 172.
 Calibum Alexandri, & Iulij Cæsaris ex-
 plum traditur. 273.
 Cœnobium Cartusianorum Portaceli ab E-
 piscopo & Canonicis Valentinis funda-
 tum, & erectum. 273.
 Cœnobium Benefacianum cur à Iacobo ex-
 edificatum, vide in dictione Benefacia-
 num.
 Cohetes nomen tormæ ignei, unde dictum.
 209.
 Cœnobium Valdigne à Iacobo 2. Rege ex edi-
 ficatum. 253.
 Cometa futuros rerum euentus prædicant.
 243. idem multorum impendentium ma-
 lorum Principes admonere videntur.
 424.
 Cometa qui apparuit anno 1577. quæ bella
 & Principum interitus portendit, enar-
 rantur. 245. idem consecuto sex magnorū
 Principum interitu prædictionem nobili-
 tauit. 148.
 Concilium prouinciale Mompellerij celebra-
 tum contra Albigeneses. 29.
 Concilium Lugdunense Iacobi tempore.
 360.
 Consilium senum conuenit cum sententia in-
 ueniam ad facinus aggrediendum. 7.
 Consilij, & atatis maturitas necessaria Im-
 peratori ad externa duenda bella. 83.
 Constantia Manfredi Regis filia proponitur
 Petro cum magna dote. 304. Eius mat-
 rimonium ab omnibus probatur; ab Urbano
 vero Pont. execratur. 305. Eadem Mō-
 pellerium ducta nuptias iungit cum Pe-
 tro. 308.

I N D E X.

Controuersia Iacobi, & Nunnij de ditio-
bus componuntur. 180.
Controuersia Guillelmi Scribani & genera-
lis questoris, sententia Iacobi componitur.
350.
Controuersia Romæui & Iacobi insigni de
caussa orta. 258.
Contestania tertia Valentini Regni pars à
Iacobo expugnatur. 240. Eadem se Iaco-
bo tota dedit. 181.
Cōuentus primi à Iacobo Ilerde indicti. 29.
quib' ceremonijs publica ei fides data. ibi.
Conuentus frequentes quibus medeantur
Reipub. malis. 38. in conuentibus mos oppo-
nendi sese Regibus à proceribus, & alijs,
unde, & quibus de causis, ostenditur.
318.
Cuillani Imperatoris Tartarorum Legati
ad Iacobum veniunt Perpiniatum. 332.
Eodem die Ferrentius Liciana Iacobum
prouocat, cuius responsum, vide in dictio.
Dictum Iacobi ad Ferrentium.
Cuniculi in expugnatione maioris vrbis Ba-
learium, vtrinque fiunt. 115.

D

Daudi similis similem Iacobo visus
est veniam obtinuisse ob commissâ.
278.
Defectio totius Aragonensis Regni à Iaco-
bo fit CasarAugusta, auctore Ferdinando,
& que oppida ab illa disenserint. 66.
Defectiones Solis, & Lunæ futuros rerum
euentus, non tam prædicere, quàm efficere
vide in dictione Cometa.
Delicto in presentia Regis perpetrato con-
tinere non decet. 159.
Dertosa vrbs descriptio. 55. Dertosani Sag-
gitarij, & Baleares funditores. 325.
Dictum Iacobi de gruibus apud Burria-
nam. 167. Eiusdem ad Lopezium. 194.
Eiusdem ad Romæuum, 259. Eiusdem de
Mompelleriensi patria. ibidem. eiusdem
ad Regem Castellæ. 294. eiusdem de Cæ-

sarAugustanis, & Turolensibus. 322.
eiusdem in obsidione Murcia. 328. eius-
dem ad Ferrentium Licianam. 332. eius-
dem de bello quod fama non manu con-
fecerat. 302.
Didacus Lupus Pharenfis ad Iacobum de-
ficit, ac 50. equestria stipendia accipit.
295.
Disceptatio de commodiore loco ad obsiden-
dam urbem Valentiam. 206.
Discordia sarracenorum Hispaniæ magna
ocasio ad Valentinum bellum inueni-
dum. 152. diuisa sunt debilitata coniunctis.
ibidem.
Discordijs Castellæ Regis, & eius fratrum
quofuit deducta res. 285.
Diuisio agrorum Valentie magnam habuit
difficultatem. 219. quibus fuerit com-
missa, reuocata, & ad priores relata. 230.
Diuisiones agrorum quo pacto Iacobus au-
xerit, ac conduplicauerit. ibidem.
Diuisio Regnorum denuò à Iacobo facta.
268.
Diuortium auctoritate Legati Iacobus cū
Leonora fecit. 96.
Diuortio non obstante Alfonso filius decla-
ratur legitimus, & successor in Regna. 97.
Diuus Georgius trium Regnorum patro-
nus, & quod præliantibus Christianis ap-
paruit, & fuit. 190.
Dominicana religio & societas quando in-
stituta. 36.
Dominicus Hispanus in numerum sanctorū
refertur à Gregorio 9. Pont. 180.
Ducum auaritia quanta sit in castris. 3.
Dux Albanus Hispanorum bellicosissimus.
148.

E

Ebusus & Frumentaria Insule descri-
buntur. 176. & ab Archiepiscopo
Tarraconensi expugnantur. 177.
Echeneus siue Remora pisciculus, quanta pos-
sit, auctore Plinio. Eius exemplum accom-
modatur. 312.

Egidius

I N D E X.

F

Egidius Sanctius Munocius ciuis Turolensis
ditissimus & prudentissimus. 60.
Emporitanus comes odio in Petrum, eius op-
pidum Figueras cum agro diruit, & vasta-
uit. 368. idem venit ad Iacobum Valen-
tiam subsidio, cū magna manu equitū. 366
edicit Iacobus ne quispiam Petrum cōtra
Emporitani sequatur. ibidem.
Eneſe arx à Zaene diruta, à Iacobo denuò
exædificatur. 184. Eidem præficatur Gui-
Entensa. 185. Eiusdem pugna & victoria
admiranda contra sarracenos. 189.
Eneſiana in pugna apparuit diuus Georgius.
190. supplicationes vbique decretae pro
victoria. 191. Templum in loco pugnae ædi-
ficatur, & ibi multa de templo, cymbalo,
& simulachro virginis sub terram inuen-
tis. 193.
Enguerani 17. numero suspenduntur ob de-
trectatam deditonem, & ludibrium Iaco-
bo illatum. 270.
Enricus Alfonsi Castellæ frater ab eo cum
alijs ad Iacobum deficit. 298.
Execam Albarraxini Iacobus petit venan-
di a pros causa. 153.
Execa cognomento equitum insigne Ara-
goniæ oppidum. 320. in eius conuentibus
Regijs, que scita promulgata fuerint. 321.
Execa secundis cōuentibus Iacobus arma im-
pediuit, & Petrum procuracionem Regni
deponere iussit. 352.
Exerica nobile Aedetanorum oppidum na-
tura munitum. 157. Biusdem agri de popu-
lato, & cōflictio cum oppidanis. ibidem.
Exercitus Iacobi ad expeditionem Hieroso-
lomitaniæ quantus fuerit. 345. idem na-
uibus impositus horribili tempestate impe-
ditur, ne cursum teneat. ibid. persuasione
Antislitis Barcinonensis, expeditio dimit-
titur. 344.
Expeditio in Murciaenses CasarAugusta pro-
mulgatur. 321. ubi equitum ad duo millia
conscripta, recensita verò ad sexcenta re-
ducta. ibidem.

Ferdinandus Iacobi patruus iuris sui ad
Regnum compensationem habuit. 34.
idem Abbatia montis Aragonum dona-
tur. 35.
Ferdinandi & Ahonesij fraude Iacobus, &
Leonora in custodiam mittuntur. 52. idem
honores & vectigalia Regni inter se par-
tiuntur. 54. idem Iacobi, quem concessis
quibusdam postulatis, è custodia emisse-
rant, conatus infringere student. 55. 56. idē
Fer. cum Ahonesio prosperis Iacobi suc-
cessibus vritur. 61. Iacobum interempto
Ahonesio insectatur. 65. Catalanos ad
defectionem sollicitat. 66.
Ferdinandus alijs que proceres Iacobo recon-
ciliantur. 74. quem ab obsidione Burria-
nensi deducere nituntur. 161. idem cum a-
lijs proceribus Vilienam obsidens ab oppi-
danis repulsus. 255.
Ferdinandus Iacobum, ut à Burriana obsi-
dione discedat, oratione suadet. 162. idem
audita morte Guillelmi Ducis, Iacobum
ab Eneſiana expeditione diuertere co-
natur. 197.
Ferdinando Iacobi filiolo mortuo noua inter
superstites, Regnorum facta diuisio. 274.
Ferdinandus 3. Castellæ Rex Hispali mori-
tur. 282. eius, licet æmuli, interitus Iaco-
bo acerbissimus. ibid. & cur. 283. Eidem
iustā à Iacobo cum cantu & laudibus Va-
lentiæ persoluta. ibid.
Ferdinandus Sanctius Iacobi filius à patre
dissentiens, caput reliquorum cōspiratorū
seipsum cōstituit. 316. Eo duce populus &
proceres querelas de Rege habent. ibidem.
Ferdinandus Sanctius, & Simon Virea. Hie-
rosolymam cum media classe perueniunt.
345. idem ab Hospitalis magistro & Chri-
stianis cum alacritate excipiuntur. 346.
idē quā venerunt remigrant, frumento
& com meatu Hierosolymitanis diuiso,
nullibi auxilijs Paleologi & Tartarorū
comparentibus. ibidem.

Ce 3 Ferdi-

I N D E X.

Ferd. Sanctius ad Siciam appellens à Carolo Rege honorificè splèdideque excipitur, & militaris quicioramenti dignitate decoratur. 346.
 Ferdinandi Sanctij, & Caroli amicitia Petro Principi suspecta. 346. idem Sanctius, & Vvrea cum alijs aduersus Petrum, & Iacobum Principes coniurant.
 Ferd. Alfonsi Castelle f. Burgis exiens cum exercitu, febre correptus interit. 383. Eius frater Sanctius tanquam successor Regnū occupat, & Maurusios persequitur. ibid.
 Ferdinando V. Hispania Rege Granatense Regnum debellatum est, & nouus ad Occidentem orbis repertus. pref.
 Ferrerius Liciana Aragonē is Regulus Iacobum ad singulare certamen prouocat. 333.
 Fides publica Iaco. quibus in conuentibus ceremonijs primo data. 29.
 Flumen oculorum Algezirensi in agro cur sic dictum. 167.
 Folchius Cardonensis Iacobo contra conspiciantes praesto est cum suis. 66. cum Artalo Alagone Vilienam diripit. 220. idem à Saxianis repellitur, & Artalus lapide iectus moritur, cuiusque cadaver Valentia deducitur. ibid. idem renuit Iacobum in bello sequi. 356. Eius partes secuti Catalonia proceres, à Rege discedunt. 357. idem sese opposuit. Iacobo bouaticum petenti in conuentibus. 318.
 Franciscana societas quando instituta. 36.
 Franciscanus monachus Iacobi postulatà oratione cohonestare volēs, derideretur. 315.
 Franciscus Italus à Grego. 9. Pont. Max. in numero Sanctorum reponitur. 180.
 Fundibulum machina, seu iugens tormentum bellicum. 39.

G

Gallicia Rex, & Iacobus conueniunt apud sacram Podiensem eodem. 269.
 Gadii eiusq. mirae feracitatis descriptio. 252.
 Gerundensis in Ecclesia presbyter unus cur

à Iacobo constitutus. 277.
 Granatense Regnum à Ferdinando Rege debellatum. praef.
 Granatensis Rex Abeniusephi aduentum in Beticam sollicitat, eique Algeziram & Tarifam Beticæ oppida pro obsidibus dat. 381.
 Granatensi & Abeniusepho auctoribus Valentini sarraceni conspirant. 385.
 Granatenses equites numero quingenti Lucentum oppidum diripiunt. 388.
 Graum oppidulum Valentini litoris cur ita dictum. 203.
 Gregor. 9. Pont. Max. Iacobum ad Valentinum bellum cohortatur. 152.
 Guillermus Aguilo Valentini orum captiuus magno eorum malo redimitur. 176. idem Enefiano in bello strenue se gerit. 190. idē absente Iacobo in foderatos sarracenos grassatur. 249. Eiusdem causa, noua apud Contestaniam sarracenorum fit conspiratio. 250.
 Guillermus Aquilonem, auxiliandi causa, & quinque alij duces cum armato milite sequuntur, & urgentibus sarracenis Lucentum se conferunt. 250. quomodo se ad pugnam comparat, & quae secuta miracula fuerint, vide in dictione, Lucentum.
 Guillermum Entensam ad suscipiendam Enefianae arcē Iacobus hortatur. 185. Eisdem socij dantur Berengarius Entensa, & Aquilo. ibid. Eiusdem instante pugna Enefiana ad milites oratio. 188.
 Guillermi Entense mors Iacobum vehementer afflixit. 197. Eius filius militari auctoramento, & pradijs paternis à Iacobo donatur. 199.
 Guillermus Moncada Comitatum Ruscinensem depopulatur, & Gisbertum Barberanum Perpinianensem ducem bello denicit. 48.
 Guill. Medione Catalani in cluxa virtus. 106

H

Hirundo in vertice Regij tabernaculi nidificans.

I N D E X.

cans, iussu Iacobi immoto tabernaculo, cōseruatur, quoad pullos excluderet. 226.
 Hispana lingua à Romana & Graeca deducta. 227.
 Hispana gens prima sola que ausa est ad Occidentales Indos nauigare, cuiusque imperare, eorum Regnis, urbibus, prouincijsq. nomina imponere. praef.
 Hispanorū vna, aut altera centuria, plures simul Indorū Myriades sepe deuicta. ibi.
 Hispania, Philippo 2. imperante, in maiore quam alia, orbis Monarchiam euasit. 248.
 Historia Iacobi cōscribēda ratio & causa. 1.
 Historico dux veritas, imperatoris mentes comes. 2.
 Historiarum lectio Regibus utilis & per necessaria. 3. Historicorum libertas in admonendis Regibus: & quod Historiam suā Iacobus manu propria scripsit. 4.
 Honorius Pont. Iacobum sub protectione sedis Apostolicae suscipit. 30. eundem Principibus Aragoniae & Cataloniae viris committit instituendum. ibid.
 Horta oppidum Cataloniae, olim Templariorum. 56.
 Hospitalarijs absentibus apud Baleares, in diuisione praediorū reseruaata portio, ut praesentibus. 128. Eisdē locus datus in vrbe maiori ad condendū Xenodochium. ibidem.

I

Iacca vrbs situs breui describitur. 73.
 Iacceranus nummus primū à Iacobo percussus. 73.
 Iacobi nomen apud Aragonenses mirè celebratum, quantūque exultarint letitia imposito illo Hispaniae Principi Philippi filio. Huic non tam plura Regna, quam numē & sapientia ad illa regenda desideratur. praef. Eiusdem indoles quantam spem afferat, ut moribus & factis Iacobum primum exprimat. ibid.
 Iacobus triginta praelia commisit, totidemque victorias reportauit vix annum inte-

grum ex 60. quibus regnauit, à bello abstinent. idē. Tria Regna debellauit, & bis mille templa edificauit. 3. Eius praestantia, & religio insignis. ibid.
 Iacobi conceptio admirabilis, & singularis. 15. Eiusdem natalis & lustricus dies miraculis & mysterijs plenus. 17. & cur Iacobi nomen impositum, ibid.
 Iacobi educationem Petrus pater aspernatur. 20. idem educandus Simoni Monfortio traditur. 21. Renunciatur Rex anno aetatis suae nono. 30. Eiusdem nutritius Moredonius Promagister Templarius apud arcem Montionis. ibid.
 Iacobus è custodia educitur, vbi triginta menses exegerat. 33. A puero magnis Regni negotijs interest. 34. Eiusdē primum belli tyrocinium anno decimo vix completo. 38.
 Iacobus Guillermum Moncadam persequitur, & centum triginta illius pagos, & oppida capit. 48. Legoram anno aetatis duodecimo vxorem duxit, sed intra sesquiannum propter aetatis imbecillitatem ad eā non accessit. 45.
 Iacobus Regulos ad conuentus venire recusantes bello persequitur. 47. Eiusdem in custodia retenti, oratio ad Ahoncium. 53. Quid inde sequutum fuerit. 54. 55.
 Iacobus bello conspiciantes persequitur. 67. Eorum arcēs & oppida in montanis capit. ibid. Aduentantem potentioris hostilem exercitum, dissuadentibus omnibus, viriliter expectat. 68.
 Iacobus iure prius quam bello cum suis agebat. 79. Eius feruens praeliandi studium cōtra sarracenos. 83. idem pugnandi cupiditate victorias quasi venabatur: idēque sepe rei frumētaria minus consulebat. 104.
 Iacobi iusurandum contra Retaboigum Regem Balearicum. 110. idem sapienter, non esse uocū, sed luce urbem inuadendam tenuit. 122. Milites urbem maiorem inuadentes prudenti oratione confirmat. ibidem.
 Iacobus victor urbem maiore ingreditur, di-

INDEX.

ripit, Retaboigum querit, & in ciubarbâ,
 ut iurauerat, manum inicit. 124.
 Iaco. c. m. victoriorum mutuo accipit à San-
 ctio Nauarra sub hypotheca. 137.
 Iacobus secundo in Baleares proficiscitur,
 138. & tertio cuiusdam rebellionis causa,
 143. Inſula domos, prædia & ditiones ſuis
 diuidit. 142. filiū Alfonſum iterū conſti-
 tuit heredē ſub certis conditionibus. 145.
 Iaco. qua benignitate uſus eſt erga dedititios
 324. 147. Eius ſtatura & ſpecioſa habitu-
 do corporis, 150. Ei nullum fuit otium non
 negotioſum, 149. idem dolet captam Mo-
 relle arcem à Blaſco, & cur. 154. idem tri-
 duanam famem in obſidione Morelle ſuſti-
 nuit, atq. in monte aſperriſſimo Morelle im-
 minenti caſtris poſitis eā cœpit, 154. 155.
 Iacobus in obſidione Burriane excubius fa-
 cit, oppidanosq. fugientes inſequens hæ-
 ſta portam oppidi conſixit. 164. idem ut
 exercitus honeſtam à Burriane obſidione
 diſcedendi cauſam haberet, ſeſe hoſtium
 telis oppoſuit, ibid.
 Iacobus agrum petit uſque Sucronenſem ſe-
 cus Valentiam, 167. Burrianam acta præ-
 da reuertitur, 169. ductus ſecum Alagone
 & Vrræ, Motalbanū ad aſtiua petit. 170.
 Iacobus matrimonium filie Auſtriæ Ducis
 cur reſpuit, 172. idem cœlebs maximos de
 hoſtibus triumphos egit. 173.
 Iaco. cum Pötio Cabrera ſuper comitatu Vr-
 gelitano conuenit. 182. Eiuſdem de perſe-
 quendo Valentino bello ab omnibus appro-
 batum conſilium. 187.
 Iacobus contēpto magno Zaenis exercitu ad
 Liria, prætergreditur Eneſam, & Guiller-
 mum, ac milites humaniſſimè amplecti-
 tur, & quintam ſpoliorum remittit. 191.
 Iacobus 80. equos Eneſa ducibus ſe diuiſurū
 promittit. 192. Eiuſdē ſtratagema in præ-
 teruehēdis equis, & eludēdis Sagūtiniis. 193.
 idē Eneſa Burrianā ueniens ſummū capi-
 tis periculum animo ſe ſubiens euasit, 194.
 idem pari felicitate opud Oropeſam non
 minus periculum ſuperauit. 195.

Iacobus Ferdinando & alijs ſua dētibus de-
 ſerendā Eneſam, rationibus & uultu igna-
 uitiā eorū exprobat. 198. Eide deliberata,
 qua ab alijs improbabantur, feliciter ceſſe-
 rit. 199. idē ueniēs Eneſa tumulo Guiller-
 mi ducis acerbè illachrymatur. ibid.
 Iacobus militibus obſidionis Eneſianæ labo-
 rē detrectatibus, ſe inde nō abiturum niſi
 Valentia capta iurat. 200.
 Iacobus ſagitta ictus in fronte uulnus acce-
 pit, ac poſt diē quintum conualeſcens in
 publicum prodijt. 210. idem militariſſimis ſe
 ſe muneribus immiſcebat, & militibus ad
 arma cōclamatib. primus occurrebat, ibi.
 Iacobum Valentiam obſidentē Legati à Pō-
 ri. & ciuitaribus Italiæ opem implorātes
 adeunt. 212. idem ſua dētibus ſuis ire parat,
 ſed mutatis Italicis rebus cōſilium mutat.
 213. idem plura ante expugnatam Valen-
 tiam perentibus conſeſſit, quā que præ-
 ſtari poſſent. 216.
 Iacobus uirgini matri uota omnia nuncupa-
 bat, ei q. omnia tēpla dicabat. 221. eiuſdē ue-
 ra effigies ubi ad uinū picta cernatur. 222.
 Iacobus in diuiſione prædiorum, adium, &
 ſuburbanorū quot ſuſceperit labores. 223.
 idem qua arte controuerſas inde natas
 compoſuerit. ibidem.
 Iacobus in belligerando, Alexandro, in ſer-
 uis legibus Licurgo ſimilis. 225. Eiuſdem
 aſtutia in debellandis hoſtibus. 241. idē res
 à ſe geſtas à Tolofano & alijs Aquitanis co-
 mitibus rogatus modeſtè narrauit. 249.
 Iacobus dāna quæ Gui. Aguilo ſarracenis in
 rulerat ab eodē reſarciri iubet. 252. idem
 bellum Conteſtaniſſis ſarracenis ultra Sucro-
 nem, & Gandianis Bairenæ conuallis mo-
 uet. ibidem.
 Iacobus duas ex Iolante filias Alfonſo Re-
 gi Caſtelle, & eius fratri Emanueli collo-
 cauit. 256. idē res domeſticas negligebat.
 publicis nimis intentus 261. idem Regna,
 quæ uni aſcribi fecerat, pluribus danda ſta-
 tuit. 262.
 Iacobus ut Alfonſum eiuſq. ſectatores ſibi
 redde

INDEX.

redderet equiores, diu in Aragonia man-
 ſit. 266. idem Aragonenſes, quos in armis
 antea exercuerat, pace & litteris erudit.
 ibid. idem à uiris litterariſſis leges & ple-
 biſcita in unum corpus redigi, atque ex-
 planari curauit, indeque ortus diſcrepan-
 tias, ac dubitationes, ad arbitrium boni ui-
 ri referri uoluit. ibid.
 Iacobus ſua præſentia alienatos animos, aut
 deterrebat, aut alliciebat, 268. idem ut
 factionē Alfonſi ſi diſturbaret, eiuſ ſecta-
 tores Valentiam ſecum adduxit. ibid.
 Iaco. Alfonſum Caſtella ſubtilibus utentem
 artibus ſubtilioribus eluſit, 270. Eundem
 Almixira conuenit. 271. iure excuſatur
 quod Alfonſum filium non reliquerit u-
 niuerſorum heredem. 275. Eiuſdem in E-
 piſcopum Gerundenſem facinus. 276. idē
 facti ueniam petit, expiatoque à crimine,
 multa imponitur. 276. 277.
 Iacobus Valentie frequenti Senatu ſarrace-
 nos toto Regno expellendos eſſe docet, cū
 rationibus, tum Pont. idipſum hortantis
 auctoritate. 288. 289. 290. Eiuſdem edi-
 cto proceres aliq. acriter, Petrus uero
 Portugalenſis, acerrimè ſeſe oppoſuerit, ip-
 ſumque ſerraceni ducem ſequuntur. 290.
 291.
 Iacobus Petrum Portugalenſem rationibus
 ab impugnatione edicti deducit. 291.
 idem nihil auri permiſit accipere à ſarra-
 cenis illud pro ſecuritate uia offerenti-
 bus. 292.
 Iacobus ſexdecim caſtella ex occupatis ab
 Alaxadraco recuperauit. 294. idem ad
 ſe uenientes externos proceres, tantis ex-
 cipiebat ſtipendijs, ut exhauriretur ara-
 rium. 298. Eiuſdem iuſtitia, quoad unicui
 que ſum reſtitueretur. ibid.
 Iacobus Carboliū Aquitanic adijt, ubi ma-
 trimonium Isabelle filie cum Philippo
 Francorum Principe concluſit, 299. ſi-
 mulque controuerſias ſuperiorum Regum
 cum Gallo Rege compoſuit, ambōque mu-
 tuos ſibi iure ceſſerunt. ibid.

Iacobus audita iniqua Aſtenſium inuaſione
 in Sabaudia Principem mittit ad eos niſi
 abſtineant ab eo bello, ſe atrocias in eoſdē
 inuaſurum. 302. qui Iacobifama commo-
 ti à bello deſiſtunt. ibid.
 Iacobus inter Petrum & Iacobum filios de-
 nuo Regna partitur. 308.
 Iacobus accepto nuntio de aduentu Mauro-
 rum in Baticam, terra marique eiſdem oc-
 curvere parat. 311. Eiuſdem à Catalanis con-
 ceditur bouaticum, & claſſis apparatus
 ibid. Eiuſdem opponit Folchius Cardonenſis
 minimè concedendum bouaticum de mo-
 re conuentuum. ibid.
 Iacobus audito iuſtitie ſue iuris nomine, ab
 armis citò diſcedebat. 318. Eiuſdem & pro-
 cerum controuerſia perpetua conuentio-
 ne Iuſtitie Aragonum præſecto dimittun-
 tur. ibid. De præſectura Iuſtitie Arago-
 num uide indiſtione Iuſtitia.
 Iacobus Murciensē & Oriolenſē in agro op-
 pida multa dominis ſuis recuperauit. 324.
 idem Granatenſes ſubſidio Murciensibus
 aduentantes interceptit, 325. idem prædam
 fecit bis mille iumentorum cum ſarcinis,
 326. idem quæ uerba fecerit Petro & Ia-
 cobo filijs primum belli 190. cinium incu-
 ribus. ibid. idem amore Berengarie Al-
 fonſinæ capitur, eamque data fide in con-
 tubernium admittit. 325.
 Iacobus caſtra nimis propinqua Murciensē
 ubi caſu ponens pedē referre uertit. 328.
 idem ſpe deditiois Murciensium, eorum
 agros uariari prohibet, miraque arte illos
 ad deditioem pellexit. ibid.
 Iaco. Murcia Valentiam ueniens leges & ple-
 biſcita cōfirmat, angēd. q. ubi dat operā
 332. idem Gerundam abiens controuerſias
 de diuidendis agris inter Emporitānum
 & Pontium Torellam diuinit. ibid.
 Iacobus pergens Mompellerium Eſclava-
 mundam filiam Foxenſis comitis Iacobo
 filio dedit in matrimonium. 332. idem qui
 bus ex cauſis Ferrentij Liciane oppida
 capit ac Regno adiungit. ibid.

INDEX.

Iacobus Turisfonti inuentis Morabatinis a-
dulcerinis, auctores capit, & sacco inno-
lutos in præterfluentem deicit. 333. Idem
ueniens Cesaraugustam Mariam filiam
inuisit, que paulo post ex febre interijt ibi
dem. Idem à Sancto filio Archiepisco-
po Toletano vocatus Toletum proficisci-
tur. 334.
Iacobus expeditionem contra Turcas Valen-
tia promulgari fecit. 340. Idem Petrum
Principem Regnis præfecit, & Iolantem
filiam apud Hortam inuisit. ibid. Idem
grauioratione, Iolantis & aliorum lamē
ris satisfacit. 341.
Iacobus cum exercitu naues conscendit, &
Hierosolymam petit. 343. Idem Tempesta
re in terram eiectus quam multis de caus-
sis coactus fuerit à navigatione desistere.
vide indicatione Tempestate.
Iacobus inuitatus ab Alfonso Castelle ad nu-
prias Blance filie ed abiit. 347. Idem duo
parua oppida condidit apud Contestanos
350. eiusdem Iacobus F. in Aquitaniam
mittitur de Matrimonio acturus. ibid.
Iacobi odium in Ferdinandum Sanctum f-
multis de causis excusatur. 355.
Iacobus Lugdunum petit, atque Pont. se præ-
ptum offert ad expeditionem Hierosoly-
mitanam. 364. Idem peccata confessus à
Pont. Max. absoluitur, & que irrogata
multa fuerit. ibid. Idem coronæ Regiæ insi-
gnia à Pont. petit, sed negantur. 365. Idem
bellum ex causa indicit Cardonensi, &
eius sectatoribus. ibidem.
Iacobus ut Foxensem Comitem è vinculis
eriperet nonnulla oppida Philippo Fran-
corum Regi concessit. 356. Idem Petrum
& Iacobum ex Iolante susceptos legiti-
mos declarauit. 373. Idem à decreto quod
Iacobus & Petrus ex Tere. ia si ū indixe-
rāt Barcinone, iustus de causis ad Pont. ap-
pellauit. 374. Idem illis que ditiones &
oppida dederit. ibid.
Iacobus, audita morte Sanctij non modonō
doluit sed mirè lætatus est. 376. Idem Fer-

dinandum Alfonso Castelle filium aduen-
tante Abenusepho ad defensionem hortat-
ur 379. Idem, quod Lucentum à Sarrace-
nis direptum audiisset, eò profectionem
parās, à morbo & medicis impeditur. 388.
Iacob. ingrauescente morbo Algeziram
venit, inde Valentiam, quò Petrum accer-
si iubet. 389.
Iacobus moriens, que præcepta & documē-
ta Petro dederit, & quo se in loco sepeliri
iusserit. 389.
Iacobus monachalem vestem induit, ac Va-
lentie moritur, ibid.
Iacobus totius Hispaniæ Imperij fundamē-
ta iecit, aditum que aperuit, quà Hispani
foras egressi vires suas alieno in loco expe-
rirentur. præf.
Iacobi facta cum omnibus omnium etatum
Regibus, & Imperatoribus comparan-
da. præf.
Iacobus sexaginta annis regnauit. præf.
Iacobo Hispaniarum Principi P. n. iippi fi-
lio non plura Regna, sed proprium s. m.
per diuinum numen & sapientia ad illa
regenda optantur. præf. Eiusdem mirifica
indoles spem magnam affert heroicarum
eius virtutum. ibi. eidem Iacobi Regis fa-
cta imitanda proponuntur. præf.
Iaudanus Hebraeus præfectus ararij Regij
omnium ditissimus Iacobo ad omnes belli
cos sumptus pecuniam accommodauit. 314.
Idubedensi in prælio centum millia Mauro-
rum cæssa dicuntur. 16.
Ilerda ciuitas antiquissima frumento abun-
dans, in eius primis conuentibus, sigilla ad
diplomata consignanda mutata. 29.
Ilerdenses milites Valentinis mauros primè
perforant, 208.
Ilerdenses ob nauatam in Valētia expugna-
tione operam, libram & mensuram exhi-
bent Valentinis. 223.
Ilerdā ducta trecenta puella à Iacobo dote
cohonestantur. ibid.
Ilerdē nata inter Iacobum & magnum Ca-
taloniæ senescalum controuersia protinus
talo-

INDEX.

componitur. 309.
Imperatoris munus bellicū quibus sit gradi-
bus subeundum. 84.
Infantillus, obturat fonte, a quatione nostros
prohibet 112. Eiusdem à Nunnio victi ca-
put in castra deducitur, & in urbem per
machinas conijcitur. ibid.
Ingenia strenua quò plus recessus sumunt eò
maiores impetus edunt. 84.
Ingenua bellandi consuetudo. III.
Inopia auri & argenti quanta Iacobus la-
borauerit in urbis maioris expugnatio-
ne. 121.
Iolantis Regis Vngariæ filie matrimonium
Iacobo offertur. 174.
Iolans Regina Barcinonem deducitur, ibiq;
Iacobo nubit, & eius præclaræ virtu-
tes. 181.
Iolans Regina, vt fuerat à Ferdinando in-
fructa, conatur, sed frustra, Iacobum à Va-
lentina expeditione auocare. 200. Eadē
de filiorum successione nimis anxia se mi-
seram appellabat, Regemque sollicitabat
261. Eadem singulis ferè annis filios parie-
bat. 262.
Iolans Iacobum quoquoersum sequeba-
tur, eique filios assidue commendabat.
274. Eadem multis fracta laboribus &
curis Barcinone moritur. 278. Eiusdem
virtutes. 279.
Iolans Iacobi filia Regina Castelle, alijsque
filij & nepotes Iacobum circumsistunt, vt
lamentis ab expeditione Hierosolymita-
na deterreant. 341.
Isabella Iacobi filia in Aquitaniam Philip-
po Francorum Principi nuptura deduci-
tur. 307.
Iustitiæ Aragonum, præfectura suprema
Regni dignitas. 368. atq. vnde orta de-
scribitur. 368.

I

Laconici victus frugalitas, & verbo-
rum paucitas. 3.

Lacouanus mōs Aedetanorū altissimus. 157.
Latro nobilissimus, & egregie fortis Ara-
gonensis. 104.
Legati à proceribus mittuntur Romam pro
recuperando Iacobo 28. Idem Romam in-
gressi Mariam Reginam consalutant. 27.
Idem renunciata legatione à Pont. bona
cum spe dimittuntur. ibid.
Legatus Cardinalis Iacobū puerulū, Corcaso
ne Narbonem deduxit, vnā cum Raimun-
do Proninciæ Comite. 28. Eidem cum Ia-
cobo Cataloniam ingredienti magnæ sunt
populorum acclamationes, ibi.
Legatus Iacobi à Retaboigo contumeliose
dimittitur. 87.
Legatus Cardinalis cruce signat ad bellum
ituros Balearicum. 97.
Leonora Castelle Iacobo nubit sine dote. 45.
Eidem à Iacobo dos dicitur quattuor op-
pidorum, eiusdemque nuptiæ Turisone
celebrantur. ibid. Eadem à Iacobo repu-
diata in septa religionis includitur. 175.
Legibus & plebiscitis Valentinis, nusquam
terrarum meliora. 229.
Lucentium se recipiunt, insequentibus Sar-
racenis, sex Christiani duces. 250.
Lucentij descriptio cum historia sacrorum
corporalium admiranda. 251.
Ludouici Franc. Regis, eius qui fuit diuorum
numero ascriptus, vita breuiter enar-
ratur. 300.
Lugdunum Iacobus petit denuò rogatus à
Pont. ad concilium, eiusque urbis descri-
ptio. 359. 360.
Lugdunense ad concilium quot, quanti que
cōuenerint Ecclesiastici primates, ibid. Ex-
cipitur Iacobus à Pont. Cardinalibus, &
Senatu, populoque Lugdunensi honorificē
tissime. ibid.
Lugdunensis Concilij, in quo tria maxime
admiratus est Iacobus, congregandi caus-
sæ, & que ante Iacobi aduentum in eo a-
cta fuerint. 360. 1. 2. 3. 4.
Lunæ Pont. breuis historia. 58.
Lusitani Reges apud Australes & Orienta-

I N D E X.

les Indos præclara gesserunt. præfa.

M.

M Achinarum & tormentorum bellorum ad expugnandam maiorem urbem Balearium apparatus. 109. Eorundem apud antiquos usus. 120. Magicis artibus femine apud Balceares futura prædicebant. 102. Maioris urbis Balearium direptio exclusis feminis fuit pacatior, ibique incredibilis, auri, spoliiorum, & manubiarum copia inventa, 125. earundem diuisores à militibus malè militantur. 126. Manfredi Regis Siciliae, soceri Petri Principis interitus. 334. Margarita Theobaldi Regis matre mortua, Nauarra Regnum tumultuari cepit. Maria Mathildæ filia, Mompelleriensis ditionis heres relicta, à fratribus in ius vocatur. 9. Maria relicto Iacobo Infantulo Romam petit, & eius causâ contra Petrum decernitur à Pont. à quo heres Mompelleriensis ditionis declaratur. 18. 20. Eadem mortua, Iacobo filio Mompellerij herede relicto, Regia sepultura à Pont. donatur. 30. Matilda Imperatoris Græci filia Mompellerium deducta, quibus artibus cogatur ad nubendum Guillelmo Mompellerij domino. 5. 6. Matildæ matrimonium à Guillelmo susceptum, tam senum, quam iuuenum consilio probatur. 7. Eadem postquam Mariam Iacobi matrem peperit, à viro despicitur alia uxore ducta. 9. Mazalauesium oppidulum in agro Algeriensi. 167. Mercatores ad emenda Balearica spolia cõcurrentes Iacobo pecunias mutuo dant. 121. Militum in direptione mira cupiditas & rapacitas. 125. Militis querela apud Iacobum de Sanctio Nauarra Rege. 142.

Milites præsidarij commurmurant, atque se Enefam deserturos Iacobo significat. 99. Moncadarum familia antiquissima & perillustri. 48. Moncada oppidi obsidionem Iacobus relinquit Nunnij, & Abonesij consilio. 50. Mompellerium Iacobus proficiscitur, ut turbaris rebus occurrat. 141. ibi nobiles quosdam sese insolentius cum populo gerentes repressit, aut exilio, aut bonis publicatis mulctatos. 242. Moltalbani insignis Aragonie oppidi descriptio. 107. Morabatini quinque Regi Castelle negati eiusque rei historia. 295. Morella opportunitas ad Valentinum bellum 152. Eius expugnatio Blasco Alagoni demandatur. 153. Eiusdem & Ares expugnationes, primitiæ Regni Valètini. 155. Mos ducibus atque militibus vsitatus, Christi corpus sumendi prælium aut mare ingressuris. 99. Mos Regum bellicus, aut pugnaturus, aut locum ad obsidendum indagaturus. 328. Mos Aragonensis in committendis arcibus & Castellis recipiendis. 358. Murcienses Granatensibus subsidio venientibus ac præliantibus cur non opitulati fuerint. 327. idem pulso Granatensi præfecto, Iacobo se dedunt. 329. Murciensiu domos & agros Iacobus tanquam verus Rex diuisit, & ciuitatem cõ toto Regno Alfonso genero dono dedit, & qui fuerint duces eo in bello. 330. quot Christianorum millia reliquerit Iacobus ex militibus ad tutandã urbem, & religionem inducendam. 331. Murciensis agrifertilitas & amœnitas. 334. Museriorum, & Moncade turres Valentie propinquæ à Iacobo capiuntur. 179.

N

N Auarrorum & Vizcainorum mores describuntur. 141.

Nca-

I N D E X.

Neapolitanum Regnum ab Alfonso acquisitum, à Gallis interceptum, à Ferdinando recuperatur. præfat. Nunnius Sanctius cœnobium La Real dictum apud Bolearium maiorem edificat. 181. Nunnius Laræ in Abeniusephum irruens, ab eo cum suis confoditur. 382. Nuptiarum fructus soboles. 13. Eadem præcoes diuortio propinqua. 95. Nuptias non Regias Regijs Iacobus anteponeere noluit. 174. Nuptijs Iolantis cum Alfonso Castelle Principe iunctis, pacis conditiones inter Reges interfuerunt. 266. Nuptia celeberrima Burgis Blanca filia Fræcorum Regis, & Ferdinandi Alfonsi Castelle. f. iunctæ, & ad eas magnorum Principum concursus. 347.

O

O Liuæ oppidi, eiusque miræ fertilitatis descriptio, vide in dictio. Baiarena. 252. Oliuerius Thermesis eques Aquitanus quo prandio Iacobum excepit. 108. Onagri Frumentaria Insula natura. 176. Orcelissue Oriolæ urbis, eiusque agri descriptio. 231. Ortizius & Templarius cum ceterum viginti equitibus mille sarracenos pedites in Liria agro vincunt. 387. Oscenses Ferdinandi partes sequuti Iacobu subdole acersitum capere conantur. 69. Eorundem insidias, cognita perfidia, Iacobus felici vsus stratagemmate euasit. 70. Osea urbs describitur, atque aptissima literarum studijs demonstratur. 226.

P

Paleologi Imperatoris Græcorum doli, fraudes, & perfidia. 364. Pallantia Exerica fluius decurrit in Sagü-

tinus. 157. Panthaleonis montis, & ei propinqui portus descriptio. 102. Paschasius Munyocius cum Turulentibus à Iacobo commendatus. 60. Pecunia sub nomine bouatici à Iacobo petita ad Murciense bellum, Aragonensium animi offenduntur. 314. Peninsula à Iacobo obsidetur. 59. Luna Põr. propugnaculum. 58. Eadem post ditionem Iacobus ingreditur. 166. Eadem cum promontorio describitur. 57. Petrus 2. Alfonsi filius in Regna successit. 10. idem Castelle Regi ad recuperandam Concam subsidio fuit, ibid. Eodem auctore Alfonsus frater Folcherio reconciliatur. 11. idem matrimonium clandestinum cum ignobili muliere contraxit, mortuaque uxore Romam petens, & à Pont. Regio diademate insignitus, Regna sua Ecclesie Romana tributaria fecit. ibid. Petrus Sanctia importunitate Mariam Mompellerij duxit uxorem 13. Eam odit cuiusdam ancillæ amore captus. 14. idem à Maria eluditur. 15. ab ea q̄. semper fuit auerso animo: diuortiu cum ea fecit, eiusq. causam ad Pont. detulit. 18. Petrus magno cum exercitu ad Idubedense bellum profectus victor euasit. 16. idem ob maximos sumptus Regium patrimonium Iudæis oppignorauit. 31. idem à Simone Monfortio superatus interficitur, eiusque cadauer ab Hospitalarijs cum p̄pa tumultatur. 23. 24. Petrus Martellus Iacobum apparatissimo conuiuio excepit, descriptusq. Balearibus, ad bellum in eas suscipiendum vehementer adhortatur. 85. 86. Petrus Cornelius Aragoniam petit ad supplendas copias pestilentia imminutas. 127. Petrus Portugalsis iners, & ignauus, Baleares dum viuere accepit in compensationem comitatus Vrgelitani. 138. idem cum Abuxerio, Iolanti, eiusq. liberis publicè fidem dat. 183.

Petrus

INDEX.

Petrus Iacobi frater Catalonie Princeps declaratus. 263. Eius mirifica indeles, atque innata dignitas. 261. idem nimia regnandi cupiditate Iacobum fratrem ab hereditate conatur deicere. 306.
 Petri Principis & Iacobi fratrum dissensio ne magna in populis oritur tumultus, armorumque licentia. 307.
 Petrus Fernandus Iacobi filius classis Catalane prefectus. 314.
 Petri Principis odium magnum in Sanctiis à Sicilia redeuntibus, quibus ille Burriana occidere curauit. 351.
 Petrus per Legatum, Iacobo multa crimina Sanctiis detulit. 334. Eundem Iacobus Sanctiis causa, persequitur. Valentinus Antistes obiurgat, & supplicem Regi obtulit. 355. Idem se Iacobi pedibus pronoluens, ac veniam petens, eum in suam sententiam pertraxit. ibid.
 Petrus Alcanamus Iacobum Algerie inuentum conuocat ad Concilium Lugdunense. 357.
 Petro, qui mortuo Henrico Navarram petens pacta cum Iacobo acta in conuentibus proposuerat, dubia respondentur, eiusque discessus. 367. idem in Sanctiis cum exercitu profecturus ab optimatibus Ilerdensibus à tam immani cepto deduci non potest, & insu patris illius oppida & pagos oppugnat. 375. idem Sanctiis ab insidijs elapsus obsidet, & effugere conantem, captum in Cingam flumen demergi iubet. 376.
 Petrus exercitu venit Murcienses defensurus, atque Granate Regnum ingressus, ferro & flamma cuncta vastare cepit. 384. idem à Catalonia contra conspirantes in Valentino Regno, accersitur. 386.
 Philippus 2. Imperio & felicitate Augusto Cesari par & superior habetur. praefa.
 Podiensis beatae Mariae aedes in Gallia à Iacobo visitur. 265.
 Praediorum diuisio cur ad priores Regis consiliarios redierit. 230.

Proceres Iacobum puerum ad successionem Regni querunt. 24. idem sui questus gratia Regis partes agebant, sub cuius nomine multa indigna committebant. 44.
 Proceres quae damna intulerunt populis, ea Iacobus resarciuit. 46.
 Proceres & Barones Regni Valentini etiam de expellendis Sarracenis conantur infringere. 291.
 Priamus Rex quinquaginta filios habuit septemdecim iusta uxore natos. 173.
 Pyrius in Insula Ibusus, & Frumentaria describuntur. 196. Eadem ab Archiepiscopo Tarraconensi expugnantur. 117. serpentes enecant, Colubaria alit. ibid.
 Plebiscita cur neque Latino, neque Aragonensis, sed Lemouico sermone Iacobus tradiderit. 228. 229.
 Plicamanus classis praefectus comitatum & cibaria mittit in castra. 104.
 Pollentiae & Columbariae portus. 101. Prior urbs parua, sed commercijs apta. 127.
 Portaceli, Cartusianorum cenobium, à quibus in agro Valentino aedificatum. 373.

Q

Quereles procerum, ac totius exercitus, ob acceptam sine direptione Valentiam, Iaco. cumulatè satisfecit. 215.
 Quintus Sertorius scholas Latinas in Hispania constituit. 225.
 Quintus Cecilius Metel. cognominari stundit Balearicus ob deuictas Baleares. 131.
 Quintam portiorum partem Abuzethius Iacobo dedit, ut à Peninsula obsidione discederet. 59.

R

Raimundus Plicamanus classis praefectus Balearico bello. 98.
 Raimundus Folchius Cardonensis & alij bellum mouent contra Comitatum Virgelitanum. 333.

Raimun.

INDEX.

Raimundus Penafortij ordinis Dominicani generalis, Barcinone mortui, laudes & facta. 372. Eiusdem exequijs Reges, Regumque filij interfunt. ibid.
 Reges diuinum quid cum sceptro hauriunt ad bene regendum. 198.
 Regum grauis calamitas, nihil de suo, omnia de alieno consilio peragere. 198.
 Retaboigus quas primum conditiones pacis obtulerit, & quale tabernaculum defixerit, de pace acturus. 117. idem desperata pace, sese acerrimè ad bellum parat, ideoque Christianorum animi ad pugnandum vehementer eriguntur. 120. Eodem presente acerrimè pugnatur. 124.
 Regum absentia Regnis perniosa. 331.

S

Sagunti ruina, quibus illachrymavit Iacobus. 265.
 Sanctia Petri mater cur Mariam Mompellerij dominam nulum exoptet. 12. eiusdem importunitate, Petrus Mariam ducit uxorem. 13.
 Sanctius, & Ferdinandus Iacobi patru de successione ad Regnum contendunt. 24. idem & Ferdinandus ad regnum aspirant. 32. idem Iacobo Montione exeunti insidias tendit. ibid. eiusdem magnifica, & gloriosa ad Iacobum verba. 33.
 Sanctius Ahonesius Casar Augustanus Antistes multa contra Iacobum machinatur. 66. idem Iacobo reconciliatur. 77.
 Sanctius Rex Nauarrae Iacobum ad se uocat, illum sibi ad optandi gratia, & quibus de causis. 134. 335. idem, & Iacobus mutuo sese adoptant ad Regnorum successionem. 136.
 Sanctium adoptionis poenitet. 142. moritur, & Tibaldus ex sorore filius in Regem assumitur. 179.
 Sanctius Archiepiscopus Toletanus prima Missae solenni à magna cum pompa celebrat. 337. idem concto exercitu temere in

Abenisephum irruens captus est, eiusque exercitus deletus. 382. idem à Malacitano prefecto occiditur. 383.
 Sardinia à Iacobo 2. nepote primi subiugata. praefa.
 Sarracenus è mari sublatus magna praedicit Iacobo de expugnatione Balearica. 102.
 Sarracenorum barbarum, & immanissimè in Christianos supplicij genus. 110. Eorundem pugnandi usus Aquitanis incognitus detrimentum attulit. 210.
 Sarraceni duo equites Valentia exeuntes, totidem Christianos ad certamen prouocant. 214.
 Sarraceni Valentini in Iacobum conspirant, duce Alazadracho. 287. idem Iacobi edictum, Petro Portugalsi ductore, conantur infringere. sed ab eo deserti in Christianos praesidiarios crudeliter scuiunt. 292. Eorundem repente collectus exercitus, duce Alazadracho, fuit lx. m. qui timore oppressi ad infimas preces, & tributa ingenia descenderunt. 292.
 Sarraceni Valentino è Regno expulsi xl. m. incolumes Vilienam deducti, à Federico Alfonsi fratre singulis besantijs multati, & in varia loca dispersi sunt. 292.
 Sarraceni in Regno relictis triennio sese tutati sunt. ibi.
 Sarraceni Hispani, & Africani in Iacobum conspirant. 323.
 Sarrionensis ager ouium, atque bouum feracissimus. 156.
 Sastragum, eiusque ditio cur Blasco data. 155. Eiusdem comitatus facta Alagoni donatio à Iacobo confirmatur. 171.
 Sarniense Aragonia, de Enefiana arce oppugnanda agitur. 282.
 Schola à Romanis per uniuersam Hispaniam ad discendum Romanorum sermonem constituta, & praecipue obsidum retinendorum causa. 225.
 Segonia vallis, alias Saguntina. 158.
 Sebastianus Portugalsie Rex infeliciter in Afri

INDEX:

Africa necatur. vide in dictio. cometa.
Setabis oppidum illustre Contestaniæ regionis caput, 240. eius descriptio cum Suburbanis. 157. obsidetur, eiusque ager depopulatur. 158. eadem alter Regni oculus. 260. Setabitanorum conditiones Iacobus recipit. & ab obsidione discedit. 259.
Setabim Iacobus iterum obsidet. 264. ab ea discedit litteris Regis Gallie accitus. 265. obsidet tertio, Setabitanis inducias rumpentibus. 268. Magna contentione militum Christianorum oppugnationi opera nauatur. 271.
Setabis deditio que fuerat diu procrastinata Alfonsi Castellæ Principis artibus, à præfecto maturata fuit, & quibus conditionibus. 272. in ea templum consecratur, & religionis Christianæ fundamenta iaciuntur. ibidem.
Simon Monfortius Iacobi educandi curam suscipit. 21. idem contra Albigenes hereticos à Pont. dux belli fuit electus. ibidem. idem sublatis Albigenibus, Petro Regi suspectus redditus, ab amicitia eius recedit, sed mox pacis conditiones offert. 22. idem Petrum Regem exitium sibi molientem inuadit, & contrucidat. 23.
Simon Monfortius Iacobum Principem proceribus tradere reuuit. 25. sed iussu Pont. id facere cogitur. 28.
Sicilia à Petro Iacobi filio debellata. præfata Societas, siue Ordo beatæ Mariæ Mercedis à Iacobo Barcinone instituitur, ut captiui Christiani à Mauris redimantur. 35. 36.
Solis defectio bis vno anno Mompellerij visâ. 243.
Sucro insignè oppidum à Iacobo Templarijs donatum, nunc Montesane est sacre societatis. 255.
Sucro magnum flumen Contestanos ab Aedetanis diuidit.
Sultani Babylonie perpulchra historia. 310.

T

Tarraconis vrbs, eiusque portus descriptio. 84. eadem Prouinciæ caput à Romanis constituta. 85.
Tartarorum mores ingenia & vires describuntur. 338. Eorum nonnulli Principes ad Cœcilium Lugdunense venerunt, fidemque Christi professi sunt, 364.
Tempestas maris saluti est, tum corpori, tum animo nauigantium. 91. impietatem omnem ab animo expectorat, bilem à corpore excernit. ibidem.
Tempestate furenti disiecta regia classis, vix dimidia eius pars in Agathensem sinum delata est. 345.
Templariorum magna habita ratio in diuisione spoliolum maioris vrbs, quod in expugnatione Balearium magno fuerint adiumento. 126.
Tēpora & bona tria quo pacto intersepartitur Aragonia, Catalonia, & Valentia. 237.
Tempore Iacobi reiectis verborum anfractibus, in res ipsas hominum animi propendebant. 3.
Teresia Vidauria matrimonio Iolantis frustra sese opponit, atque eadem viua, Iacobum vocat in ius coram Pont. 175. Eadem Episcopi Gerundensis testimonio iterum Iacobo negotium facessit. 276.
Terrosij oppidi, eiusque portenti descriptio. 47.
Tibaldo Rege Nauarræ mortuo, Iacobus natus cum Margarita, & Theobaldo filio patris Regni parrocinium suscipit. 285.
Timendus magis est desperatione actus, quam fortis animus. 352.
Toletum vrbs nobilissima descriptur. 235. in eam quæ pompa & magnificentia ingressus fuerit Iacobus. 336.
Toletana Ecclesia nulli præterquam Romanæ secunda. 337.
Toleti Iacobus expeditionem in Turcas decernit, & que ad eam Alfonsus, & proceres Castellæ promiserint. 239.
Tudela Nauarræ vrbs perinsonis. 135.
Tunetana classis iaculatis ignibus, & clangoribus, Valentinis aduentum suum significauit, eique à nostris paria reddita. 118. Eadem post biduum è Valentino litore, re infecta discessit. 209.
Turia fluminis saluberrimis aquis præstat. 233. idē mirè Valentinum agrum impinguat. 235.
Turiaso vrbs pernobilis & antiqua.
Turoloenses bellicosi, potentes, Regibusque suis fideles. Eorumque ciuitas potens & ferax. 60. idem Iacobum hospitio accipiunt, atque Frumentaria & pecuaria ingentem vim offerunt. 322.
Turristorresij agri depopulatio. 158.
Tyso nomen erat gladij Iacobi. 210.

INDEX.

V

Valdigna conuallis florentissima cum amplissimo cœnobio descriptur. 235.
Valentiam Iacobus cum exiguis copijs obsidere incipit, sed augentur multis ex vniuersa Europa gentibus concurrentibus. 204.
Valentinum litus importunum & periculosum nauibus. 203.
Valentine vrbs descriptio. 206.
Valentina in obsidione equites mille, peditum sexaginta millia inuenta. 210.
Valentia capitur anno 1238. Eiusdem Templi maximi varia nuncupationes varijs temporibus habita. 221. in ea diruto veteri templo nouum edificatur, & Episcopia sedes erigitur à Gregor. 9. Pont. ibi.
Valentina Episcopia sedes à Toletana eximitur, & caput Valentina diocesis constituitur, primus eius Antistes Ferrarius sancti Martini fuit. 222. Eiusdem erectio nis festum diem anniuersaria, sacra pompa, die sancti Dionysij martyris, Valentini celebrant. ibidem.
Valentia diuersa ciuitatum, & oppidorum Aragoniæ, & Catalonia nomina in familias diuisa sunt. 223.
Valentine vrbs noua edificatio, legesque. Lemouicensi conscripta sermone. 224.
Valentia cur cognomento magna. 229. Eadem cur omnium nobilissima. 231. Eius leges & plebiscita mitiora sunt quam pro ingenio & natura gentis. 222. Eius putei parum salubres, sed multis accommodati vsibus. 232.
Valentino milite nullus ad quidiu audendum promptior & animosior. 231.
Valentinis cur Iacobus duellum permiserit. ibidem.
Valentia salubritas, amœnitas, & fertilitas tanta, vt peregrinis patriæ obliuionem inducat. 232.
Valentina cloaca ad purgationem, & salubritatem vrbs longè accommodatiores quàm alibi. Eiusdem lacus Albufera dictus descriptur, & fertilitas Aegypto comparatur. 233.
Valentinum Regnum trianguli figuram efficit, & maris utilitas demonstratur. 335. Eiusdem fructus secundam loca & oppida distinguntur, & quo pacto rerum omnium copia suppetat. 236.
Valentini Senatus mira in prouidenda vrbe cura & sollicitudo. 237.
Valentinorum ingenia describuntur. 238.
Valentinorum noua conspiratio Abenusepho, & Granatensi auctoribus. 385.
Vclensis summa præfectura apud Aragoniam Montalbani sita. 156.
Vexillo Regis vespertilionis simulachrum pro insigni collocatur, & cur. 216.
Vexillum Iacobi à deditis Valentinis in Templariorum turri defigitur, eo que viso Iacobus ab equo descendit, supplexque Deo gratias agit. 217. deinde urbem intrat. ibi.
Viliena oppidum insigne à Ferdinando eiusque exercitu sese defendit. 235.
Victoria prima de Balearicis à Nunnio, & Raimundo Moncada, secunda à Iacobo parata. 103.
Villa boni prandij vbi, & à quo dicta. 108.
Villarroiæ in oppido Iacobus excipitur hospitio opulento. 157.
Viuerium oppidulum Exericæ propinquum descriptur. 157.

I N D E X . *

Vomitio ex tempestate maris commota bi-
lem salubriter excernit. 100.

Votum totius exercitus de non referendo pe-
de in expugnatione maioris urbis, cui sese
primus Iacobus, iuramento volens astrin-
gere, ab exercitu prohibetur. 120.

Virgilitanus Comitatus à Gerardo occupa-
tus, à Iacobo recuperatur, & Auremba-
xidi restituitur. 48.

Vrrea Iacobum admonet remouendum es-
se Petrum Portugalem, à gubernatio-
ne Balearium. 171.

Vrreanorum familia perillustris, ac nobilif-
sima, cui Alcala arcis prefectura à Re-
ge fuit perpetuo concessa. 166. 277.

X

X Arcana porta Valentinae urbis. 210.
X Xenodochium sancti Vincentij ex-
tra muros Valentinos, cur à Iacobo adif-
ficatum. 277.

Z

Z Aën Rex Valentia mille quingentos
milites in Burrianae praesidium mit-
tit. 158. idem arcem Enesianam ne Iaco-
bo prodesset funditus diruit. 183. idem E-
nesiam perit ad demolendam arcem à Ia-
cobo erectam. 187.

Zaen Alialbatanum primo, mox Abula-
methetum in castra mittit ad pacis dedi-
tionis confirmanda. 213. idem Ruzaphan
venit, ubi rem totam cum Iacobo pere-
git, Valentiaque excedens, Cullarim, &
Dianium incolomis deducitur. 218. inde
in conuallem Bairenam ad Iacobum ve-
nit ea petens, quae honestè concedi non po-
terant. 254.

Zuerenses commissio prelio cum Artalo Lu-
na. 27. periere. 350. pro eiusdem ad resar-
cienda damna contra Artalum durior
lata sententia, à Iacobo temperatur. 352.

L A V S D E O .

V A L E N T I A E .

Ex Typographia Viduae Petri Huete,
in platea herbaria.

1582.